DANIEL. GEORG. MORHOFI OPERA POËTICA

Daniel Georg Morhof

Digitized by Google

Staatl. Bibliothek
Regensburg

Rit. 1730.

Lat. recent. 456

Digitized by Google

Daniel. Georg. Morhofii OPERA POËTICA,

quæ in unum collata & ad Au-
ctoris mentem diſpoſita ab hæredibus
eduntur cum Præfatione
Henrici Muhlii.

LUBECÆ,
Sumptibus PETRI BÖCKMANNI,
A. C. M. DC. XCVII.

Digitized by Google

Staatl. Bibliothek
Regensburg

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO,
HEREDI NORWEGIÆ,
DUCI
SLESWICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ,
COMITI
IN OLDENBURG & DELMENHORST,
&c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

SERENISSIME

PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,

MAGNANIMI SOBOLES CONSUMMATISSIMA PATRIS,

Æternum PROAVUM, DUX FRIDERICE, *decus*.

TE

TE compello, TUUM, PRINCEPS CELSISSIME, Nomen;
Addere ſi nugis nomina magna licet:
Nomina perpetuos ſemper celebranda per annos,
Auſibus Auguſtis nomina clara TUIS.
Nomen & omen adeſt; nec enim felicius omen
Eſſe poteſt Cimbris; nomen & omen adeſt.
Maxima de ſummo hoc manarunt nomine quondam
Commoda Cimbrorum, commoda quanta! jugis:
His ſub nominibus vitam duxere beatam
Majores, tantis his viguere DEIS:
Hiſce ſub Auſpiciis libra pendebat utraque
Juſtitia immota, firma tenaxque, manu.

Nec minus & ſtudiis fuit olim gloria doctis,
Nec tenuis Muſis pars quoq; laudis erat.
Nam reſtaurati veteris fuit ille Lycæi
Bordesholmenſis maximus auctor AVUS:
ALBERTINA *ſuam trahit hinc* ACADEMIA *vitam,*
Principium Pindi, ſemen eratq; TUI.
Cætera quis parvo concludet commoda verſu;
Integer haud factis ſufficit hiſce liber.
Gloria tanta fuit FRIDERICI NOMINIS *olim,*
Nomine quæ ſummo jam renovata TUO *eſt.*
Quæ fuit in PROAVIS *quondam quàm maxima virtus,*
Intulit hanc uni Divus Apollo TIBI
Quanta in fronte TUA *dulcedo pectora mulcet!*
Auguſti quantus ſplendet & oris honos! Lumi-

Lumina perfacilem ſpondentia civibus
aurem
Splendorem tanti Nominis usq; ferunt.
His ergo rebus confiſa palatia ſcandit,
Præſidiumq; TUUM Muſa Paterna petit.
Illa inſcripta gerit prima TUA NOMINA fronte,
Nomina quæ ſtudiis ſemper amica bonis.
Morhoſium noſti vatem, noſtrumque parentem
Heu quondam! cujus molliter oſſa cubent!
Ille TUUM primus Pindum conſcendere juſſus,
Et facili Phœbi plectra movere manu;
Ille TUUS quondam, qui te naſcente poëta
Sic iniit cantus: REGIÆ VIVE PUER!

Qui Divum cecinit PATREM,*cui* DANA VIRAGO

Materies cantus REGIA MATER *erat,*

Ergò vade liber ſtudio prognate paterno,

Et refer ad Dominum munera parva meum:

Vos ite o Charites præclaro nomine Divæ,

Vos Veneres, Manes, deniq; tota cohors.

Ite ergo & Domino junctim vos ſiſtite veſtro,

Iſtaq; ſubmiſſo dicite verba ſono:

Adſumus en primi Pindi ſub culmine fœtus

Progeniti quondam PRÆSES APOLLO TUI.

Adſpice nos facili, mos ut TUUS,*adſpice vultu;*

Sic nobis tanto ex Nomine ſplendor erit.

Deni-

Denique ſupplicibus vos vota adjungite dictis,
Et bona pro tanto fundite verba DUCE:
Vive diu felix PRINCEPS! *TE ſoſpite namq;*
Soſpes erit collis, Pieridumque nemus:
Æternum per TE ſtabit Parnaſſia rupes,
Caſtalii fontis gloria ſemper erit.
Adſint Auguſtis ſemper bona Numina cœptis!
Adſpiret factis Gratia trina Tuis!
Præſide at Venus Alma toro TIBI conjuge lectum
Illa beet, Cypriæ quæ ferat ora Deæ:
Junoni par dote Deæ, Ingenioq; Minervæ,
Hinc videat Juvenem Cimbrica terra DEUM.

Ad Manes ſero venias, mala numina Parcæ
Sint faciles tanto propitiæquè DUCI.
Sic immota Domus ſtabit, DUX MAXIME, *Cimbrûm;*
Sic fortuna TIBI *proſpera ſemper erit.*

Ita vovet

SERENITATIS TUÆ

ſubjectiſſimus ſervus

CASPAR DANIEL MORHOFF.

Nobiliſſimo Vatum Pari,

PETRO FRANCIO
ET
JANO BROUK-HUSIO,

Fugientium Muſarum Statoribus, Patriæque ſuæ Luminibus inclutis,

S. P. D.

HENRICUS MUHLIUS.

NUnquam anteacti temporis recordor, quin inprimis illud, quod ſvaviſſime in Belgio transegi, in mentem veniat: quo Viris ejusmodi

modi, qui eruditionis laude apud Vos excellunt familiarius innoteſcere, quo Veſtri ingenii & conſvetudinis ſvavitatibus frui datum fuit. Et o mirificam illam comitatem, ſtudium, humanitatem! o prothymiam ſummam! cujus me perſæpe admonet dulcis ante omnes terras Batavia Veſtra; cujus ſine animi ſenſu recordari nunquam poſſum. Sane adhuc me tenet illud delicium terrarum, non tam amœnitate, pulchritudine, magnificentia ſua, quam tot egregiis celeberrimisque in ea Viris. Lætentur alii, ſeque felices beatosque deprædicent, cum gemmam invenerint; ego potius cœlum me tetigiſſe putabam, aut regnum poſſidere, quando horum amicitias, doctas & innocuas, diu multumque deſideratas, haud uno congreſſu, fide & voluntate utrinque ſpectata, pulcerrime mihi pararam. Has enim unice, &, ut cum Comico dicam, efflictim expetere atque ambire ſoleo, easque, ſecundum Theocriti χάριτας,

Πολλῶν ἡμιόνων τε καὶ ἵππων πρόσθ᾽
ἐλέσθαι.

In his certe profectionis meæ in Batavos maximum fructum poſui. Et o niveam lucem, quæ *Wayenio*, *Roëlio*, *Rhenferdo*,

Peri-

Perizonio, Grævio, Witſio, Limborchio, Gronovio, Almeloveenio, Meyero, Baylio, aliisque, quæ me Vobismetipſis, o nobile par Vatum, tradere potuit! Conſecravi ſubinde fortunam ejuſce diei, & profecto videbar mihi

ire polo, nitidosque errare per axes,

quando cum tot luminibus decoribusque & ſuæ & Reipublicæ literariæ coram converſabar, & omnem affectus vim in ipſorum ſinum effundebam. Occurrit etiam nunc mitis & manſvetus ille vultus, illa in amorem noſtri effuſa benignitas, ille candor. Nec dici poteſt, quanto abundarim gaudio, quum ire in tot amplexus, & applicare collum, jucundum os oculosque ſvaviari; quin imo cum in Veſtrum illud, nobiliſſimi Vates, & aliorum juxta literarium adytum ſubire penitius, & inter oſcula mutua de rebus literariis & ſacris garrire inter nos & ſermocinari licuit. Quicquid eorum hodiedum lego, quicquid publice privatimque meditor, ad memoriam iſtorum temporum invitat, mihique tot magna amiciſſimorum hominum nomina ſubjicit, quos in publicis aliquando chartis ambitioſius nominare, quo-

ties res & occaſio ita fert, & laudi & gloriæ mihi ſummopere duco. Idque ut voluntatem nempe in viros magnos & celebres egregiam & ſtudium plane ſingulare oſtendam, veteremque illum affectum haud obſcure ingeram, probatumque adeo faciam, inviolatum & integrum ſcilicet eundem adhuc dum conſtare, nec quicquam deceſſiſſe reverentiæ ac admirationi, qua divinas & incomparabiles illas dotes amplector, meque, licet in literis dandis fuerim ſummus ceſſator, non tamen in amando ceſſaſſe ac frigidum fuiſſe. Fatendum enim eſt, inter moleſtisſimas curas atque ſolicitudines, per tot implexas occupationes, quibus publice ac privatim domi foriſque circumſeſſus ac pene obrutus, vix ac ne vix quidem ſcribendi, & tot doctisſimis literis, quibus mihi nec ſanctius quicquam nec charius, reſpondendi copiam eſſe. Ego vero indignisſimus ſim doctisſimorum Virorum amore, ſi non doleam meam hanc ſortem, quæ me incumbere votis meis haud ſinit, &, quo invitat ac rapit animi impetus, inde invitum trahit ac reluctantem. Hoc tamen Omnibus maximopere nunc velim perſvaſum, quamvis contingat, ut nihil ſcribam, quod ſæpe neceſſum

ceſſum eſt, me nec oſcitatorem ſecurum eſſe, aut ſuperbum contemtorem, ſed obſervantiam, ſtudium, honorem, cultum, quem me debere libenter fateor, tot amiciſſimis hominibus & eruditiſſimis ipſorum Muſis ſanctum & incorruptum perpetuum ſervare. Hunc Vobis quoque, ô cariſſima pectora! vehementer teſtatum cupio, dum majore fide quam pompa Morhofianas Muſas nunc in conſpectum Veſtrum produco.

Poſtquam enim ſemel iterumque à me Bibliopola petierat, & quaſi pro ſuo jure expoſcebat, ut in commendando ornandoque iſthoc opere voto & deſiderio ipſius honeſtiſſimo ſatisfacerem, nihil magis conveniens eſſe putavi, quam ut Veſtra celeberrima nomina tanquam pulcrum aliquod emblema admiſcerem, indeque plane eximium ornamentum, & velut mangonium, arceſſerem. Neque ſane indignum Veſtris oculis eſſe cenſeo, & ſpero omnino ad ſtomachum, ad palatum, futurum. Quod ſi obtineat, ſi Vobis judicibus omnium, quos nunc novi, exactiſſimis ſe approbabit, facile quoque impetrabit publicum favorem, ut de ſe jure poſſit jactare, quod Flaccus olim de ſe: *odi prophanum vulgus & arceo.*

Et quid quæſo majus præſtantiusve dici poſſet, quam Morhofiana poëmata ejus pretii videri, ut Vos cenſores vereri non debeant. Quin Vos etiam ſincere & exacte judicabitis, ac in *Morhofio* noſtro rerum illarum decus ubertim agnoſcetis, quas in Vobis omnes tantopere amamus pariter & admiramur.

Scilicet de Poetis judicare non niſi Poetarum eſt, idque non omnium, ſed optimorum, quorum & nomen & gloriam & titulos plene perfecteque ſuſtinetis. Eſt quandoque cum & alii ſibi dictaturam arrogant, verſificatores potius quam Poëtæ, quibus tamen hac ipſa in re cor plane non ſapit, & prava ac affectata, &, ut ita dicam, cruda & muſtea magis arrident, quam terſa & elaborata, docta & caſtigata carmina. Quibus hæc Morhofiana ſemper & ubique mallem diſplicere, quam Vobis, qui dotes omnes, quæ in hujusmodi ſcriptis requiruntur, ſatis cumulate poſſidetis, eas penitiſſime pervidiſtis, & Sacra omnia Diviniſſimæ artis in numerato habetis. Nec eſt, quod eorum ſupercilium nos moveat, qui nonniſi recentiorum ſtribligines, illam ſcabiem, impenſe amant, veteres elegantias ignorant, & ex languore illo & frigore omnia æſtimant. Quo

fit,

ſit, ut tam abjecte atque humiliter, praveque ac corrupte ſentiant, & optimis ac præſtantiſſimis Poëtarum non dicam mediocres, ſed peſſimos omnino, anteponant. Hæc judicandi ratio perverſa ac ſiniſtra jam olim obtinuit apud multos, quam priſci ſubinde Vates ac Scriptores experti ſunt, quibus hodieque paſſim fungos ac verveces, inconditas præferunt eluviones, eosque præ ſuæ ætatis aut regionis hominibus deſpiciunt, à quorum coquis, aut mulionibus, ſi jam nunc viverent, ſcribendorum carminum laude facile vincerentur. Vobis tam cornea fibra non eſt, qui longe aliter cenſetis, nec poſſe hodie aut comtioris aut perfectioris Poëſeos genus, quam ex Veterum Poëmatibus addiſci, ſi quis hæc diligenter verſet & cum judicio tractet, exemplo Veſtro abunde probatis. Et hæc frequens Auctorum antiquorum lectio Vos aliquantum faſtidioſos & delicatos reddidit, ut nihil incomtum, nihil tritum ac vulgare, quodqve remotum longius ab antiquitatis genio, ad guſtum faciat. Atqui ita Morhofiana iſta comparata ſunt, quæ in conſpectu Veſtro nunc audent apparere, ut antiquioris Muſæ ſpeciem, puram illam & incontaminatam facilitatem ac elegantiam,

abunde præferant. Et fuit in *Morhofii* noſtri laboribus id palmarium, ut priſcos illos & maxime probatos Auctores in ſinu, in oculis, quin animo potius atque memoria ferret, & ad eorum rationem ſe penitus fingeret aliosque. Hos & aſſidue & diligenter verſabat ipſe, & ad optima quæque in literis capeſſenda excitabat alios; ut regulam quandam & normam in erudita antiquitate ſectarentur, ad quam componerent ſua & exigerent, nec ſe vel diſtrahi ad varia, vel deduci ad deteriora exempla libenter paterentur. Talem viam præibat ipſe cum laude, & ad iſtos fontes plures ſecum ducebat ſcilicet. In quo certe præcipuos boni Magiſtri numeros mihi videtur abſolviſſe, qui quod ſanum maxime optimumque ſit diſpiciebat accurate; & candide juxta utiliterque Suis monſtrabat, nec leviter & perfunctorie tot graviſſimis monitis exemplisque inculcabat. Neſcio enim quo malo fato accidat, ut juvenum animi in pejora fere labantur, & optimum quemque Scriptorem plerumq; negligant, nec ſibi ad imitandum proponant, corruptos vero, quique turgent inaniter, ac nubes & inania captant, admirentur & effingant.

Verum

Verum hæc non juventutis tantum, ſed adultioris etiam ætatis labes eſt, quæ ſummos principesque noſtri ac ſuperioris ſeculi viros quandoque infecit. Quid *Ciceroni* factitatum nolo altius repetere, à cujus lectione *Politiani* ac *Pici* auctoritas jam olim plures abſtraxit. At enim *Politiano Paulus Corteſius*, *Pico Petrus Bembus*, obviam iverunt, & ad Ciceronianam lectionem imitationemque ſuæ ætatis homines revocarunt. Id quod penſi quoq; habuerunt *Julius Cæſar Scaliger & Stephanus Doletus*, caveruntque ſedulo, ne quis *Eraſmi* dialogo à vera & incorrupta *Tullii* eloquentia dimoveretur.

Sed longe meliora monet pugnantiaque iſtis

Eraſmus ipſe, dum jam jam ſenior factus ad *Johannem Vlattenum* hiſce verbis ſcribit: *Mihi puero minus arridebat Cicero quam Seneca; jamq; natus eram annos viginti, priusquam ferrem diutinam ejus lectionem, cum cæteri pene omnes placerent. An ætatis progreſſu*

 pro-

profecerim, neſcio; certe nunquam mihi magis placuit Cicero tum, cum adamarem illa ſtudia, quam nunc placuit ſeni: non tantum ob divinam quandam orationis felicitatem, verum etiam ob pectoris eruditi ſanctimoniam. Profecto meum afflavit animum, meque mihi reddidit meliorem; itaque non dubitem, hortari juventutem, ut in hujus libris evolvendis atque etiam ediſcendis bonas horas collocent potius, quam in rixoſis ac pugnacibus libellis, quibus nunc undique ſcatent omnia. Me vero, tametſi jam vergente ætate, nec pudebit nec pigebit cum meo Cicerone redire in gratiam; priſtinamque familiaritatem, nimium multis annis intermiſſam, renovare. Scilicet illa Latini ſermonis facilitas & puritas, quæ fundamentum ſinceri ſtyli ac incorrupti eſt, ille nitor ac cultus mire jucundus ac elegans, leniterque ac naturaliter fluens, plerumq; adeo ſordeſcit, dura vero, frigida & inflata oratio, utpote non ita trita, & fortaſſe argutior,

magis

magis arridet. Qualis eſt *Apuleji*, *Flori*, *Barclaji* aliorumque, quorum hominum glandes arbitrantur eſſe ſuaviores, quam ſit *Ciceronis* nectar & ambroſia.

Similis fatuitas eorum quoque, qui Poëticis ſtudiis operam navant, animos ſubinde occupavit. Heic enim faſtus ille & contemtus optimorum Poetarum apud multos hodieque dominatur, ut *Perſius* quam *Horatius*, *Statius* aut *Claudianus* quam *Virgilius* & *Ovidius*, libentius & majore cum ſtudio pervolutentur; ac fere

Carmina nulla probent, dulci quæ tramite currunt;
Sed quæ per ſalebras altaq; ſaxa cadunt.

Imo ut laſciviam illam atqve inanem verborum granditatem, ampullas & nugas illas canoras, pluris faciant, quam verſus faciles, eruditos atque elegantes, qui & Latinæ proprietatis ſtudioſiores ſint, & recti ſermonis regulam cuſtodiant magis. Quo vitio nunc paſſim laborant, frequentius vero apud

 Ger-

Germanos, & ut libere Vobiſcum agam, Viri Celeberrimi, apud Veſtros etiam Belgas. Inde fit, ut argutum & affectatum illud ſcribendi genus, quod per quosdam Poetas Hiſpanos poſt Auguſti tempora in Latium invectum, ubivis ferme locũ habeat, ac candor ille prioris & melioris ævi, delectusque ac exquiſitus nitor, ſed ingenuus, nihilque affectatus, nativus lepor & gratia, magna iſta ſolicitudo numerorum & accuratio, non ſemper eo æſtimentur pretio, quo debebant apud peritos harum amœnitatum cenſores. Profecto novi ego, qui non tantum in Germania noſtra, ſed etiam apud Vos, *Propertium*, *Catullum*, *Virgilium*, aliosque antiquæ monetæ ſcriptores, nequaquam ea exiſtimatione dignos cenſent, & *Lucanum* aut *Claudianum*, & qui hos exprimunt, majoris omnino faciunt, quàm omnes *Virgilii* imitatores. Et abunde cognitum Vobis itidem eſt iſtud ſeclum inſipiens & infacetum, quod Therſiten cum decoro, agreſtem cum erudito comparare ſæpius audet, & vel præſtantiſſimis Poetarum accenſet, qui tanti non ſunt apud Vos Veſtrumque ſimiles, & ut infelices olim Megarenſes,

ȣ̓δ' ἐν λόγῳ, ȣ̓δ' ἐν ἀριθμῷ.

Nolo hujus rei exempla arceſſere, & nonnullorum odium vel offenſam in me concitare. Sed de *Barlæo* tamen quid dicam? Ut ut enim non negem egregium fuiſſe Poëtam, nec invito Apolline natum, qui tam benignum faventemque ſe ei exhibuit, ut nulli recentiorum, ne *Grotio* quidem aut *Heinſio* veſtro, hac in parte ſit poſtponendus. Dictio tamen ejus, ſi honeſte & candide peragenda cenſura, prava & corrupta eſt, tota κακόζηλος affectataque, & ad pompam ac inanem ſpeciem, ad ineptam putidamque oſtentationem compoſita. Floriditas quoqve declamatorio magis affectui obnoxia, quam ſummorum auctorum auctoritas ferat. Quod olim *Caſpar Barthius* de *Curtio* cenſebat. Quantus in eo tumor? Quanta ſermonis impuritas? Ratio nulla verborum aut rerum, & maxima Poëticorum numerorum incuria. Sententiæ vero frigidæ ac ſubputidæ, & licet in Elegia ac Scazonte quædam gemmulæ inſertæ ſint, clavi velut late ſplendentes intertexti, illa loquacitate tamen, illo dicendi ſqua-

ſqualore non aliter contaminantur,

Ac Aretinæ violant cryſtallina teſtæ.

In Heroicis autem, in Epicis, quamvis optime ſonantia ſint verba, & pleraque jucunde ac molliter ad aures allabantur, animum tamen non feriunt ac vincunt, & judicio fere atq̃ue ſenſu deſtituuntur. Et ſane aliter fieri non poterat, cum non optimum quemvis, quod recte vir diſertiſſimus in Epiſtolis monet, ſed *Claudianum* ad imitandum ſibi proponeret. Cujus ſe umbram eſſe gloriatur in iſto *Claudiani* elogio:

Te ſequimur Phario vates celebrate Canopo,
Solaq; laus noſtri carminis umbra tui eſt.

Eſt ille quidem inter diſertiſſimos Poëtarum, cujus dictio numeroſa ſatis ac ſonora floridaque, & ultra ſeculi ſui genium caſtigata. Vehementer tamen à Virgiliana, aurea illa & incorrupta, Poëſi diſcrepat, adeo ut inter optimos & præſtantiſſimos Poetarum, quod *Buchnerus* & alii exiſtimant, locum difficulter tueri poſſit. Eſt enim in carminis ejus menſura, ut alia mittam, neſcio quid pueri-

puerile ac ſubſultans, quod imperitorum quidem aures titillat, ſed elimato judicio, quod in convenientia rerum & verborum fundatur, parum ſane convenit. Neque poteſt unus idemque ſemper tenor in carmine uſurpari, ſed debet is pro varia periodorum Poeticarum ratione diſtingui. Et ut inſurgat decore & intumeſcat aliquando, iterumqve remittat, ubi opus eſt, conſequimur cæſorum ac periodorum ſola inæqualitate. Quod pulcerrime obſervat *Virgilius*, cujus alia menſura, alia pedum compoſitio eſt in narrationibus, deſcriptionibus, orationibus, & tanta periodorum numerorumque variatio, ut ad eam perfectionem nihil addi poſſit. Hujus rei quanta negligentia in *Statio, Lucano, Claudiano, Silio Italico?* Ubi admirabilis illa harmonia, ſvavitas, gravitas ipſorum pedum æqualiter inæqualiter temperatorum, per clauſulas verborum fractorum, ac intra regiones ſuas aliter aliterq; interceptorum? Ut de junctura illa literarum nihil addam, cum vocales ac conſonantes ipſæque ſyllabæ ita miſcentur, ut rei naturam tam apte jucundeque exprimant, ut ea geri potius quam cani, ſpectari magis

quam

quam audiri videatur. Talia infinita ſunt apud *Virgilium*; quæ captum imperitorum longe excedunt, doctiores vero & prudentiores impenſe admirantur; quæ nihil tritum, vulgare, hiulcum, nihil elumbe ac contortum patiuntur, ac neſcio quid virile & ſtupendum plane, ac majus humana voce videntur ſonare. *Claudianus* certe iſtud faſtigium non attingit, & quod in Maroniana dictione, in illa periodorum ac numerorum varietate præclarum putamus, vix eſt, ut ejus vel levem umbram oſtentet. Sic eadem ſemper oberrat chorda, quod ridiculum exiſtimat magnus iſte dicendi magiſter. Hunc qui in exemplum ſumunt, & ad ejus imitationem ſe componunt, à Germana ac aurea antiquitate plurimum deſciſcunt ac degenerant, neque terſè ubique ſatis, ſed affectate ſæpius & putide loquuntur. Quid quod cincinnis ac calamiſtris declamatoriis, fucis atque coloribus, valde quam multos trahunt, nativa illa & infucata caſtitate, ingenuaque pulchritudine, non placent. Et hi nævi Clariſſimorum Poëtarum opera hodie non raro deformant, nec diffiteor in caſtigatiſſimis *Nicolai Heinſii* Poëmatis eſſe

multa

multa, quæ culpam hanc & Claudianiſmi notam effugere non poſſunt. At vehementer ingraveſcente ætate doluit, & prope indignatus eſt Vir doctiſſimus, quod adeo frequens & aſſiduus cultor fuerit hujus Poetæ, unde luxuries illa atque inanis tumor, qui longe ſane abeſt à ſublimitate, vel invito nolentique obrepere ſolet, nec ulla magis via in κακοζηλίαν itur. Quod omnium in eloquentia (ſoluta juxta ac ligata) vitiorum peſſimum eſſe recte dudum præcepit *Quintilianus, VIII. 3. κακόζηλον vocatur, quicquid eſt ultra virtutem, quoties ingenium judicio caret, & ſpecie boni fallitur: omnium in eloquentia vitiorum peſſimum. Nam cætera cum vitentur, hoc petitur.* Hæc tamen eo accipi velim, non quod Poetarum diſertiſſimum plane excutere elegantiorum hominum manibus cupiam, ſed quod cum judicio potiſſimum & delectu legendum putem. Ne pro Junone nubem, frigida ac arida pro concinnis, μετέωρα pro grandibus & magnificis amplexemur, ac ſanis & exactis corrupta & vitioſa, recentiorum æs & plumbum auro Virgiliano, præferamus.

Id quod præſertim in lubrica illa ætate proclive admodum eſt, quæ raro hodie ad meliora adſveſcitur, & virtutes antiquorum præſtantiamque non ſatis capit, nec dijudicare poteſt, quid diſtent æra lupinis. Hinc ſæpe ego vicem Juventutis ex animo doleo, qui in iſto lubrico ac primordio ſtudiorum à prudentioribus Magiſtris deſtitui fere ſolet. Memini cum ego quoque *Statium* & *Claudianum Virgilio* anteponebam, & ſtolidæ inconſultæque menti adeo indulgebam, ut præ recentioribus antiquos inſanire fere putarem. Et in eo me juvabant ſuffragia aliorum, certe qui cautiorem aliquanto ac diligentiorem redderet, prudens monitor non aderat. Donec tandem divino beneficio velut ἀπὸ μηχανῆς aliquis contingeret, qui ab his portentis omni opera ac ſtudio avocabat, muniebatque contra blandos iſtos errores. De quibus alii valde gratulantur, & tanto magis ſibi plaudunt, quo propius ab iſtis ineptiis & lenociniis abſunt. Id enimvero maxime ſolenne nunc eſt, ut quæ corrupta ſunt eximia & præſtantiſſima habeantur, vulgariaque ac communia, in quibus ipſa vis orationis Scriptoriſque virtus

præci-

præcipue patet, tum pulcra venuſtaque, quæ fucis illita turpitudinem ſuam diſſimulant. Quæ temeraria ratio ne diſciplinæ ſuæ alumnis fraudi eſſet, operam ſedulo dedit *Morhofius* noſter, & ad Veterum lectionem imitationemque faces prætulit. Quod ipſi verſus non tantum abunde teſtatum faciunt, ſed & plura ingenii monumenta luculentiſſime docent. Nec potuit Vir optimus, quin ſub finem Polyhiſtoris ſui literarii, *cap.* XIII. XIV. XV. XVI. de hac methodo nonnihil ageret, rationem imitandi erudite monſtraret. Eſt tamen in vicina Academia Veſtra, qui eam operam *Morhofii* minutiorem ac putidam ſibi videri mihi coràm dictitabat. Cumque multa in incomparabili iſto opere reprehenderet, hoc item velut indignum & ad pueros ablegandum, neſcio quo ſupercilio, notabat. Quod cui humaniori & doctiori paulo perſvadebit? Nemini ſane, qui *Sturmii*, *Riccii*, *Gyraldi*, *Mirandulani*, *Voſſii*, *Ferreri*, *Doleti*, *Schotti* aliorumque ſimiles labores in pretio habet, quos ille cenſor nec digne ſatis poterit æſtimare. Ut alia *Morhofii* prætercam, ubi vetuſtior illa imitatio tot e-

logiis inſignitur, egregiisque argumentis præcipue ſvadetur. Idque nec immerito, cum omne punctum hæc imitatio ferat. Quicquid ſapimus, quicquid etiam deſipimus in literis, id omne ab imitatione eſt. Sicut in pictura contingit, ut ii omnino excellant, qui doctorem, & quem imitarentur, vel Protogenem vel Apellem aliquem habuerunt. Jam vero ſint pictores parietinarii, quod ſorte mala obvenerit ipſis ejusdem cenſus momentique magiſter. Ita qui ſibi proponunt imaginem quandam admirabilis pulcritudinis in eloquentia ac Poeſi, quam dicendo ſcribendoque exprimere repræſentareque adſveſcant, nec ludent operam profectò, & ad ſummam laudem perfectionemque apprime proficient. Quod ipſum Veſtro, Celeberrimi Viri, exemplo abunde comprobatis. Factum enim eſt, ut Tu, Mi FRANCI, ex aſſidua illa *Ovidii* & *Virgilii* lectione ac imitatione iſtud culmen attingeres, at Tu, Mi BROECKHUSI, cum *Propertium* Tuum ad unguem fere exprimas, huius quaſi ævi Propertius jure meritoque ſaluteris. Scilicet hic ille campus eſt in quo præcipue ingenium

genium induſtriamque exercetis ; certe Diviniſſimam artem Vos ita tractatis, ut pauci, imo nulli, hodie ea laude Vobiscum conferri poſſint. Hac etiam fama cum jam à pluribus annis effloreſceretis, eandem Vobiſcum viam ingredi nunquam non laudi ac gloriæ ſibi *Morhofius* duxit. Et licet fortaſſe in id quod optavit faſtigium non aſcenderit, licet tanta elegantia & puritas, vel ſobrietas quoq;, & facilitas, in hiſce ejus carminibus ubique non adſit, uberem tamen quandam a natura venam, & Divinum quoddam ingenium, & bonorum lectionem Scriptorum, usque quaque perſpicietis. Inter quos vetuſtiores potiſſimum eminent, ad quorum imitationem ſe componere cum cura ſolebat. Neque tamen formam ſemper eandem, nec ubique ſimilem, ſecutus eſt, quæ in iſtis ut non una, ita nec antiquorum ubivis genium ſapit. Ut virtutes eorum præſtantiamque intelligeret rectius ac plenius, etiam alios ſubinde legebat. Rudem enim eſſe in noſtris plane Poetis, aut inertiſſimæ ſegnitiæ videbatur, aut faſtidii delicatisſimi. Nec quia *Sophocles* in Tragœdia excellit, idcirco *Æſchylum Euripidemq;* contemnimus.

 Non

Non ſi priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæq; & Alcæi minaces
Stheſichoriq; graves Camœnæ.

Neque prætereunda ſeculi noſtri ingenia, quibus nihil diſertius interdum, eruditius, cultius in hac arte, quin addo & ſapientius. Habent Itali, Galli, Belgæ, Scoti, Germani, quos cum ipſis Veteribus comparare non temere poſſint. In Heroico carmine quid *Rapini* Poëmatibus elegantius? Cujus eclogæ & libri de cultura hortorum dictionem Virgilianam adeo exprimunt, ut nec ovum ovo ſit ſimilius. Inter Germanos Heroicorum ſcriptores inſignis plane eſt *Buchnerus*, cujus exſtant pauca quidem in iſto genere, ſed docta, venuſta, florida. In Elegiacis nihil eſt *Petro Lotichio* Germano ſvavius, quem ipſum pene *Ovidium* interdum vincere dixerim. In Jambis *Dominicus Baudius* antiquis certe palmam ambiguam facit. In Satyricis & Lyricis omnino elegantiſſimum ingenium *Baldei*. *Grotius* ſicut ubivis magnus eſt, ita Divinus plane in omni carminum genere.

re. Et quid quæſo *Danieli Heinſio* in quovis carmine ad ἀκμὴν, ad ſummam præſtantiam deeſt? Quid *Commirio*, *Ruæo*, *Vavaſſori*, *Petito*, *Menagio*, *Huetio*, *Santolio*? Quam lectisſima ſunt & longe remota à ſcribentium vulgo ſeptem Virorum illuſtrium Poëmata? In quibus præ cæteris eminent illa *Ferdinandi Furſtenbergii*, Epiſcopi Paderbornenſis & Monaſterienſis, itemque *Jo. Rotgeri Torillii*, Præpoſiti Mindenſis, &c. Pene omiſerā inter Danos *Chriſtianum Hagardum*, *Vitum Beringium*, *Olaum Borrichium*, in quibus omnia eximia ſunt, niſi quod ille tumor ac fucus, & affectata *Barlæi* luxuries interdū occurrit; inter Flandros *Sidronium Hoſſchium* & *Jacobum Wallium*, quorum elegiis & phaleucis, cæteriſque nihil fingi formarique elegantius, & ad omnem antiquitatis ſaporem dulcius & exactius poterat. Atque plura adhuc de Veſtris, amicisſimi Viri, Muſis memorarem, quæ cum priſcis eruditione & elegantia certare omnino videntur. Sed modeſtia Veſtra mihi frenos injicit.

Horum omnium virtutes noſter æmulabatur, quas pro lege ac norma ſemper habebat. Hinc magna in eo verborum cura, delectusque, magna ſolicitudo numerorum. Quantum ſententiarnm acumen eſt? Quæ argutiæ? Quæ lumina earundem & gemmæ. Atqui omnia iſta laborem ſatis enixum, & ſtudium incredibile, ac ungues demorſos, præferunt. Ο'υ γὰρ ἦ τῶν ἐμȣ́ντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριϐȣ́ντων: *Non enim erat è numero vomentium, ſed cum cura aliquid elaborantium*, quod *Ariſtides* olim *Marco* Imperatori roganti, quando eum eſſet auditurus, *Eunapio* in Proæreſio teſtante, reſpondebat. Nec æmulabatur *Agatharcho* pictori, cui de celeritate ſua in pingendo glorianti *Zeuxis* ajebat, *dici ſe pingere, quia pingeret æternitati*. Ἡ γὰρ ἐν τῷ ποιεῖν εὐχέρεια, καὶ ταχύτης ȣ̓κ ἐντίθησι βάρος ἔργῳ μόνιμον, ȣ̓δὲ κάλλȣς ἀκρίβειαν. ὁ δ' εἰς τὴν γένεσιν τῷ πόνῳ προσδανιαθεὶς χρόνος ἐν τῇ σωτηρίᾳ τȣ̃ γενομένȣ τὴν ἰσχὺν ἀποδίδοσιν. *Facilitas*

quippe

quippe operis ac celeritas, ut *Plutarchus* in Pericle monet, *non addit illi ſolidum pondus, neque accuratam elegantiam. At ſi labori tempus longum quaſi fœnerato acceſſerit, robur naſcenti additur operi.* Sunt tamen etiam, quæ ſine cura ac meditatione, & quadam feſtinandi voluptate, fluxerunt, ita ut nonnulla laude pariter ac culpa vacent; alia propius ad dulcia illa, quæ *Fabius* vocat, vitia accedant. Multa quoque nolim excuſare; & ſi res mei arbitrii fuiſſet, mallem ut Typographus plane omiſiſſet. At cum jam opus ad finem perduxiſſet, tum demum, qui ſumtus faciebat, præfationem meam ſummopere efflagitabat. Ut in poliendis adeo & retractandis nonnullis lima plane nulla adhiberi potuerit. Quod tamen vehementer olim exoptabat beatiſſimus Vir; ac libenter in ea quæ ſcripſerat amicorum cenſuram admittebat. Memini cum meum quoque, quod præfiſcine dixerim, judicium expoſcebat; & ſub incudem identidem ſua ſcripta revocabat, nec ſibi fere unquam in iis ſatisfaciebat. Ac eam pene operam impendit, quam parturientis laboribus ipſe comparare ſolebat,

ut περιεργίας certe & anxiæ nimis diligentiæ accuſari poſſet. Quam influentia tamen ſubinde negotia interturbabant, ut otio & poliendi tempore ſæpius deſtituerentur, & nec naturam ſequi liceret, nec impetum, vel ſacrum illum inſtinctum, ſine quo vel magnum vel excellens, nec fuit quicquam in hac arte, nec unquam erit. Et ita fere cum Poëtis ut cum gladiatoribus olim agitur, qui ad alienum arbitrium edebant, non ut bene viverent, ſed ut fortiter perirent. Neque ſemper ad nutum illi Muſas habent; aſpernantur ſæpe delicatulæ iſtæ Deæ ſuorum amplexus & refugiunt; ac licet nihil tam difficile ſit nonnunquam, quam carmen non ſcribere, interdum tamen facilius è pumice aquam, quam ex fœcundiſſimo etiam pectore guttam humoris Poëtici elicias. Sic *Morhofii* quoque ratio erat, qui nec ſe ab omni culpa labendiq; periculo prorſus immunem fatebatur. Et quotusquisque tam propitia Minerva natus eſt, ut nunquam dormitet vel erret? Inter optimos etiam Poetas nullus unquam exſtitit, qui non humani aliquid patiatur. *Neq; id ſtatim legenti perſvaſum ſit,*

inquit

inquit *Quintilianus* lib. X. cap. I. *omnia, quæ magni auctores dixerint, utique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando & oneri cedunt & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati; nec ſemper intendunt animum & nonnunquam ſatigantur; cum Ciceroni dormitare interdum Demoſthenes, Horatio vero etiam Homerus ipſe videatur. Summi enim ſunt, homines tamen: accidítq; iis, qui quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, (id enim eſt facilius) ac ſe abunde ſimiles putent, ſi vitia magnorum conſequantur.* Nec prætereundum, quod continuo ſubjungit; *Modeſte tamen & circumſpecto judicio* de *tantis Viris pronuntiandum eſt; ne quod pleriſq; accidit, damnent, quæ non intelligunt: ac ſi neceſſe eſt in alterutram errare partem; omnia eorum legentibus placere, quam multa*

diſplicere maluerim. Non attingam ea, quæ *Julius Cæſar Scaliger, Gerard. Jo. Voſſius*, aliique de Poëtarum erroribus abunde notarunt, ne cupreſſum, quod ajunt, ſimulare videar. At enim quis frigidos in *Plauti* Comœdiis ſales, & τὸ ἀνοικονόμητον, quod in iis frequens omnino, volet æmulari? Quis in Epigrammatis amet hiatus vel crebras ſynaloephas *Catulli*? Quis in carmine epico, qui eſt ſummus Poëſeos conatus, cui tam pauci etiam ex antiquitate ſuffecerunt, imperfecta *Maronis* hemiſtichia probet? Quæ morte præventus non potuit cum incomparabili Æneïde ſua ex ſententia perficere.

Memini cum hoc ipſemet in laude ponebam, quod in tribus libris de immortalitate animorum imitandum quoque ſibi exiſtimavit *Aonius Palearius*, feliciſſimus omnium, quotquot novi, tum qua dictionem, tum qua numeros, in re Oratoria *Tullii*, & *Lucretii* in Poëtica imitator. Cujus ſane quam nitidam editionem Veſter nuperrime *Wetſtenius* procuravit. Et ſoles ille venuſtius atque poli-

politius dare, & rerum ſuarum magis ſatagere, quam noſtri homines, qui ſæpius ex aliis nundinis in alias tricas nectunt ac moras, & cunctando penitus rem perdunt. At quam vellem illæ epiſtolæ acceſſiſſent, quibus meam locupletare editionem cogitaram. Sed haud ſcio quomodo acciderit, ut eæ ſpes fruſtra fuerint. Quin imo eſt in Tuo quoque *Ovidio*, Mi FRANCI, eſt in Tuo *Propertio*, BROECKHUSI, quod ego nolim imitari. Abſit tamen ut *Victorio* aſſentiar, qui *Ovidium* ut vita ita oratione & verſibus enervatum cenſet. Abſit ut *Julii Cæſaris Scaligeri* judicium meum quoque faciam, qui unam elegiam *Balthaſaris Caſtilionæi* plurimis Propertianis præponit, quod amico non vero datum rectius omnino judicavit *Lipſius*. Et utinam à Vobis horum præſtantiſſimorum Poëtarum luculentiorem, quam adornatis, editionem propediem haberemus. Egregie ſane de Publico hoc etiam nomine uterque Veſtrum merebitur. Ac quis melius id exequi poterit quam Vos, qui nihil in iſtis auctoribus inexcuſſum reliquiſtis?

Cæte-

Cæterum hæc mea item ratio eſt, ut eorum admirator ſim, qui more antiquorum ſcribunt, nec illis quidem omnia condonant. Quod nolim quoque fieri *Morhofio*, cujus erroribus ecquis impune aſſentabitur, quibus paſſim & ſubinde hæc opera Poëtica ſcatere, nec à tam pulcro corpore maculas omnes ac ſordes abeſſe, iterum iterumque confiteor. Interim tamen licet nonnulla ei exciderint, à quibus mallem abſtinuiſſet, carminibus tamen ſuis ſemper aliquid argutum, quod lectorem alliciat, aut eruditum, & quod διδασκαλίαν habet, aut morale aut politicum interſerit. Et ad invenienda venuſta argumenta ingenii felicitas nusquam deeſt, nec ad ordinanda judicium. Sed nec eloquentiæ facultas abeſt, nec ſermonis puritas & ſuavitas. Vis & elegantia in clauſula fere arguta & aculeata, quam noſter ſummopere captabat, nec lepores detrectabat ac ſales, aut alios ingenii luſus, ſed doctos, ſed urbanos, & qui ab antiquorum elegantiis non recedunt. Hinc verſus ἀντιστρέφοντες, ἀκρόστιχοι, Ecchoici, ἀναγραμματισμοὶ, aliique ejus generis, aut nunquam aut raro apparent.

rent, Qualibus nugis qui maxime capiuntur, eos, ut ait *Martialis*, mattya ſola juvat, non pane, &, quæ famem explent, obſoniis delectantur; cum revera nihil ſint aliud, niſi meræ quisquiliæ, quas merito irrident ſaniores Poëtæ atque exagitant, & ut illepidam inſulſitatem ad imperitorum circulos ablegant. Certe barbarorum ſeculorum hoc inventum fuit; quæ cum ad illam antiquorum in verſibus majeſtatem aſpirare non poſſent, ad nugatoria iſta levia atque inepta deſciverunt. A quibus multum abfuit *Morhofius* noſter, qui veram magis Poëſin in pretio habuit, nec in hisce illius imitamentis, ſeu potius dehoneſtamentis, operam & induſtriam occupavit.

Sed de illo ſatis. Nolo enim, nec vacat nunc, plura addere, ut Vobis judicium omnino integrum reſervem, qui & veriſſime de talibus judicare poteſtis, & id ſerio omnino agitis, ut humaniorum artium linguarumque ſtudia revocentur denuo, &, quo obducta jacent, à contemtu & ſqualore vindicentur. Hæc noſtræ Germaniæ, hæc patriæ quoque Veſtræ calamitas eſt, quæ niſi emendetur mature à Vobis Veſtrumqne ſimilibus, quorum pauci admodum

dum in Belgio ſunt, pauciores in Germania, non deſperatius modo jacebunt literæ, ſed penitus interibunt. Cæterum bene ſit tam eruditis, tam candidis apud Vos animis! *Grævio* inquam, *Gronovio*, *Perizonio*, *Almeloveenio*, aliisque, quos omnes multa & officioſiſſima ſalute impertietis. Bene etiam Vobis, par nobile Vatum, quos literarum bono ſupereſſe quam diutisſime, & inter ſeculi noſtri clariſſima decora florere deinceps, tum veterem illum in me, quem amici ex Amſtelodamo Veſtra ſubinde deprædicant, abundantiſſime ſervare affectum, voveoque unice ac opto!

Scribebam raptisſime, *Kiloni Holſatorum*, ad. d. II. Februarii, A. *cIↄ Iↄc XC VII.*

Inter tot curasque catenatosque labores.

CHARITES.

LIBER I.

OTIA DIVINA

olim dictus.

DEO

OPT. MAX.

S.

MAgne DEUS, cujus mortales veſcimur aurâ,
Cujus in hos artus ſpiritus ore venit,
Cui ſe Mens totam, cui templum pectora debent,
Et vectigales non ſua lingua ſonos,
Qui per inacceſſos immenſus ſpargeris orbes,
Ut tamen & minimis magnus adeſſe velis.
Me Tibi ſiſto pigræ tenuem telluris alumnum,
Ac humili merſum pulvere tollo caput.

Tu quondam ætherei duxiſti in luminis auras;
Quod mihi vivo, Pater; quod Tibi vivo, tuum eſt.
Quod mens non læva eſt, quod honeſti tangitur œſtro,
Quodq; tui fervet Numinis igne, tuum eſt.
Reſpice me, (quid enim non ſpectas, maxime rerum
Arbiter, aut oculos quæ fugit umbra tuos?)
Reſpice me timidis muſſantem carmina labris,
Qui Tibi curvato poplite tendo manus.
Reſpice difficili luctantia vota palato;
Hoc quoque, quod poſſum fundere vota, tuum eſt.
Ni mihi lenta tuus ſuſpiria Spiritus armet,
Non erit, alatas quæ ferat aura, preces.
Reſpice Me ſacrumque Tibi, BONE, ſuſcipe munus:
Non meus, ut tua ſim victima totus, ero.
Dividar orbe; ſibi junctos mens exuat artus,
Ut tua ſit, Nati ſanguine tincta tui.
Nunc pro tot meritis Me, verbaque grata rependo.
Hæc Tibi ſi placeant, ipſe placebo mihi.

Si Tibi verba fero, Rerum Faber, annue verbis.
Me Tibi ſi reddo, quod Tibi reddo, tuum eſt.
Quæ tenuis quondam ſacra Muſa per otia luſit,
Carmina, præconis munere functa fero.
Seu Nato bona verba profudit ſedula VERBO;
Victori plauſus ſeu dedit illa DEO.
Seu pluvios cecinit divini Flaminis ignes;
Seu meritis Genios laudibus illa tulit.
Hæc tempeſtivis diſpunximus otia curis:
Hæc tua ſunt: ſed & has dicimus eſſe tuas.
Pierides; DEUS hæc, dixerunt, otia fecit:
Redde tuas Curas, Otia, Teque DEO.

IN NATALITIORUM CHRISTI Sanctam memoriam.

Ad Juventutem Academicam.

1.

HUc mentes, oculos & ora, Cives,
Huc vos vertite, quosque puriores
E Bruma videt Orbis ire ſoles,
Et natam mediis diem tenebris,
Præ quâ non ſatis ipſa lux ſerena eſt,
Et lux merſa ſuis jaceret umbris,
Abſorptasque die novo tenebras,
Natum Nocte DEUM, pio, ſereno
Caſto pectore volvite, entheoque
Aſtri nunc orientis igne tactas,
Plusquam Memnonis arte ſed canoras,
Fœtas Numine provocate linguas.

O Noctem ſibi non piisque Noctem!
Sed quam lux vetat eſſe tanta Noctem.
Supra ſecula cuncta glorioſam,
Supra ſidera cuncta luminoſam,
Quæ quondam orbibus evoluta juſtis
Se nobis dedit, omnibusque priſcas
Abſolvit numeris Patrum figuras,
Abſterſit veteris venena ſecli:
Quam vel ſolibus æmulam ſuperbis
Hoſpitis utut aucta Luna flammis,

Et lapſa attonito tot aſtra cœlo
Mirantur face non ſuâ coruſcam.
Jam bonâ bona nocte verba dicat,
Qui veſtrûm bonus eſt, bonamque mentem
Intimis amat & colit medullis,
Et luces ſibi ſperat hinc beatas.

Dixerunt bona verba, qui frequentes
Fuderunt per opaca noctis hymnos
Cœleſtes Genii, & novum ſonoros
Cantantes docuere carmen orbes,
Et Paſtoribus editum ſodalem,
Paſtorem populi & ſalutis arrham
Altâ voce piæ tulere genti.
Præclarum venerata quæ tribulem
Et regnantem in ovilibus magiſtrum,
Et fœno poſitum ſalutat Agnum
Flexo poplite, quodque in his ocellis
Hoc ſe pectore faſciisque totum,
Ceu cœlo breviore, Numen abdit,
Dum turpi jacet obrutus veterno,
Et totos furit Orbis hic Decembres.
Illo ſe DEUS exhibet theatro
Ignotum Solymis ſuisque terris,
Spectandum tamen omnibus, remotis
Spectatum quoque Regibus Magiſtrum.
Hîc DEO ſua regna ſunt, & arctâ
Majeſtas dominatur illa caulâ,
Solis creſcere quæ poteſt latebris,
Et ſecura ſuo triumphat antro.
Stat ponè & calidas DEO miniſtrat
Bos apparitor ac Aſellus auras.

At

At Tu lumina tolle, tolle mentes,
O Muſis ſacra Numinique pubes:
Seu Tibi, Ducibus quod olim Eois,
Certum ſignet iter; trahatve quod nunc
Longo ſyrmate verrit aſtra ſidus, *
Et terris male conſciis minatur.
O fœdas animo repelle nubes
Natalesque DEI ſubi tenebras.
Qui non ſentit in his diem tenebris,
Illum nulla dies nigrum ſerenat,
Et nox continua, una, ſpiſſa mergit.
Qui nunc ergo pio peruſtus œſtro
Divinæ cupit hoſpes eſſe lucis,
Gentiles Erebo redonet umbras,
Naſcentique hodie DEO fideles
Pandat, pectora dedicata, Cunas.
Hîc vinclis ſibi faſciisque ſtringat
Volentem Pietas, tenacibusque
Manſurum liget hoſpitem catenis.
Si naſci Puer ille vult in illis:
Nos illo Patre poſſumus renaſci.

II.

AT vos ad ſtabulum venite Muſæ!
Muſarumque novem pii ſodales.
Non vos edita Montium theatra,
Parnasſi juga, verticesque Pindi
Æternis nemora explicata lauris,
Sed ſpelunca vocat, ſed hirta, fœda
Brutorum domus & lares iniqui:

* *Alluditur ad Cometam illo tempore lucentem*

At Phœbo meliore nunc ſuperbi:
Non ſertis caput aureum revincto,
Sed fœno male nuda membra fulto:
Auritum cui bucerumque ſervit
Ad præſepe pecus, rudesque vaſto
Nato bos pius ore fundit hymnos,
Queis miſtos Aſinus ſonos figurat,
Et balatibus accinunt bidentes.

At vos ad ſtabulum venite! Non ſe
Majori DEUS explicat theatro,
Quo ſe vaſtius ambit ipſe, & ultra
Terras porrigit æquorumque campos
Aſtrorumque vias, & alta cœli;
Hoc ſe celſius exhibet videndum,
Cum ſe contrahit in minuta ſummus,
Cum ſe virgineo ſinu recondit,
Cum vili, pecorum ſodalis, infans,
Arctatur DEUS, Agnus ipſe, caulâ,
Terramque æthere, luce miſcet umbras,
Et cœlum ſtabuli occulit tenebris.

At vos ad ſtabulum venite! quotquot
Sanctioribus uſta corda flammis
Divinis ſaturabitis faviſſis.
Hîc ipſis Schola panditur Magiſtris,
Hoc nata eſt Sapientia in Lyceo.
Huc ad Bethlemias venite Athenas,
Queis unum docet eruditque Verbum
Omnes omnia, nuperos ephebos;
Omnes omnia, lynceos magiſtros,
Præque hoc, bis pueros, ſenes, puello.

Illo

Illo diſcite vagiente, quicquid
Arcani latet inter aſtra veri,
Mens humana quod extulit, quod omni
Signavit ſibi docta gens ab ævo.

At vos ad ſtabulum venite gentes!
Huc omnes properate mente totâ,
Veloces Amor ipſe junget alas,
Nunc in his poſitus puſillus umbris.
Præfert ipſe faces viamque ſignat
Cœlo Phoſphorus, ipſe amoris ignis,
Et caulam radio ferit propinquo.
Hoc natura oculata ſpectat aſtro
Natum per medias DEUM tenebras,
Fuſcatum ſtabuli nigrore ſolem.
Cum rebus rapit atra nox colores,
Lucem mentibus ille fert ſerenam,
Accenditque pios amoris æſtus.
Tota aurita ſacros agit triumphos
Natura & ſuperûm æmulata cantus,
Nato mille reſolvit ora Verbo,
Vectigalibus inſonans epodis.

At vos ad ſtabulum venite Reges!
Huic proſternite pupulo Coronas,
Fortunæ phaleras jocantis, uni
Huic crepundia dedicanda Regi.
Præſepe huic ſolium eſt, & aula caula.
Aurum huic Barbarici tulêre Reges,
Aurum temporis aurei Parenti,
Eoos HOMINI-DEO vapores.

At vos ad ſtabulum venite Vates!
Hîc templo jacet in ſuo Sacerdos.
Ipſi Vos date victimas perennes.
Huic uni properemus usque myſtæ
Omnes ſternere corda noſtra cunas,
Omnes pandere corda, templa & aras.

Tandem hoc ad ſtabulum venite, quotquot
Ipſi eſtis ſtabula, improbâ gravati
Intra pectora criminum ſaburrâ.
Hic unus ſtabula Hercules repurgat.

III.

O Qui dulcibus ebrii Camænis,
Per Pindi juga, per ſacros receſſus
Omnes ducitis ingenI figuras,
O lecti juvenes, amata Phœbo,
Muſis pectora, Gratiisque, noſtris
Non jam nomina ſurda, muta ſacris,
Nunc plectris opus eſt, movete plectra!
Nunc linguis opus eſt, favete linguis!
Et nato bona ferte verba VERBO!
Ora huic pandite, ſpiritus, & aures,
Cui facundia nulla conticeſcat,
Quæ ſolo eſt animata tota VERBO:
Cui facundia tota conticeſcat,
Uno quæ ſtupet occupata VERBO,
Solo ritè ſilentio colendo:
Quod non mens capit integrum, nec auris;
Non evolverit eruditiorum
Commentatio longa ſeculorum:
Quod complectitur improbos ſcholarum,

Turgentiſque Stoæ, & gravis Lycei,
Pugnaciſque Academiæ labores,
Et quod mens peperit, ſubegit uſus,
Arcanoque tegit ſinu vetuſtas,
Et noſtra è veteri recoxit ætas,
Dediſcens veteres migransque formas,
Et ſumptas rediviva per figuras.

Heic VERBO ſapientia omnis uno
Quanta eſt conditur, illa circinati,
Quâ ſe porrigit, architecta mundi.
Nam cum continua una Nox profundis
Antiquum premeret Chaos tenebris,
Nulli corpora fingerent calores,
Nulli corpora tingerent colores,
Non vel ſidereis peruſta flammis,
Vel ſolis radiata penicillo:
Perrupit ſubito fragore ſpiſſas,
Naturæ melioris illa proles;
VOX & LUX pepulitque noctis umbras.
Nam VOX lucida, LUX ſonora junctos,
Vibrarunt radios: locuta LUX eſt,
Ut DEUM videamus atque mundum:
Illuxit ſibi VOX ſuoque mundo,
Ut VOX ipſa pateret, atque ſurdo
Se totam ingereret daretque mundo.
Tum tellus ſtetit, & cucurrit unda,
Et vaſtos ruit aër in mæandros,
Et ſublime rotavit aſtra cœlum.
Tum totus variâque luce pictus
Extendit ſpatioſa regna mundus:

Sed noctis vaga, decolor propago
Et mixtæ ſine honore & arte formæ
Gentiles pavidè ſequuntur umbras.

At nunc, quæ fabricavit orbis olim
Compagem, nova LUXque VOXque venit,
Cum nox mentibus incubaret atra,
Ac orbem tegerent graves tenebræ,
Humanum à Genitore miſſa in orbem,
Lapſis tarda ſalus, ſed una rebus;
Cœlo teſte, clientibusque flammis,
Quæ cunabula Numinis ſerenant,
Acclamantibus ætheris Dynaſtis
Natales Domino Deoque VERBO,
Quos prona bibit aure vulgus, hymnos.

O noſtros quoque nunc canamus hymnos
Naſcenti (cupit ipſa lingua) VERBO!
Quod cœlum, DEUS, exuit, Deumque
Humanâ modo purpurâ coronat,
Totos ſanguine purpurandus ora,
Manus, terga, latus pedesque Sponſus.

Huic, ſi quæ eſt pietas, preces canoras
Allegabimus; ipſa namque VOX eſt:
Audit illa ſuos. Teneris umbris?
LUX eſt. Ne fuge. Reſpicit tenebras,
Et noſtras quoque luce tingit umbras.

IV.

AT vos ſidereis venite regnis,
Seu cœleſtibus additæ catervis

Magno

Magno jubila funditis Tonanti;
Seu per æthereos vagæ receſſus
Choros ducitis orbium ſonoros,
Divinæ ſacra ad illa noſtra Muſæ!
Vosque iſto, Juvenes, calore tactæ
Mentes tollite, pandite ora & aures
Ad dulces patrii ſonos Olympi,
Cantatos genito DEO triumphos:
DEO GLORIA! PAX BEATA TERRIS!
MORTALES BONA TEMPERET VOLUNTAS!

DEO GLORIA! Concinunt beati
Per cœlos populi ſimulque junctis
Vocum mille reciprocant figuris
Plauſus, carmina, gratulationes.
Reſponſat polus omnis, omne latè
Reſponſat nemus & ſonos fidelis
Volvit montibus & revolvit Echo.
Reſponſate animis ſacrisque læti
Novos jungite cantibus triumphos.
DEO GLORIA! qui ſuos adoptat,
Vile vulgus & improbum, tribules,
Qui nos indecores lutuque merſos
Æternæ face gloriæ coruſcat
Heredesque ſuis coronat aſtris,
DEO GLORIA! qui potens malignum
Jam Victor ſibi ſubjicit Draconem.

PAX regnet miſeris beata Terris,
Quæ cœlo ſata nos reviſit: illa
Exhauſtos utinam reviſat agros,

Nos

Nos nobis profugos Deoque reddat,
Non DEO amplius & ſibi rebelles.

PACI ſanctus Amor comes, beata
Mentes temperet & regat Voluntas.
Quam belle hi ſibi conſonant ſodales,
DEUS, PAX, BONA MENS, AMOR, VOLUNTAS!

Nam quisquis bene vult facitque, quisquis
Pacem ſervat, habet Deum, Deumque
Æterno ſibi junget ille vinclo.

V.

NUnc redit ille dies, Muſisque Deoque ſacrata
Pectora, quo cœli venit ab axe DEUS,
Quo noſtro voluit frater de ſanguine naſci,
Sanguineque heredes aſſeruiſſe ſuo.
Hoc bona verba die fas eſt & mille ſalutes
Dicere, quo nata eſt omnis & una ſalus.
Nam quid erat dias prodire in luminis auras,
Si foret æterno vita adeunda malo?
Vixiſſet gens noſtra ſuis obnoxia fatis,
In Stygios olim præcipitanda lacus.
Sed nunc in mediis ſurgit lux noſtra tenebris,
Et radios toto dividit orbe ſuos.
Illa animis ſeſe totam mortalibus infert,
Nosque ſibi jungit conciliatque Patri.
Æthereæ ſuperis hymnos cecinere Phalanges
Sedibus & terris gaudia tanta ferunt.
Scilicet hi pacis præcones munera ſpargunt.
O quanto Terras Pax beat illa bono!

Lucta-

Luctatur ſecum & rerum Natura fatiſcit,
Et ſibi ſemper homo bella Deoque movet.
Quæ circumveniunt homines bella horrida bella!
Prælia quæ miſeros intus & extus agunt!
PAX o ſancta veni, noſtrisque illabere primum
Mentibus: heic lucis ſemina ſparge tuæ.
PAX o ſancta veni noſtrisque illabere terris;
O toties nobis Diva vocata, veni!
Tolle ſimultates, ac nobis priſtina redde
Otia: Tu Patriæ fœdere junge Patres.
Sic eat auſpiciis nobis melioribus annus,
Secula ſic nobis tota quieta fluant.
Perpetuum Cimbris ô ſit PAX aurea munus!
Hæc nos, hæc natos unica Strena beet?

IN RESURRECTIONEM CHRISTI.

I.

SURSUM PECTORA, VOS MEI SODALES!
Surſum pectora! prodit è tenebris
Luci reddita Lux brevesque noctis
Poſt ſe ſub tumulo relinquit horas.
Solem prævenit ipſe Solis Autor,
Ipſe Sol novus, ipſa Lux: & illi
Serus officiis, dolensque vinci,
Confeſſusque novo rubore crimen
Sol ſuccedere tardior veretur.
Ad novum tamen ille nictat aſtrum,

Et

Et novo novus ille vellet ire
Soli Phoſphorus. Ite, vos, Amici,
Ite Vos modo Phosphori, Sodales;
Aut ſi non licet anteire Solem,
Saltem terga piæ ſequamur Umbræ.

SURSUM PECTORA, VOS MEI SODALES!

Nam quæ Virgineo ſepultá quondam
Prodit ex utero, renata mundo
Vita virgine prodit è ſepulchro,
Ceu novo ex utero, novâque nobis
Cum Vitâ novus exit ipſe mundus.
Natales habet hæc & hic ſecundos.
O noſtros quoque nunc reſuſcitati
Natales celebremus, O Sodales!
Et noſtris caput efferamus urnis
Nos Cadavera, nos ſepulchra viva.
Vivamus, mea Corcula, & ſonoros
Victori Domino canamus hymnos.
Vivamus, Socii. renata Vita eſt,
Et Mors mortua. Quid moremur hoſtes?
Mortem, Tartara, Dæmonem, Tenebras?
Exſpirant fera Ditis illa regna.
Vita nunc dominatur una. Nil eſt,
Quod vos jam metuatis, O Quirites.
Cœlo vindicat illa Vos Quirites.
Vos poſcunt nova pacis illa regna.
Hûc omnes properate, mente totâ,
Totis viribus, omnibusque votis.
SURSUM PECTORA, VOS MEI SODALES!

II. Nunc

II.

NUnc ſanctas pia prome Muſa voces!
Et vos Aonii ciete Cives
Plauſus, jubila, laureas, triumphos!
In novam, tumulo redit relicto,
Æternò ſata VOX Parente vitam;
Quæ magni prius architecta mundi,
Vatum mille renunciata linguis,
Non longis ſatis explicanda ſeclis,
Hunc quem fecerat hoſpes ipſa mundum
Obſtetricibus immigravit hymnis,
Et vagitibus abdidit Tonantem.

O ſanctas pia prome Muſa voces,
Præconis cui vox præivit, Agnum
Teſtata heu! crucis immolandum in arâ:
Quæ clamoribus increpans ſepultum
Infami ſcelerum palude mundum,
Non turpi tamen eruit veterno,
Non ſpiſſas tamen occupavit aures
Surdis fabula longa, vana, terris.
Nam voces ſibi ſenſerat rebelles,
Armatas furiis dolisque linguas,
Ludos, jurgia, probra, ſputa, ſannas,
His junctos colaphos, flagella, fuſtes.
Duravit furor, usque dum cruento
VOX obmutuit in crucis theatro:
Cui rupere ſilentium fideles
Confeſſæ Dominum fragore rupes:
Cui concuſſa gravi dolore tellus
Ora tot nova, quot ſepulchra, ſolvit.

O gratas pia prome Muſa voces!
In vitam redit hoc die è ſilentum
Vox vocalior usque & usque regno,
Et tellure ſonos poloque ſpargit,
Mox flagrantibus evibranda linguis.
Huic voces animosque ferte totos,
Excuſſoque pias ſopore Vatum
Ad voces vigilate, & ad ſupremos
Naturæ gemitus tumultuantis,
Sanctas pectore ſuſcitate curas:
Ne, veſtris Tuba cum vocat ſepulchris,
Et Vox una animis maritat artus,
Secluſos grege cælitum, ad malignos,
Brutum, elingue pecus, remittat hircos,
Nigrantisque ululata regna Averni:
Sed cœli ut potius novi Quirites,
Lauru ſidereum caput revincti,
Inter perpetuos poli triumphos,
Victori comites DEO & ſodales,
Æternùm Domino per aſtra VERBO
Sanctos cum Geniis canatis hymnos.

III.

PAX VOBIS VENIAT SALVSQVE CIVES!
PAX à Principe Pacis & Salutis,
Quam natalibus excitatam ab aſtris
In terras DEUS intulit rebelles;
Quam, naſcente DEO, per aſtra fuſis
Cœlorum pia turba vexit hymnis;
Quâ nil ſanctius eſt beatiusque;
Quam ſancto DEUS ore conſecratam

Suaſit

Suaſit omnibus unicè colendam;
Quam vel ſupplicio crucis redemptam
Extremam moriens reliquit arrham.

PAX VOBIS VENIAT SALVSQVE CIVES!

Victor hanc hodie, novis triumphis,
Magnus ille hominum & DEI ſequeſter,
Noſtris hoſtibus & ſuis represſis,
In vitam rediens, reduxit orbi.
Bellorum ſator & faber dolorum
Nunc jacet *DRACO* fuſus: ille ſparſo
Si per inſidias nocet veneno,
Hoc uno ſuperabitur Magiſtro.
Hujus caſtra Ducis ſequamur: illum
Ejuremus & improbam Draconis
Vitemus ſobolem; parata palma eſt:
PAX divina venit, venit citatis
PAX humana ſubitque agros quadrigis.
Nam cum Pace DEUS; Dracone bellum eſt.

PAX VOBIS VENIAT SALVSQVE CIVES!

Natus ex utero, redux ſepulchro.
In cœlos rediturus hanc requirit
Terrarum hoſpes & Ætheris Dynaſta.
Rerum ſumma ſalus & una PAX eſt.
Quo nunc, ô Bona, quò recedis? effer
Sanctum Diva caput, reviſe noſtras
(Quam fervent Tibi vota noſtra!) Terras.
Quin manus modo jungimus, Sodales,
Et Pacem patulis precamur ulnis;

O PACEM, Bone, redde, redde PACEM,
Princeps Pacis & Arbiter. Salutem,
Quam Tu diſcipulis Redux tuliſti,
Fer noſtris, DEUS ô benigne, Terris:
PAX VOBIS REDEAT SALVSQVE CIVES!

IV.

SI quis ineſt vobis divini ſenſus amoris,
Sacra bonæ menti pectora, noſter amor.
Diſcite quid ſit Amor, quantos agat ille triumphos,
Qui victâ vivus morte reſurgit Amor.
Ille fuit, nullos cum Sol ageretur in orbes;
Cum mare, cum tellus non fuit, ille fuit.
Adſtitit ille DEO, cum ſpiſſis merſa tenebris
Materies nullo mota calore fuit.
Ille fuit, qui luce ruentes impulit umbras,
Qui vaga diſtinxit ſedibus aſtra ſuis.
Ille jubet fieri: FIANT DEUS omnia, dixit;
Facta fuit tellus & mare, factus homo eſt.
Egerat in præceps hominem furioſa cupido:
Jamque ſalus illi nulla ſuperſtes erat.
Venit Amor, dixitque: tuum, DEUS optime ſerva,
Nec ſubverte, manus quod tua fecit, opus.
Paruit, & cœli lapſus de culmine noſtrâ
Non renuit ſpecie, ſanguine, carne tegi.
Vincla ſubit: ſed ſtringit Amor. Laceratur acutis
Vepribus: at ſtimulos his quoque ſubdit Amor.
Flagra ſecant artus, repetitaque vulnera tingunt
Sanguine terga novo: ſic quoque pingit Amor.
In cruce pendentem perfoſſis vidimus ulnis,
Perfoſſumque pedes: in cruce figit Amor.

Ipſe DEUS moritur, Manes deſcendit ad imos:
E cœlo vocat, ad Tartara mittit Amor.
Hinc tamen & terris redivivum aſtrisque remittit,
Mors, tenebræ, Dæmon, Tartara victa jacent.
Ergo triumphanti ſocios homo junge triumphos,
Nam Deus, inque Deo, crede, triumphat Amor,
Deque Deo. Vos ô juvenes agitate triumphos,
Quique Deum traxit, vos trahat, urat Amor;
Cumque Deo celebrate Triumphatore triumphos.
Sic ſanctus ſua vos ſub juga mittat Amor!
Vos iisdem, vobisque Deum liget ille catenis.
Aſtra, Deum, cœlos, omnia vincit Amor.
Mutuus huic occurrat Amor, ſic veſter Amorem
Omnia vincentem vincere diſcet Amor.

IN EFFUSIONEM S. SPIRITUS.

I.

TOllite nunc oculos animosque ad ſidera, Cives:
Depluit in ſanctos flamma beata Viros.
Flamma Deum teſtata agilis ſub imagine linguæ.
Hâc ſpecie æthereâ Spiritus arce venit.
Ut ſibi Cor pandat, ſe Spiritus ingerit: Ipſe,
Ut queat ora Deo ſolvere, Lingua venit.
Lingua venit, tacitis nunc, VERBO abeunte, miniſtris.
Aptius haud VERBO, credite, munus erat.

VERBUM abit in linguas, VERBOque movebitur uni
Quæ venit è cœlis lingua, vel ore ſonat.
Fallimur, an nova nunc linguarum ſemina ſpargit
Spiritus, ut meſſem tot ſibi corda ferat?
Illas Diſcipuli Linguas habuere Magiſtras,
Igneaque ipſe ſuis infula Doctor adeſt.
En ut ab arcano turgeſcant pectora ſenſu!
En ut inexhauſto ſpiret in ore Deus!
Ora novos indocta ſonos ſtupuere loquentem:
Mens vario tamen his una ſub ore redit.
Circumſtant populi, ac omnes mirantur in uno
Nunc populos, & in hoc vox ſua cuique placet.
Heic ſibi gentiles peregrinâ in gente requirunt;
Geſtit Arabs Arabas & Scytha noſſe Scythas:
Sed ſibi disſimiles. monitos meliora ſalutant,
Qui, quanquam ſerò, nunc ſapuere, Phryges.
Mentiri ſoliti fundunt oracula Cretes,
Hîc Cilicem videas Cappadocemque probum.
Spiritus æthereis qui luſtrat ſordida flammis,
Exuet infami nunc ΤΡΙΑ ΚΑΠΠΑ notâ.
O ſanctas vibret ille faces, & pectora linguis
Veſtra ſuis, Cives, armet & igne coquat!
Hæ quoque nunc vobis cœli ſint munera, linguæ.
Lingua Virum menti non malè juncta facit.
Quæ regat orbem Mens, linguæ docuere flagrantes;
Quæ ſedeat vobis Mens, pia Lingua docet.
Centum alii linguas optent ſibi: ſufficit una:
Et bona Mens. Sapit hæc, & ſonat illa Deo.

II.

HUc animos, huc ora pii convertite Cives!
Æthere nunc rupto depluit ipſe Deus.
Non novus in Danaën auri ruit imbre doloſo
Jupiter. Hoc habeat fabula priſca ſcelus.
Quanquam ego, (nam magna eſt hominum veſania) multos
Sic pluvio credo malle madere Jove.
Sed monitis meliora (procul mala nomina!) plus quam
Aureus hic vobis ignis & imber erit.
Pandite nunc linguis habitanda flagrantibus ora.
Igneus hoc hoſpes limine pectus adit.
Pandite nunc animos & quæ modò corda videri
Digna queant flammæ miſſilis igne peti.
Diſcite quo Pietas in vobis ſemine ſurgat.
Scilicet ipſe docet vos ELEMENTA DEUS.
TERRA ſumus, ſtupida, & cœleſtis egentia flammæ
Corpora, quæ moles vel ſua figat humi.
TERRA ſumus, veteri ſed degenerantia limo
Nomina, pejori tota ſepulta luto.
Spiritus, ignavo ne pondere preſſa reſidat,
Hanc ſubit, & ſacris excitat hoſpes AQUIS.
Hoc primum incipiet tacito motore moveri.
Fortior hinc, cœlo lapſa ſed AURA venit.
Illa rapit reſides ducitque per æthera ſenſus,
Hinc animos pluvio Spiritus IGNE liquat,
Hoc feriente, abeunt fatui cum nubibus ignes,
Et noctis ſoboles omnis & umbra fugit.

Hæc ô inexhauſto vobis in fomite flamma
  Fluctuet infames depopulata focos!
Spiritus ingenitum, quà ſe movet, eluat undis,
  Everrat ventis, excoquat igne ſcelus.
Ignibus ereptos Stygiis vos denique Luci
  Aſſerat, & ſervet LUX ſacra, luce ſatos.
Sic benè compoſitis coëunt elementa figuris,
  Terraque ſtat cœlo jam bene miſta ſuo.

III.

SAncta COLUMBA venit cœli de culmine, Cives.
  Pandite nunc linguas, pectora, templa DEO.
Si quis erit, dici gallinæ filius albæ
  Qui cupit, Auguſtæ clara propago domûs;
O dici velit ille COLUMBÆ filius albæ,
  Æthereumque ſacrâ ducere ſtirpe genus!
Hinc venit illapſus nobis felicior ales,
  Frigida qui molli corda calore fovet.
Incubat his, mulcetque ſuis & protegit alis
  Sedulus, & fœtus educat ille novos:
Quales nos fieri voluit Deus ipſe Columbas,*
  Quæ ſanctâ ſuperent ſimplicitate dolos.
Dodonæa ſonent aliis: oracula nobis
  Arbore de vivâ certior edit avis.
Sint procul hinc Corvi, nigrum genus: alba COLUMBA eſt:
  Bubo procul: lucem noſtra volucris amat.
Huic ungues Aquilam fas eſt poſuiſſe rapaces,
  Quique Aquilæ titulos, nomina, ſigna crepant.
Illa

* *Matth. 10. v. 16.*

Illa ferat fulmen: frondes hæc portat olivæ.
Illa Jovem vehat: hæc exhibet ipſa DEUM.
Fulminibus metus, ita ſubeſt: ſed mollior illinc
Ignis ab affectu nobiliore fluit.
Martia cum criſtas, ales Junonia caudam
Erigit; hæc caſto ſemper amore tumet.
Auſpiciis venit illa ſuis! Occurrite, Cives,
Ferte animos caſto munera pura DEO.
Evolet hinc pia mens pennis evecta COLUMBÆ.
Ipſe ſecuturos fert ſuper aſtra DEUS.
Veſtra DEO pateant ſemper ſi pectora: nunquam
Deſerit hos nidos Sancta COLUMBA ſuos.

IV.

TEmpus adeſt, Cives, quô lapſus ab æthere venit
Spiritus & ſancto perpluit igne pios.
Aura comes placidas preſſit tacito impete flammas,
Inque aurâ ſonuit, luxit in igne Deus.
Tu quoque ſancta veni ac animis illabere noſtris
AURA, tuas pleno numine ſubde faces!
AURA VENI, qualis veniſti Vatibus olim,
Afflatu tacti qui caluere tuo.
AURA VENI, qualem divino miſit ab ore
Salvator, ſociis hæc ubi dona dedit.
Te ſubeunte, ſacri fundunt oracula Vates,
Mensque tuis alis vecta per aſtra volat.
Evocat illa Deum & toto ſe Numine veſtit:
Ille habitata ſibi pectora & ora rapit.
Te ſubeunte, aures ruperunt vincula ſurdæ,
Oraque cæperunt reddere muta ſonos,

Et lux excuſsâ rediit caligine cœcis,
Nec firmi claudos deſtituére pedes.
Quâ tu cunque moves, ſecedit pectore torpor,
Membraque fulta tuâ mobilitate vigent.
Funeribus nova vita redit, ſua membra reviſit
Spiritus atque novo fœdere juncta ligat.
AURA BEATA VENI, Te ſenſibus ingere noſtris,
Grandiſonasque reple voce potente tubas.
Divinæ ſonuere tubæ. Neque littora tantum
Jordanis poſſunt hos meminiſſe ſonos.
Quà venit & feſſus quà mergitur æquore Titan,
Quà Boreas ſtringit, quà Notus urit agros,
Exiit ille ſonus populorumque impulit aures.
Hi nôrunt, illæ quem ſonuêre, Deum.
Divinæ reſonate tubæ & clangoribus orbem
Rumpite, ne ſurdâ reſpuat aure Deum.
Hoſtica ſi cecidere tubarum ſaucia cantu
Mœnia, nec voces ſuſtinuere graves;
Excutiat ſeclo frontem ſacra buccina & ora
Ferrea, quod triplici pectus in ære ſedet,
Subſidant tumidi ſpecioſo nomine muri,
Quos ſibi ſpes fallax ambitioque ſtruit.
Disjiciat ruptis montes compagibus, & ſe
In valles pia mens abdat agatque ſuas.
Heic ſedeat jaceatve; tamen magnam exſtruit urbem
Templaque, ſed ſoli rite ſacranda Deo.
AURA VENI & noſtras felicibus imbue mentes
Flatibus, en animos pandimus, ora, ſinus!
Diſcute qui ſurgunt fatui de cordibus ignes,
Exorere ô tenebris lux, medicina malis!

Cura-

Curarum nebulas diſpelle, ſuroribus æſtus
 Subtrahe, ne novus in fulmina fomes hiet.
Coge pias intra ſitientia pectora nubes,
 Unde ſacra arcano perpluat imbre Charis.
Deſuper in lacrymas flentes ſolvantur ocelli,
 Deque bonâ ſurgat ſic bona mente ſeges.
Quà fovet Aura, pio prognata eductaque fundo
 Illa bonâ ſemper fruge beabit herum.
Jamque Deo reddit ſe mens fœcunda colono:
 Ad ſacra jam ſoboles horrea pura venit.
AURA VENI, in mediis miſeros ſolare periclis:
 Sis Helice quaſſæ, ſis Cynoſura rati.
Circumſtant denſiſque urgent latus omne procellis,
 Noſque ſibi ſpolium ventus & unda ferunt.
Perpetuus miſcet ſeſe cum turbine turbo,
 Et nubes oculis eripuere diem.
Adverſam hinc Boreas crudeli verbere puppim
 Sauciat, hinc madido ſubruit ore Notus,
Confligunt Euri Zephyris, furioſaque nobis
 Atque ſibi pugnas turba marique movet.
Heic brevia & Syrtes, heic eſt metuenda vorago;
 Heic ſcopuli infames ſaxaque cœca ſedent.
Quò mittes, oculis ſe plurima mortis imago
 Ingeret; ipſa necem, quæ latuere, ferent.
Scilicet hæc Vitæ facies, his pendula ſemper
 Fluctibus incertas it redit illa vias.
Iidem animos lacerant, qui verrunt æquora venti,
 Et varius mentem in devia turbo rapit.
Illa quod odit amát, quod amaverat immemor odit,
 Quæ fugienda, cupit; quæ cupienda, fugit.
Diſcordes vexant titubantia pectora curæ;
 Obſiſtunt votis vota, viiſque viæ.

Hinc

Hinc furor in præceps agit; hinc maleſana libido;
Hinc genus omne doli mergit, & omne mali.
AURA VENI, lapſosque & in hâc vertigine merſos
Erige, Tu molles ſterne ſerena vias,
Eripe naufragio mentes, mundo eripe & Orco:
Tu ſibi, Tu cœlo, Tu Tibi redde tuas.
Tolle tuis, ne nos tumidum mare ſorbeat, alis.
Te præſente manum porrigit ipſa Salus.
Diffugiunt lapſi ruptis ex utribus Euri,
Et Boreas poſito terga furore dedit.
Laſcivi cedunt pennis rorantibus Auſtri,
Et preſſum nebulis occuluere caput.
AURA VENI, Te ſpes fractos veniente reviſit,
Et portum in mediis naufraga quærit aquis.
Mollia Tu miſeris, ſua quos incendia torrent,
Adſpira & blando frigore flabra juva,
Ne ſub mœrorum ſudantes mole fatiſcant,
Ne furiis Erebi corda peruſta gemant.
Nulla Tibi cum Dite nigro conſortia: qui Te
Ut fugiente venit, ſic veniente fugit.
Te ſapimus ſpirante & deteriora peroſi
Diſcimus hinc moniti jam meliora ſequi,
Et vel ſera malæ facimus convicia vitæ,
Et ſordet nobis dulce cupido malum,
Ipſaque divinis uruntur pectora flammis,
Atque novis creſcit motibus aucta Fides.
AURA VENI, propera AURA! novas in carbaſa vires
Suffice. Tendemus quâ licet ire viâ.
Rumpamus, pia corcla, moras, ventisque ſecundis
Cum licet, ad portum noſtra carina ruat:

Sin

Sin minus; & ventis luctantibus obnitamur,
  Ac obliqua ratem, nec gravis aura ferat.
Ut placidos vultus fortuna, ut ſumat acerbos:
  [Naufragio faveat, qui volet, usque ſuo:]
Noſtra tamen ſperata ſubibit littora puppis,
  Atque novâ ſtabit fronde revincta caput.
O Patria! ô Divûm domus! ô ſacra, ô aurea Tempe!
  Jam ſpecies ſenſus veſtra animosque ferit.
AURA VENI! rape nos & fulminis ocyor alis
  Siſte tuos superûm ſedibus! AURA VENI!

V.

O Quos difficiles variis anfractibus actos
  Ad Sophies ducunt regna beata viæ,
Diſcite, quam nullis linguæ diſcantur & artes
  Sumptibus, exiguæ ſitque opus omne moræ.
En novus hîc, juvenes, ſpatiis brevioribus orbis
  Ducitur & propior, credite, meta patet.
Non Samii retinent moroſa ſilentia ludi,
  Luſtra nec elinguis ſegnia tiro trahit.
Non hîc Socraticis ſapientia prodiit umbris
  Per tot diſcipulos ducta, tot acta duces.
Non tumidos inter peperit rixoſa magiſtros
  Porticus, in partes hæc quoque ſciſſa ſuas.
Non è ſpinoſis ſenior Gargettius hortis
  Protulit, aut cunas clara Stagira dedit.
Sedibus æthereis mentes deſcendit in ipſas
  Spiritus, his habitat Doctor & ipſe Scholis:
Dumque vagos ignavi circumducimur orbes,
  Heic apicem Sophie tota, ſerena tenet:
Ipſeque Diſcipulis mirâ ſeſe arte Magiſter
  Ingerit; his quicquid diſcitur, omne patet.

Momen-

Momenti res iſta levis: non annus & hora
  Ducitur: uno mens Numine tacta ſapit.
Conſedêre viri, pia turba, nec artibus ullis
  Culta, nec ingenio prompta, nec ore potens.
Hos ſibi curarum ſocios de plebe Magiſter
  Maximus, hos regni legerat ille duces.
Hos videt una rudes, eadem videt hora diſertos,
  Deſuper infuſo cum ruit igne Deus.
Cum ventus ſonuit, cum vento flamma curuli
  Vecta ſuas animis duxit & ore notas.
Omnes una facit tempeſtas ignea doctos,
  Exulat hinc animo nox, ſubit alta dies.
Ergo ubi jam totis regnant incendia fibris,
  Inque ſacro victrix vertice flamma ſedet,
Flamma novos ornans, ceu digna tiara, Magiſtros,
  Et quæ Doctorem veſtiat ipſa ſuum,
Subſidunt nebulæ, fumi ceſsêre profani,
  Non animi quenquam degener æſtus agit.
Faſtus & ira fugit, fatuusque cupidinis ignis:
  Nam flammæ fomes nunc melioris adeſt.
Armat Amor flammas, & ſe puro æthere miſcens
  Saxea fulmineo flumine corda liquat.
Hæc ignes rapuêre pii: hæc virtutibus ardent:
  Sed mentem, quæ lux hinc fuit orta, ferit.
Nam videt hæc Sophien, qualis vel quanta videri
  Cœlicolis purâ candida luce ſolet.
Nil tenebris clauſum eſt: namque omnia pervia luci,
  Et nullo veri forma colore latet.
Mens videt ipſa Deum, radiosque ſecuta magiſtros
  Luminis appendix, Spiritus alme, tui eſt.
Pervigil illa tui penetrat myſteria verbi,
  Te ſapit atque ſonat Numine fulta tuo.

Ite

Ite ô votorum, ſtolidi, gens prodiga, Vates,
Et Phœbum ac omnes voce ciete Deas,
Oraque nunc centum, nunc centum poſcite linguas:
Hîc ſonuit linguis omnibus una Deum.
Quotquot erant linguæ, linguis oracla ſonabant
Omnibus. Indus, Arabs, Cres, Syrus unus erat.
Et Deus his animis, aderat Deus ipſeque linguis.
Non eſt Phœbéi tale furoris opus.
Dicite Grammatici, malè ſedula turba, tribules:
Unde peregrinis hæc elementa ſonis?
Unde novæ ignaris coeant in fœdera voces?
Vocibus unde ſuus ſit vigor, unde decor?
Dicite, ſermones quo, Rhetores, impete fundat
Gens rudis & numeris verba ligata ſuis.
Divina eſt, labiis Peitho quæ regnat in iſtis.
Scilicet hîc veris ignibus illa flagrat.
Hîc magni ſtupeat victrix facundia TullI:
Magna ſonaturas hinc, Maro, ſume tubas:
Et nunc cœleſti docti miranda Magiſtro,
Quo ſuus attonitos ardor agebat, eunt.
Jamque ſuis vaſtum complexi finibus orbem
Ultrà illum votis omnibus ire parant.
Nil fugit hanc aciem. Cœlo lux excita lucem
Provocat, igniculos flamma ſuperna novos.
Jam videas ipſum ſuperare Machaona, morbos
Qui ſolâ pellant diſcutiantque manu:
Quorum, ubi jam vegetos lux dia impleverat artus,
Utilis ægrotis ſola vel umbra fuit.
O ſalve! o noſtris LUX alma infundere præſens
Senſibus, in laudes nos rape læta tuas!
Nondum mundus erat, cum Lux evolveret orbes,
Noctis & arcanos rumperet orta ſinus.

Nunc quoque nunc iſtum primæ movet æmula mundum
Ignifluo ſolis lux agitata globo.
Hæc quoque corporibus cum ſeſe miſcet opacis,
Naturæ tacitas ingrediturque ſpecus,
Viſceribus tenebrarum in hiantes proſilit auras,
Materiemque ſtolâ verſicolore tegit,
Aureolisque illi circumfuſa incubat alis,
Concretumque intus ſtipat adacta jubar:
Seu partu fundat primo ſibi concolor aurum:
Seu gemmas faciem candida, picta creet:
Sive per incenſos ſe floribus explicet hortos,
Sive animas fœtu nobiliore ſerat.
Quot videt hic oculus ſpecies rerumque figuras;
Tot nobis lucis viva theatra patent.
Hîc vel aperta nitet, vel retrorſum acta recedit,
Et vultus ſumit pro ratione novos.
Sic habitat diverſa locis, fugit illa tenebras,
Sic tamen ut condi non neget illa ſuis.
Lucida ſunt cœli cognataque corpora: rebus
Et ſolet ex auctâ creſcere luce valor.
Arcanas rerum cognoſcimus hâc Duce cauſas,
Illa aperit tacitos, explicat illa ſinus.
Tu tamen ô Lucis, ſoboles, Patre digna, Parentem
Obtutu capias interiore Deum.
Illo fonte venit, rebus quod mergitur ipſis,
Lumen, ab hâc animis lux venit alta piis.
Illa tibi cupidas ſaturent ſpectacula mentes;
Hîc SOPHIÆ æternos incolit ipſa lares.
Huc oculos, huc verte animos: dum ſtulta propago
In nebulas, umbras vanaque vota ruit,

Dum

Dum veluti Siculus confoſſo lumine Cyclops
　Errat & incertâ prendit opaca manu.
Qui volet æternam, qui rerum diſcere lucem,
　Plus ſciet ille rei, plus ſciet ille Dei.

IN
FESTUM SS. ANGELORUM DIEM.

* * *

I.

MEDITATIO
è Verbis Salvatoris
Matth. 18. verſ. 3.

Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ στραφῆτε, καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

CHRISTIANI
ΑΕΙ ΠΑΙΔΕΣ ΚΑΙ ΙΣΑΓΓΕΛΟΙ.

Quid titulos, & opes, & grandia nomina jactant,
　Qui primo cupiunt eſſe, ſedentque loco?
Vos, melius ſapuiſſe velim, mea cura, Sodales,
　Vellem ego vos pueros eſſe, jubetque Deus.
Stat puer elinguis, tumidis pudor ille Magiſtris.
　Magnum hinc Doctores ſcilicet inſtar habent.
Nil ego Bucephalo vectos, & dira crepantes,
　Nil ego Alexandros [nomina quanta!] moror.

Illa trochum verſans, equitansque in arundine longa
Plus, vel Alexandris æmula turba, ſapit.
Ne SEMPER-PUEROS Memphis contemnere Grajos
Audeat! hos titulos Vos ego ferre velim.
Si ſapis, æternùm veteres dediſce Magiſtros,
Quisquis es, ô aude, ſi vir es, eſſe puer!
Ah! neſcis, quantum hoc lateat ſub nomine pondus!
Eſſe puer malis, nec quod es, eſſe velis.
Nil puero majus, nihil intemeratius illo eſt.
Hoc ſapere exemplo nos jubet ipſe Deus.
Qui puerum nobis oſtenderat ipſe Magiſtrum,
Idem, qui Deus eſt, cœperat eſſe Puer.
Cumque ſibi ſimiles; pueros cupit eſſe: nec ulla
Plus ætas cœli poſſidet atque Dei.
Quò magis extremis vivit ſemotus ab annis,
Hòc propior vitæ eſt, & ſapit aſtra puer,
Cognitiorque ſui manus eſt Autoris: at inde
Nequior à pueris eſt Vir, eritque Senex.
Hinc primum in vetitos animoſior æſtuat ignes,
Plusque peregrinæ mens vaga fecis habet:
Hinc ſemper cupidis, ſua ſemper hiantibus obſtant
Vota, nec expletur tam furioſa ſitis.
Orba Deo tandem pronis mens fertur habenis,
Et ſua cuique ſubit dira cupido Deus.
Jam petimus nummos. Quid tum? connubia. Quid tum?
Rura, domos. Quid tum? regna: ſumusque VIRI.
Jam veteres patriâ turbamus ſede colonos,
Miſcemus cædes, bella; ſumusque VIRI.

Vivi-

Vivimus ex rapto: perjuria, crimina mirâ
Fingimus arte, damus verba: ſumusque VIRI.
Jamque gulam Veneremque novo ſuccendimus igne.
Et vix Semiviri dicimur eſſe VIRI.
Arma, togæ, tituli, faſces, diademata, mitræ,
Quæque ſuos ornant ſigna notantque Viros,
Illa Viros, ſed plus nocitura, crepundia ludunt:
At phaleræ populis hæ puerisque patent:
Induat arma, togas, quisquis ſibi plaudit in illis:
Induet æternum mens ſibi nota Deum.
Quam ſancto pia mens nobis ſplendebit amictu!
Iſta facit puerum Veſtis, ut illa Virum.
Iſta Deum faciet. Deus en! Deus æthere toto
Illapſus coelo hîc ſub breviore latet.
In minimis immenſa latent, egreſſaque fines
Heic natura ſuos ſe, ſibi victa, fugit.
Maximus è puncto cum volvitur orbis; & orbis
Ille puſillus apex pars ſpeciesque ſui eſt.
Naſcamur pueri. Præit en! Natura: per orbem
Illa rudimentis reddita tota ſuis.
Illa, ſuam veluti volucris prædata ſenectam,
Lætior emeritos induit usque dies.
Noſtraque nos exempla monent. Qui miſſus in orbem
Eſt puer, exibit bis puer inde ſenex.
Naſcamur pueri. Validi procul eſte Gigantes.
Non ſit, qui pugnis provocet aſtra ſuis.
Illa humiles animos generoſa Infantia ſuadet,
At qui repit humi ſpiritus, aſtra petet.
Sumimus Herculeos, Pygmæi ſæpe, cothurnos,
Et gens in nugis ambitioſa ſumus.

Co-gerimus montes animo, magnosque coloſſos,
Et cœlos ultrà mens malè ſana ruit.
Simplicitas animo redeat, moresque modeſti.
Non ſibi, ſed cœlo qui ſapit, ille ſapit.
Prætextata graves vincet ſapientia barbas.
Dimidium illius, qui bene neſcit, habet.
Si quis in errores deceptus imagine veri
Labitur, aut animo volverit ante dolos;
Ad puerum redeat: nam fraudum ignara parentes
Illa ſuos ætas diligit atque pares:
Nil fuci, nil artis habet. Sic degere vitam
Qui cupit, à pueris exuat ille Virum:
Unguibus indulſit qui forte rapacibus olim,
Innocuos redeat nunc Vir ad unguiculos.
Ut placidum ducant curis inſontibus ævum,
Grandævi cupiant bis pueri eſſe Senes,
Proque ſuâ quivis ſtudeat puer eſſe virili.
Abſolvit numeris omnibus ille Virum.
Naſcamur Pueri. Vivamus, amemus, ut illi.
Et Puer ipſe ſuis Vatibus audit Amor.
Hic veteres diſcant nova nunc elementa Magiſtri.
Ille Viris ludus nunc puerilis erit.
Literulas ſciolis ſatis eſt cognoſcere binas.
ALPHA DEUS nobis, OMEGA ſolus erit.
Diſcere plura cupis? quod continet omnia, VERBUM eſt,
Quod nullis capiunt ſecula mille libris.
Si potes, ede ſonos: primum ſonet ALPHA: ſecundum
Hinc poſt mota ſonet labra: ſonabit AMA.
Non tribus illa libris Vati memoranda Profano,
Literulis tribus Ars diſcitur omnis: AMA.

Ergo legant omnes, relegantque: reciproca Vox eſt.
Tu, Bone, AMA, Bone Tu, quisquis es alter, AMA.
Reſpondet ſibi totus Amor totusque recurſat,
Perque ſuas redit (id Vox docet una) vices.
Jam legat alter: AMO, non vox æqualis, amorq; eſt.
ALPHA DEUS, DEUS O, quando amat, inquit: AMO.
Par nobis Amor, atque ſuis ſe finibus ambit:
Illa, quod æternum eſt, litera juncta notat.
Dicat AMO, Deus ipſe; pio Tu dixeris ore:
Fertur in immenſum plena potensque Deum.
Si ſumus infantes, & verba invita ſequuntur;
Simus: habet linguam mens quoque muta ſuam.
Ad mammas referemur? & hic ſuper æthera raptos
Quæ paſcat teneros, lactea tota Via eſt.
Immò ultra pueros uterum redeamus in ipſum.
Nos uterum GENITOR vellet inire ſuum. *
Omnia qui immenſo immenſus complectitur orbe,
Se totum nobis; nos dabit ille ſibi.

* *Eſ. XLVI, 3.*

II.

HUc ades, o Cœlo Muſisque operata Juventus!
Illa piâ vobis mente colenda dies.
Namq; dicata piis fuerat quæ Mentibus olim,
Nunc quoque non alias ad ſua ſacra vocat.
Divinos tamen his non exhibeamus honores.
Nam pia gens nobis ſponte miniſtra venit.
Aligeris alas, currentibus addere calcar
Nil opus: officii nam memor illa ſui eſt.
Vipereum procul eſto genus, plebs fœda Draconis!
Non miſcenda ſacro nomina veſtra gregi.

Ille ſuo cecidit turbatus ab æthere quondam,
Repit & ignavâ pulverulentus humo.
Vos quoque(nam cœli quæ vobis cura relicta eſt ?)
Eſte procul turpi pectora merſa luto.
Pectora noſtra Deus caſtas ſibi deligit aras:
Ne teneat Dæmon has lutulentus haras,
Ne tamen ille iterum,qui quondam habitavit in illis,
In porcos alios non novus hoſpes eat.
Immundos gens faſtidit puriſſima Verres,
Non niſi cognatis mentibus illa comes:
Non amat illa Lupos, quæ magni ſedibus Agni
Exit, & errantes blanda reducit oves.
At Vobis Genios, docti ô meliora, beatos
Conciliet virtus vitaque ſancta Duces,
Exigite innocuum divinis teſtibus ævum:
Inde Salus vobis præſidiumque venit.
Sic cupidæ vobis labentur ab æthere Mentes,
Seque volent vobis jungere, vosque Deo!

III.

SI vobis bona Mens & alma, CIVES,
Eſt cordi Pietas, ſacerque dias
Ardor vellicat incitatque mentes,
Nunc ô æthereis dicate caſtas
Mentes Mentibus, ætheris dynaſtis:
Sed magno mage Mentium Magiſtro,
Æterno cui fonte ſtagnat ille,
Qui tot ſe in Genios refundit Ignis,
Ejusque innumeros propinat hauſtus,
Queis illi ſaturi Deoque pleni,
Per cœli varios ſolique tractus
Hinc atque hinc patulis feruntur alis,
Ac oracula deferunt Tonantis.

Hi vobis, pia corda, ſint ſodales,
Hos vobis facite, ô Boni, tribules.
Circumſtat pia turba vosque recto,
Quà viam pietas bonique mores
Signant, tramite ducit, at volentes,
At non ſordibus improbis gravatos,
Sed rectos animo, dolique puros.

Ergo vivite, vivite & beatis
Mentes motibus otiisque paſtas
Totas pandite Numini, & miniſtros
Omnes excipite ætheris Quirites:
His ductoribus ibitis per omnis
Vitæ lubrica, temporumque curſus,
Fortunæque volubilis mæandros.
His doctoribus erigetis alta
Cœlo pectora, & illa lapſa ab aſtris
Totam ſe SOPHIE dabit videndam.
Illi addent operi manus fideles,
Firmabuntque lâtus, ſatellitesque
In veſtram excubias agent ſalutem,
Avertentque truces Draconis ictus,
Et poſt fata Deo ſibique jungent.

IV.

Poſt multos Chriſtianorum adverſus Turcas Triumphos, & fœcundam anni meſſem.

Vicimus, o Cives! concurrite, vota tropeis
Jungite, ſtant Aquilæ, ſuccubuitq; Draco.
Vicit io MICHAEL! Deus his Deus adfuit auſis,
Arma tulit Virtus, Euſebieque preces.

 Pugnâ-

Pugnârunt omnes. Germania milite, cenſu
 Roma; animis, manibus conſiliisque pii.
Terga dedere acies, ereptæ Thracibus urbes,
 Exuitur caſtris, pellitur hoſtis agris,
O quam felici fulſerunt ſidere luces!
 Quæ nobis unus gaudia menſis agit!
Fallimur? an famulæ exultant juga ſancta Sionis,
 Et Solyme preſſum ſubrigit ægra caput.
Increpuere novæ cervicibus usque procellæ,
 Hoſtis & ex omni fulmina parte timet.
Hinc Aquila altivolans: Venetus Leo militat illinc:
 Unguibus illa ſuis, fulmineque illa ſuo.
Itur in adverſos magnis conatibus hoſtes,
 Quà veniunt, telis nunc latus omne patet.
Aucta animis virtus poſt tot nova prælia ſurgit
 Acrior & nullo vulnere tacta cadit.
Totus cum Geniis nobis cœleſtibus Æther
 Militat. ô noſtras audiat ille preces!
Audiat & Geticis falces cervicibus ultor
 Ingerat atque novâ corpora meſſe metat.
Audiet & plures fœcundis meſſibus annos
 (Ut fuit hæc multâ fruge beata) dabit.
Hic annos donis ſpoliisque coronet opimis.
 Illa Deo datur, hæc meſſis ab hoſte venit.
Creſcetis ſegetes, victrices creſcite palmæ,
 Impleat ut noſtros utraque meſſis agros,
Et veniant noſtris ſegetes palmæque Camœnis,
 Divite queis cornu Pax male fulta latus. *
Threjicii auctumnos toties ſignate triumphi;
 Angelicos quoties heic pia turba canit.

LIB.

* *Alluditur ad inſignia Academiæ.*

LIBER II.

AUGUSTISSIMO IMPERATORI,
LEOPOLDO,
DE TURCIS TRIUMPHOS AGENTI.

MActe novis ingens, macte, ô LEOPOLDE, triumphis!
Quem ſua Victorem ſeraque ſecla ferent.
Pugnaſti: quibus auſpiciis! teſtabitur armis
Salva VIENNA tuis, BUDA recepta tuis.
Viciſti: Tibi perpetuis damnata tenebris,
Quæ fugit à radiis Turcica Luna tuis.
Mille crepent alii, ſed partos fraude, triumphos:
Succumbet titulis cauſa pudenda ſuis.
Non aliena rapis terrarum prædo, nec hoſtes
Hos, qui Te Dominum non reverentur, habes.
Arma laceſſitus pro Te juſtisſima ſumis,
Ut, Tibi Prædones quæ rapuêre, feras.
Hos melior vincet, vincet generoſior hoſtes
Cauſa: Deus cauſæ ſubvenit ipſe ſuæ.
Hi ſunt, qui ſuperis indicunt bella gigantes:
Tu Patriæ pugnas; Tu, LEOPOLDE, DEO.
Vincite nunc populos, urbes exſcindite, Reges:
Fama brevis vobis, vel ſine laude, venit.
Unus Alexandrum non expleat orbis: at unum
Plus eſt tot meritis reddere poſſe ſuum.
Major erit, titulis Tibi quæ fulcitur honeſtis
Gloria, & ætatem tanta tropæa ferent.
Tu major titulis, major, LEOPOLDE, triumphis,
Secula reſtituis lapſa, futura beas.
Non ego Romuleas, non Grajas effero palmas;
Plus habet una rei; plus habet una DEI.

HERCVLES. BRITANNICVS.
SERENISSIMVS. AC. POTENTISSIMVS. DOMINVS.
DOMINVS.
CAROLVS. SECVNDVS.
VERE. SECVNDVS.
MAGNÆ. BRITANNIÆ. MONARCHA.
FRANCIÆ. ET. HIBERNIÆ. REX.
FIDEI. DEFENSOR.
POST.
FATALES. XII. ANNORVM. LABORES.
FORTITER. FELICITERQVE.
EXANTLATOS.
SVPERATA. ODIA. PLVS. QVAM. JVNONIA.
IMO. PLVTONIA.
CONJVRATIONES. VARIAS.
ET. NEFARIAS.
DEVICTA. TOT. MONSTRA.
LERNÆAM, SEDITIONVM. HYDRAM.
SVBLATAM.
AVREVM. IMPERII. POMVM. DRACONI.
ABLATVM.
TRICIPITEMQVE. CERBERVM.
EX. INFERIS. NON. TANTVM. PROLATVM.
SED. ET. TRVNCATVM.
ET. EXHAVSTVM. LETHES. SALVTIFERÆ.
POCVLVM.
NVLLA. LETHE. MERGENDVM.
COELO. AC. ORBI. SVO. BRITANNICO.
RESTITVTVS.
HVMILLIME. SALVTATVS.
A
DANIELE. GEORG. MORHOFIO. VISMARIENSI.
POES. IN. ACAD. ROST. PROFESS. PVBL.

AD

AD

Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum,

DOMINVM

JOHANNEM FRIDERICVM A FRISENDORF,

Sacr. Reg. Majeſtat. Sueciæ Conſiliarium, & ad Magnæ Britanniæ Regem Legatum. Hereditarium in Heerdike & Kyrup.

Dominum & Mæcenatem ſumme venerandum.

MAxime Vir, CAROLIS ſpectate & amato DVOBVS,
Præſes Muſarum maxime, magne mei.
Regales paulum Tibi nunc ſuſpendere curas
Si vacat, hæc promta carmina ſume manu.
Sume Caledoniis per Te ſpectanda tiaris,
Intret ut auguſtos Muſa minuta lares.
Sum minor, & REGIS non conſpiciendus ad oſtrum,
Ni tua me ſpretâ dextera tollat humo.
Sic, quamquam minor eſt, Aquilæ tamen abditus umbris
Regulus ætherium celſus inane ſecat.
Sicubi Atlantiades magno reſponſa reportat
Grata Jovi & terris ales abire parat,
Orantes adſtant Satyriſci, parteque ab omni
Alipedem prenſat turba minuta Deum.
Immenſum Icariis æquor tranſcendimus alis,
Et ſceptris calamos addimus ecce rudes.
Non pudet exiguo CAROLI præconia cantu
Pandere & exili nomina magna lyrâ.

Aſpi-

Aſpice Regali decorata crepundia vultu,
Ut rude magnificâ fronte ſuperbit opus.
Sic pretio quod abeſt, accedit imagine pictâ,
Ac artem ſacri nominis auget honos.
Sic licet hoc leve ſit, tamen eſt laudabile Carmen,
Si titulo ſaltem ſplendidiore placet.
Si pro REGE cano, quamvis incomptus inersque;
Quod pro REGE cano, gratius inde cano.

PROSPHONEMA GRATVLATORIVM.

SUrge meos inter Phœbeja laurea plauſus
Fatidicisque aſſiſte comis; ceu regia propter
Tempora magnificâ per crines ſpargeris umbrâ.
Nil parvum, nil vile peto, ſed maxima; & ipſe,
Quæ tento, ſtupeo, nec me pius avocat horror.
In laudes aſſurgo Tuas imbellis, & artes
Te recinunt, REX SVMME, meæ. ſi publica vobis
Gaudia, ſi totus partitur jubila mundus,
Communesque agitat gens fortunata triumphos,
Ipſe meos pars una feram, peregrinaque fundam
Carmina Vandalicis quondam exaudita Camœnis.
Sed quid ferre tuis, REX AVGVSTISSIME, ſceptris
Eximium mea Muſa queat? ſtupet, illa tuosque
Miratur tacito perterrita numine faſces,
Et ſcribi nil poſſe putat, numerisque teneri,
Quæ numeris perfecta ſuis, mortaliaque ultra
Extendunt genium cognataque ſidera ſpirant.

Omnia

Omnia ſunt divina. Tuis ſe mancipat auſis
Æther, & illuſtri famulantia fata tiaræ
Per tua placatos expandunt atria vultus,
Nec cupiunt jam deeſſe Tibi, triſtique ſerenâ
Tempeſtate tegi. ceſſerunt læva Britannis
Sidera, Saturnique ignes. clementior auras
Mitigat optati radius Jovis & ſua didit
Lumina, & Arctoæ facies præclara Coronæ.
Ipſa tibi decumis laſcivit regia Nerei
Fluctibus, immanes poſt tergum ducere Phocas
Quem juvat & Regi ſocio nunc plaudere cœtu.
Quam verſat fortuna gradus ſeque ipſa ſecuta
Jam premit & jam ſumma levat! Te, Maxime Regum,
Omnis in exemplum ſtatuit gens, omniaque à Te
Argumenta capit. Quis tanti exordia fati,
Quis vocet ad numerum, & fando ſatis exprimat omnes
Invidiæ ſortisque dolos? nil ſecula norunt
Exemplo par cuncta tuo, nil altior ætas,
Et quicquid veteri conſignat fama papyro.
Non aliâ magnus cœlum ratione meretur
CLAVIGER & ſuperis ſe civem ſedibus infert,
Siderei ſub parte poli; prius horrida juſſa
Atque novercales curis ingentibus iræ
Divinum toties tot per diſcrimina pectus
Et varios agitant ad ſumma cacumina caſus.
Seu Nemeæa illi ſuccumbat beſtia; ſive
Tundat Amymonium fæcundis ictibus anguem;
Aureaque eripiat cuſtodi mala Draconi;
Sive truces Dominos ſævis in pabula juſta
Ponat equis; medioque Canem producat ab Orco.

Hi caſus, hæc prima tuis ſe oſtendere fata
Auſibus, his Livor conſurgens motibus in Te
Vipereæ vomuit furialia toxica linguæ,
Atque ipſas Erebi ſocias Acherontaque totum
Movit in auguſtum CAROLI caput. Horruit Orbis,
Et quodcunque audit, non audet credere verum,
Atque ultra putat eſſe fidem, quamcunque vel ipſe,
Vel DIVUS ſortem GENITOR perpeſſus acerbam.
Non refero ſcelus hoc, meminitque invita papyrus
Infames patriâ ſaturatas cæde ſecures,
Graſſantemque feris in regia jura Tyrannum
Motibus, & diros Patris Patriæque latrones.
Non Pater Æneas tantis exercitus olim
Fatorum Divûmque odiis, quanquam ille ſuorum
Funera, fumantemque alto de littore Trojam,
Direptasque arces videt, amiſſamque Creuſam,
It tamen, & patrio ſolatur pondere fata.
Nulla quies armis, non cædes, funera, pugnæ,
Et nulla immanes ſatiabant vulnera dextras.
Ipſa tuum rabies petiit caput atque nefando
Adjecit pretium ſceleri: cum crimine lucrum eſt,
Nec gratis juvat eſſe malum. Sed ſervat amicum
Numen & innocuum per tanta pericula Regem
Duxit & inſanæ ſubduxit terga procellæ.
Altior eluxit majeſtas preſſa, nec illos
Degeneres poterant animi perferre labores.
Jam Te non tua terra capit. videt ipſa vagantem
Anglia, nec Dominum complectitur angulus ipſum,
Et male fida ſuo vilis ſpelunca Magiſtro eſt.
Monſtravit tamen, & quà ſe Iovis arbor in auras
Fuderat, umbroſis juſſit conſidere ramis,
Seu Dea, ſeu Diana fuit. Vos, ſi qua fovetis

Numi-

Numina, (divinos quis vates dicere falſos,
Et Dodonæas auſit contemnere voces?)
Æternæ frondes, Daphnes nam vilior exſtat
Gloria, nec tantum tribuit ſibi cedrus honorem,
Si decreviſtis civilibus ante corollis,
Civilem à vobis & jam creviſſe ſalutem
Diſcimus. Heu quoties illum contemptior alga
Ceperat, & tenuis placata eſt paupere menſâ
Et non docta fames! Sic magna triumphat egeſtas!
Sæpe peregrino didicit diffidere ſoli;
Sæpe etiam Livor blandas cum viribus artes
Miſcuit & vafras tentavit jungere fraudes,
Ni tua crudeles ſolertia luſerit aſtus.
Ipſa etiam privis ſeriem Libitina malorum
Cladibus adjectis connexuit invida nodis.
His gyris mens alta ſtetit. Hæc area fati
Virtuti præſcripta tuæ. Sed vertitur ingens
Jam rota, jamque novus rerum tibi naſcitur ordo.
Scande triumphales, REX AVGVSTISSIME, currus,
Pacatosque tuo ſub numine ſuſcipe faſces.
A nutu ſtant cuncta tuo. Te prona veretur
Anglia & excelſum ſubmiſſo nomen adorat
Poplite clementique maritat baſia dextræ.
At Tu manſuetis Natam complexibus ambis,
Anticipasque preces veniâ promptisſimus, ut ſe
Miretur non eſſe ream. Quæ ſecula mites
Extollent ſatis hos animos? Quod, MAXIME REGVM,
Hæc ſatis evolvet generoſa OBLIVIA tempus,
Non ullo condenda die? Non temporis acti
Laudator cupit eſſe ſenex, cui contigit illum

Nunc

Nunc vidiſſe diem. Populi vis magna remotis
Sedibus ad tantæ properat ſpectacula pompæ,
Atque tuos præſens vultus & mitia adorat
Lumina. conſperſas jam paſſim matribus ædes,
Obtectasque viris plateas clamoribus auras
Rumpere & ingentes interprete murmure cernes
Demonſtrare animos. VIVE ô æterna tuorum
Gloria, ſublimesque excelſius effer habenas.
Et patrium rege nunc patriis virtutibus orbem.
Tu famâ metire polos vaſtasque per oras
Labere, & occurrant gemino tua nomina Phœbo.
In plauſus tuus æther abit juvenileque mundus
Erexit caput atque tuo comes ivit honori.
Nulla tuos quatiet violenta potentia faſces,
Nec fortuna ſacras temerat malefida tiaras,
Regna Tibi librat DEUS & THEMIS. Omnia fulcris
Stant ſubnixa iſtis. Stabunt dum terra polusque
Stabit & æternis generoſa Britannia talis
Fixa erit, atque animis ac viribus inconcuſſa.
Quilibet illa ſui repetit ſuffragia voti:
Pulchra dies, quæ te regnantem; pulchrior illa,
Quæ ſimiles de Te natos; pulcherrima demum,
Quæ ſeros vidit de Te ſupereſſe nepotes.
Hæc Cives tibi vota domi vernaculaque offert
Gaudia: at alta foris Tibi PORTVGALIA fundit
Jubila, regales jam ptomta accendere tædas,
Et geminas iſto conjugere fædere gentes.
Hæc annexa tuis tam grandia ſtemmata ſceptris
Radices ſine fine ſerant, quantumque per auras
Erectæ frondes, tantum defixa perennet
Arbor, & æternum duret per ſecula robur.

Hinc Tibi ſemideûm naſcetur ſurculus, inde
Multa Caledoniis CAROLI propago reſurget
Faſcibus, atque ſui moderabitur orbis habenas.
Sis felix, REX MAGNE, humiliſque ad vota poëtæ
Divinos aperi clementi Numine vultus,
Atque pias, quamvis peregrino ſchemate, Muſas
Adſpectu dignare tuo. Nil poſcimus ultrà.
Quod ſi prima meis CAROLO tutore Camœnis
Orſa, etiam ad CAROLVM nunc recto tramite tendunt,
Arcano raptæ genio & ſubtilibus auris.
Scilicet alta latet, (tantum prædicere vates
Audeo!) magnifico CAROLI ſub Nomine virtus.
A CAROLIS reparata ſalus, CAROLINAque fulſit
Dextera Germanum fulcris ingentibus orbem
Et nova regna dedit. CAROLIS Arctoa ſuperbit
Gloria victriceſque extendit ad æthera laurus.
Tu, CAROLE, imperium gelidam moderaris ad Arcton,
Et vaſto das jura mari: moderatur & alter
A CAROLO CAROLVS. Veſter Septentrio: veſter
Orbis, & ad veſtros trepidabunt omnia nutus.

VOTIVA ÆTHERIS ET TERRÆ HARMONIA.

Seu de Tonitru,

Quod ipſo Coronationis Regiæ Feſto, poſt conſuetas bombardarum majorum gratulationes audiebatur,

EPIGRAMMA.

TOnate Divi. Veſter Hercules, veſtri
Propago cœli ſummus inter æternos

D. Graſſa-

Graſſatur ignes fornicesque flammantes
Pulſat beato vertice & ſuam propter
Subſidit Arcton, maximi Jovis proles,
Numenque celſis glorioſus auguſtum
Importat aſtris. Heic laboris immenſi
Fixit trophæum. Iſto quievit in puncto
Fati orbis, & ſuos voluta per gyros
Rota exit ingens & tremenda Divarum.
Tonate Dii, noſtriſque murmur æternum
Miſcete bombis. fumat ecce jam totum
Littus Britannûm, maximoque percuſſa
Fragore tellus vota ſolvit AVGVSTO
Manſura REGI. paſtus ecce nitrato
Carbone venter machinæ trucis flammas
Laſcivientis jubila inter eructat
Vulgi laceſſitque æmulo ſono veſtros
Ignarus ignes. Ipſe Capripes vaſtis
Subſultat agris, mollibusque laſcivi
Nymphis jugati ad fulgura iſta terrenis
Sociata flammis ductitant choros Fauni.
Tonate Divi. hic ille Diis ſatus PRINCEPS,
Beatioris ille filius Mundi,
Cælique grande pignus atque depoſtum.
Secli ſmaragdus gemma temporis noſtri.
Veſtros meretur ille Veſter applauſus.
Tonate Divi. nam loquela ea eſt ſummis
Conceſſa Divis. ille Numinum ſermo.
Hâc voce diæ monte de ſacro Leges
Latæ Tonanti. hæc ipſa ſolvit æterna
Nunc vota REGI. Sed quid ergo mortale
Occento carmen? digna namque Dii tantum
Dixere vota Regibus. Sed abrumpo,
Soliſque partes trado nunc meas Divis.

ANA-

ANAGRAMMATA.

I.

CAROLVS SECVNDVS,

MONARCHARVM MAGNÆ BRITANNIÆ TERTIVS, ET FRANCIÆ ET IERNIÆ REX.

Per anagramma ἔμμετρον.

FORTVNÆ EN TIBI NVNC DOMINVM! CVI ASSERIT ÆTHER
REGNA, LARES, ARAS. CHARA ERIT ECCE MANVS!

II.

CAROLVS SECVNDVS,

MONARCHARVM MAGNÆ BRITANNIÆ TERTIVS, ET FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REX.

Per anagramma ἄμετρον.

NEC BANNOS, NEC FVNERA; AT AMNESTIAM RELARGIOR ET MVNERA. IBI DEVS *ET* JVS *ARX CHARA. HVC ITE.*

EPIGRAMMA

DE ANAGRAMMATIS ISTIS.

NAm quid inerme tuis cieo, REX MAXIME, plectrum
Laudibus atque rudi carmina fingo lyrâ?

 Elin-

Elinguis Tibi ſi decantat littera laudes,
Nil ego nunc numeris addo Poëta meis.
Majeſtas in voce ſedet: clementia: fatum.
Quid non? ſub CAROLI nomine id omne latet.
Non niſi verſa Tibi hoc edicit ſyllaba: ceu &
Fortuna hæc eadem, non niſi verſa, parat.
Mirabar; (neque enim Muſa hoc invita parabat.)
An (dixi) Regum nomina Numen habent?

ADMIRANDA
DIEI SEXTÆ MENSIS FEBRVARII,
QVÆ NATALIS EST
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO WILHELMO
ELECTORI BRANDENBVRGENSI,&c.&c.
ET
SERENISSIMO FILIO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
CAROLO ÆMILIO,

I.

SAlve ſancta dies, priſcis celebrata Pelasgis,
Effer adorandum, Lux pretioſa jubar,
Salve ſancta dies, omni mirabilis ævo,
HEROVM genitrix prodigioſa dies.
Te canimus, geminos uno qui fœdere vincis,
Et Patrem Nato jungis, cumque Patri.

Vos

Vos canimus, Menſis quos fata ſecunda ſecundi
In lucem ſextâ luce dedere DVCES.
Ille dies patriis FRIDERICVM duxit ab aſtris:
Ille dedit CAROLVM progenuitque dies.
Scilicet ille dies fatis electus ab ipſis,
Vitam Electori qui daret, unus erat.
Conſpirat veſtris Natura pararia fatis
Auſpicioque diem conſecrat illa pari.
Et fato vobis & voto vivitur uno,
Unaque mens geminis ſpirat & unus amor.
Par Patri Natus, Nato Pater, absque pari Par,
Quosque ſibi ſolis dixeris eſſe pares?
Quem Tibi Natalem, DVX MAXIME, fata dederunt,
Tu Nato, & Patri reddidit ille Tibi.
In Patre Natalis Nati eſt, & Patris in illo,
Natalique Patrem te parit ille ſuo.
Naturæ natum debes Natoque renatum
Te Pater, & Phœnix es ſine morte novus.
Viva μετεμψύχωσις erit. Patre Natus in iſto
Vivit; in hoc vivit non moriente Pater.

II.
IDEM DIES
ALEXANDRO MAGNO
NATALIS ET FATALIS.

PEllæum genuit Regem Lux iſta Pelasgis,
Luce etenim ſtetit hâc, hoc Duce, Graja ſalus:
Pellæum rapuit Regem Lux iſta Pelasgis,
Luce etenim cadit hac, hoc Duce, Graja ſalus.

Martia ſidereis cecidit de ſedibus aura,
Eſtque ea divino ſemine fœta dies.
Gignit Alexandrum Te Lux Mavortia Patrem.
Natus Alexander gignitur iſte Patri.
Non hic Alexandro Natalis lumina Patri
Claudet; Alexandrum nam dedit ille novum.
Qui Patrem Natumque tulit, feret iſte Nepotes,
Natalisque dies omnibus unus erit.
Sic Vos perpetua naſcendi lege renatos
Non poterit morti tradere ſumma dies.
Magnus Alexander Pater es, Gradivus in armis,
Tuque es Alexander, Maxime Nate, minor.
Sis minor: at cum jam creſcent tibi fata per annos,
MAGNVS ALEXANDER, MAGNVS ERIS CAROLVS.

III.

IDEM DIES

SOCRATI NATALIS.

Qui modò Alexandri fuerat natalibus, idem
Socratis inſignis creditur eſſe dies.
Rex fuit hic Regum, ſed Rex fuit ille Sophorum.
Auſpicio hunc grandi ſignat uterque diem.
Omnia divinos oſtendunt omina, in illis
Jam duplex iterum ſceptra Minerva tenet.
Hoc connata die eſt illis innataque Virtus;
Natalem hunc SOPHIE nam vocat ipſa ſuum.

AVTOR

AVTOR
DE SE IPSO
EODEM DIE NATO
AD
SERENISSIMOS PRINCIPES.

QUis vero credat? tenuis de plebe Poëta
  Cum Vobis una nominor ergo die?
Quique ſimul natus (verbis ignoſcite) dici
  Cognatus Vobis hâc ratione queo?
Veſcimur hâc aurâ, ſed veſtrâ veſcimur aurâ,
  Et quæ veſtra fuit, lux quoque noſtra fuit.
Vos lucem hanc, vos lux illuminat illa, poteſtque
  Nunc lucem tenebris lux dare veſtra meis.
In numerum Numerus venio, Ducibusque Poëta
  Miſceor exiguæ ſortis & artis homo.
An bene cum fatis Vati convenit? an error
  Ille fuit, vitam cum dedit illa dies?
Cauſa ſubeſt. Sed quæ? ne ſoli ſcilicet irent,
  Illis â pedibus forte Poëta fui.

Ælian. lib. II. Varior. cap. XXV.

SExtam diem menſis Februarii multa bona, non ſolum Athenienſibus, verum etiam multis aliis attuliſſe ferunt. Ea die Socrates in lucem provenit. Tradunt eodem etiam die Alexandrum & in vitam introiiſſe, & è vita egreſſum eſſe.

EPIGRAMMA. VOTIVUM.

QVOD.

REVERENDISSIMO. ET. SERENISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO.

DOMINO.

CHRISTIANO. ALBERTO.

ELECTO. LVBECENSI. EPISCOPO. HEREDI. NORWEGIÆ. DVCI. SLESWIGÆ. HOLSATIÆ. STORMARIÆ. ET. DITMARSIÆ. COMITI. IN. OLDENBVRG. ET. DELMENHORST.

APOLLINI. CIMBRICO.

MVSARVM. STATORI.

OPTVMO. MAXVMO.

DOMINO. SVO. CLEMENTISSIMO.

HVMILLIMA. MENTE. ET. MANV.

OFFERVNT.

NOVÆ. ACADEMIÆ. CHILONIENSIS.

STVDIOSI.

* * *

ERrabant viduæ per teſqua, per arva Camœnæ,
Nec jam Parnaſſo, quod fuit ante, decus.
Phœbus in occaſu ſtabat, cedebat Apollo.
Qui traheret noctem, jam propè veſper erat.
Majores cecidere ſacris de montibus umbræ,
Triſtia, quæ Phœbi ſigna ruentis erant.
Extulit ergo NOVUM noſter Septentrio SOLEM,
Ac alius Muſis natus APOLLO fuit.

Expulit

Expulit has dudum tellus Eoa, nec Auſter
Novit, & occiduis hæ cecidere plagis.
Nunc ergo in Borei figuntur cardine Mundi,
Et firmo Múſæ ſe ſuper axe rotant.
Has, DVX MAGNE, foves, Borei SOL ſplendide cœli,
Æternumque regis ſummus APOLLO chorum.
Aſtra cadunt ſurguntque alibi diviſa per horas;
Tu Boreo ſemper PHOEBVS in orbe nites.

APOLLO REDVX.

Sive

Carmen Epanagogicum

Quo

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO SVO,

DOMINO

CHRISTIANO ALBERTO,

Ex Italiâ feliciter redeunti

humillime gratulatur

ACADEMIA KILONIENSIS.

CImber Apollo redit. Properate ad carmina Muſæ,
Et faciles date plectra Deæ, miſcete Parenti
Jubila & allapſas confundite plauſibus auras.
Cimber Apollo redit Latiis modo ſalvus ab oris,
Optatosque ſuis vultus jucundaque rurſus
Lumina & æthereæ monſtravit frontis honorem.

Quis voces quis vota premat, queis æſtuat omnis
Fibra, quis arcanos ſub pectore ſopiat ignes?
Hactenus obſcurâ premimus caligine lucem
Ac omnes nox tetra tegit, ſuffundimur umbris
Cimmeriæque diem nobis rapuēre tenebræ,
Dum Sol noſter abeſt: Nunc, qui cum Sole recedis,
Phœbe, iſto redeunte, redis hyemesque ſerenas
Et vitam reparas; nam quâ tu lampade fulges
Vivimus, èque tuo reparamus lumine vires.
Jamque ſilent Scythico bacchantes frigore Cauri,
Exuit arcta Tibi cataphractus vincula Nereus,
Dum Tu, Summe Ducum, redeuntem colligis annum.
Sole tuo ſævæ cedit vis aſpera brumæ,
Et rediviva Tibi tellus pubeſcit & annus.
Salve, Summe Ducum, Naturæ gloria, ſalve,
Ac inter ridentis opes & gaudia mundi
Certantes aſtris oculos atque æmula vernis
Ora roſis populis in vota ruentibus effer.
Se reduci Natura Duci, ſe Cimbrica tellus
Tota ſuo laxavit hero, Te prona Parentem
Rura vocant lætisque patens in collibus aër,
Et calcata tuis animantur ab ignibus arva.
Jam tepidi pulſo regnant Aquilone Favonii
Antevolantque pedes àc obſtetricibus auris
Eliciunt flores, veſtigiaque ipſa coronant.
En tibi gratarum plebs ingenioſa volucrum
Luminibus vegetata tuis vectigal amœnæ
Vocis & argutos impendit garrula cantus,
Non intellecto dictans tibi vota ſuſurro.
Salve, Summe Ducum, famulantia reddimus ecce

Vota

Vota Tibi & poſitis ignes accendimus aris,
Ne munus ne ſperne pium, ne reice Camœnas,
Exiguumque Tibi patere hoc adrepere carmen.
Si Tibi ſolennes indicit Cimbria pompas,
Si Tibi votivis pietas bacchatur amica
Plauſibus, & totis ſtrepuerunt obvia vicis
Gaudia, ſi fremitus animoſior Aula ſecundos
Ingerit ingeminatque & ahenæ fulmine cannæ
Æthereum per inane tonat Dominumque ſalutat;
Si Tibi vocali præludit fama metallo:
Quis noſtro fines auſit præſcribere amori?
Quis mutas jam ferre moras auramque ſilentem
Poſſit? quæ nolit chordas animare loquaces,
Quæ non nervorum numeros irritet ovantes
Muſa, nec audaces jubeat tinnire cicutas?
Jam pandunt Helicona Deæ pincernaque Vatum
Pegaſus æternos totus reſolutus in imbres
Vocales Tibi fundit aquas, ac altius hinnit,
Totaque manſuris decreſcit laurea fertis.
Ter ſalve, CHRISTIANE, Ducem qui dividis unum
Omnibus, exemplisque animum præſentibus imples
Illapſuque beas, dum tu natalibus oris
Redderis ac patrias iterum moderaris habenas.
Te toties expoſcit amor, nec vana tuorum
Spes quanquam longis inter ſuſpiria curis
Anxia, nec certis ſignans ſua vota Kalendis.
Te Nymphæ taciti per muta ſilentia ruris,
Ipſi etiam montes, ipſa hæc arbuſta vocarunt.
Te ſonuit noſtris Paſtoria fiſtula ſylvis,
Sed lugubre canens & triſtia murmura miſcens,
Ac iterata pigro dictans convitia ſoli:

Te

Te tamen haud patrii poterant, Dux Magne, penates
A longâ revocare viâ, non vota tuorum:
Auſoniæ Te ſummus apex, Te publica poſcunt
Magni vota orbis, famulas tibi porrigit ulnas
Et tanto ſeclis ſe jactat nomine Tibris.
Adria Te tumidus, Te divi purpura Marci
Admirata fuit, memorabuntque iſta nepotes,
Quæ loca tu quondam, quæ tecta impleveris ingens
Hoſpes ab externis veniens Tirynthius oris.
Cæſareæ applaudunt Aquilæ ſublimibus alis
Æternosque Tibi faſces felicibus implent
Auſpiciis pulchroque ſalutant nomine Phœbum
Muſarumque Patrem: quo nomine noſceris orbi,
Ac Latium Te jam præſens ceu numen adorat.
Sis felix, Dux magne, humilesque admitte Camœnas,
Et Pindi pia vota tui, totamque capaci
Pectore complexus Patriam tua ſceptra reſume,
Fortunam victurus adi, fer lora juvandus
Illius auſpiciis, felicibus actus ab Euris.
Vive Decus populi, vive ô æterna tuorum
Gloria & hæc audi communia vota tuorum:
Pulchra dies, Phœbum quæ nobis; pulchrior illa
Quæ Phœbo Phœben dederit: pulcherrima demum
Quâ ſoles alios dabit & nova ſidera Phœbus.

PRO-

PROGRAMMA
ad audiendam Orationem, de Laudibus
Reverendiſſimi, Sereniſſimiq; Principis ac Domini
DOMINI CHRISTIANI ALBERTI.

* * *

MAXIME CIMBRORUM PRINCEPS, cui noſtra loquuntur
Pulpita, cui linguas, pectora, vota damus,
Aſpice, quæ Phœbea paret Tibi munera pubes,
Interpres grato quæ pius ore canat.
Si nobis linguæ centum ſint, oraque centum,
Non linguæ centum, non ſatis ora canant.
Una tuas unâ laudes definiet horâ,
Quæ vincant annos ſeclaque ſera ferant.
Nos tamen hanc votis omnes armabimus unam:
Fama illas linguis mille loquetur anus.
Ipſe velim totos oranti effundere fontes.
Quæ præit ipſe pio murmure verba ſequar.
Ipſe Tibi carpam, tua reddens munera, laurus:
Ipſe dabo plauſus & bona verba canam.
Et faciles totum pandent Helicona Camœnæ,
Æternos debent quæ Tibi, PHOEBE, lares.
Vos quoque (ſi quis amor noſtrorum & cura ſacrorum eſt,
Si ſtimulos *MAGNI PRINCIPIS* addit amor)
Vos ô, quos Virtus nobis doctrinaque jungit,
Phœbeus ſua quos ad ſacra Præco vocat,

Eſte

Eſte boni facilesque animos auresque loquenti
Pandite. Conſpirent jubila, vota, preces.
Communis ſuperos pietas ardentius urget
Et junctæ quatiunt fortius aſtra preces.
Has vectigales *DOMINO* perſolvere voces
Poſſumus: hæc animi fida talenta damus.
Cui animam debemus & hanc, quâ veſcimur, auram,
Huic linguas, aures, vota dediſſe parum eſt.

CASTORI ET POLLVCI
GEMINO PRINCIPVM SIDERI
DOMINO
CHRISTIANO ALBERTO,
DOMINO
AVGVSTO FRIDERICO,
ILLI QVIDEM DE MVSARVM REGNO
HVIC DE EPISCOPATV LVBECENSI
GRATVLATVR
D. G. M.

DIVINI FRATRES, quos & Cœleſtis Origo
Jungit & æterno fœdus amore ligat,
TYNDARIDÆ FRATRES, qui lumine cuncta ſereno
Cernitis & nebulas diditis atque notos.
Vos ſacer ardor agit, ſpirat mens una duobus,
Unicaque in gemino corpore vita viget.
CHRISTIANVM SOPHIE jactat MVSÆQVE Patronum:
AVGVSTVM Pietas maluit eſſe ſuum.

Sed

Sed tamen EVSEBIÆ SOPHIE conſpirat, in Uno
Una ſit hæc animo credita Diva duplex.
Nîl hic diviſum eſt, ex aſſe tenebit uterque
Omnia & hæc vobis gloria mutua erit.
Vos nec ut Oebalios Fratres alterna vocabunt
Fata: mori PIETAS vos SOPHIEQVE vetat.

AD

REVERENDISSIMVM ET SERENISSIMVM

PRINCIPEM

DOMINVM

CHRISTIANVM ALBERTVM,

de nata in ipſis nundinis Cimbricis

FILIA.

DUm celeres Jani properant ad vota Kalendæ
Solennes Cimbris & rediere dies;
Dum reputat poſitos quivis in fœnore nummos,
Servat & expuncto nomine quisque fidem:
Pandit Amor tabulas, ſeque hinc FRIDERICA fatetur
Debendi, poſito pignore, ſponte ream.
Nam Tibi quæ totum debet, PATER OPTIME, Patrem,
Nunc Tibi ſe ſolam Mater amica dedit.
Sed tamen & magno ſolvet majora Marito,
Quamque animam Patriæ debuit, illa dabit.
Nunc fœnus Venus illa tulit: ſi verterit annus,
Fertilior ſortem tum FRIDERICA dabit.

AD

AD EVNDEM
de nato PRINCIPE FRIDERICO.

QUæ ſcribam Tibi, Magne Puer? quæ carmina fundet
Caſtalis in cunas officioſa tuas?
Cum totus haurire velim Permesſidos Undas,
Ac omnes toto monte movere Deas;
Cumque omnes cuperem Pindi decerpere lauros,
Ac ipſas Phœbi lætus adire domos,
Omnia cum vellem Tibi ſcribere, denique totum
In voces Vatem ſolvere, fata vetant.
Amoto ſpectat vates tua gaudia Phœbo,
Dumque domi non eſt ille, nec iſte domi eſt.
Ille tamen ſcribet, ſed inania, qualia fundi
A Musâ ſecum non habitante ſolent.
Ebria bacchantis prorumpant jubila linguæ.
VIVE PATER! VIVAT cum GENETRICE PVER!
Maxime VIVE PVER! Ridet Tibi REGIVS HERES
Miſturus fatis jam ſua fata tuis.
Sidera conſpirant Arctoo orientia cœlo,
Ingeminantque omnes omina, vota, preces.
Et cunis ego ſcribo tuis: nam ſcribere vatum eſt.
Subſcribunt votis terra polusque meis.

AD EVNDEM
de glorioſo ad ſuos Reditu
Academiæ humillima gratulatio.

AT Tu, Magne, Veni, (quid enim pia vota moraris?)
Effer adorandum Duxque Paterque caput:

Ut

Ut ſperata tuos ſaturent ſpectacula Cives,
Et cum Sole novo lætior annus eat.
Adrepit Patria, & vix, pondere merſa maligno,
Lumina funeſtis imbribus uda levat,
Et querulo Dominum metuentius ore ſalutat:
Sed tamen à vultu nunc animanda tuo.
Eximat hos faſtis pia dedignantibus annos
Cimbria, venturus ne ſciat iſta dies,
Ac ævo meliore nefandi vulnera luſtri
Expiet, in priſcum reſtituenda decus.
Redde Ducem Patriæ, non amplius hoſpes in illâ,
Ut ſibi reddatur, reddita tota Tibi.
Imus in amplexus, ruimus tua turba, tenemus,
Prenſamus mediâ, quâ licet ire, viâ.
Plebs Patribus, pueris pulchro commiſta tumultu
In plauſus furiis dulcibus acta calet.
Nos quoque non pars nulla ſumus, nec anhela recu-
ſant,
Quò rapiunt animos gaudia, verba ſequi.
Quæ modo ſigna tulit, * pugnaci opprobria ſeclo,
In Te ſpirantis pignora Pacis habet,
Quæque ſuos meditata capit vix ipſa triumphos,
Quam cupido! ſtringit Te tua Muſa ſinu.
Cum palmis venit illa, veniret & ubere cornu:
Martius hauſiſſet nî prius omne furor.
Saltem humiles, Dux Magne, togæ nunc ore celebrent
Auſpiciis cauſæ parta trophæa tuæ.
O bonus ô Patriæ noſtrisque renaſcere Muſis,
Natalis ſurgat noſter ut ille Tuo.
Quæ Tua, noſtra Salus: Tibi dat Deus: Ipſe redonas.
Te fugiente fugit; Te redeunte redit.

* *Alluditur ad Inſignia Academiæ.*

AD EVNDEM
DE PACE feliciter durante Magiſtratu ſuo, Academico illi reſtituta Elegia,
Cum faſces deponeret publicè recitata.

ERgo redis noſtris, divino munere, terris,
Aurea Pax, precibus ſæpe petita meis!
Te reducem lætâ populus jam fronte ſalutat
Omnis, in amplexus irruit ille tuos.
Pacem omnes clamant, juvenesque, ſenesque, nurusq;
Inſonat illa aris, inſonat illa focis.
Tityrus hanc patulæ cecinit ſub tegmine fagi,
Quique gravem findit lætus arator humum.
Fallor? an hoc nomen ſylvæ didicere loquaces?
Fallor? an hos Echo ſpargit ad aſtra ſonos?
Nam ſimulac albis invecta eſt Diva quadrigis,
Exultavit humus numine tacta novo,
Submerſumque ſuis lacerum caput extulit umbris
CIMBRIA, vah! quantis Cimbria fracta malis.
Mater iô ſalve! nova Te nunc fata manebunt;
Mater iô! vultus effer amœna novos.
Doris amara ſuas queis intermiſcuit undas,
Dulcibus hinc in agros efflue dives aquis,
Ut ſucco meliore beent nova prata juvencos,
Lætaque luxuriet per tua rura Ceres.
Vos quoque, quæ tacito ſediſtis monte Sorores,
Huc (nam veſtra vocant ſacra) venite Deæ.
Pierides properate, venit nunc veſter Apollo,
An venit? at veniet veſter Apollo brevi,
Huc properate omnes præcinctæ tempora lauro,
Non qualis galeam noxia Martis amat,

Qualis

Qualis at innocuis in munera vatibus ibit,
Qualis Apollineis plectitur illa comis.
Pacatæ ramos intexens Pallas olivæ
Serta, ſed à pugnis nunc aliena, ferat.
Sint procul à noſtris pugnacia numina caſtris!
Otia nos colimus, nos juvat alta quies.
Non niſi paciferis Cimbræ creſcetis Athenæ
Artibus; hæc vobis una, ſuprema ſalus.
Hanc toties Superos poſitis oravimus aris:
Hæc votis toties ſollicitata meis.
Et nunc illa venit noſtris extorta querelis:
Quanquam ſera venit: ſed tamen illa venit.
Reſpicit *illa* tamen miſeros recreatque clientes,
Et quia ſera venit, gratior illa venit.
Ah! memini, cum ſæva tuis incumberet agris,
Cimbria, tempeſtas, fulmine fœta novo,
Cum procul exciret, quos mitteret in caput ignes,
Cumque tibi premeret Mars ferus omne latus.
Quam metui, ne præda novo raperere furori!
Quantus erat per agros, oppida, tecta pavor!
Qualis ubi Ioniis jactata carina procellis,
In mediis metuit, ne tumuletur aquis.
Diripiunt cui vela noti, latus unda flagellat,
Incertumque tenet ſaucia puppis iter.
Heu! quis tum fuerit cernenti talia ſenſus:
Mortis ubi impendent tela, quis horror erit!
Felices veniant nautis trepidantibus ignes,
Vel fugiant Euri, vel cadat ira maris:
Vel procul oſtendant portus bona fata benignos:
Continuo pulſo vita pavore redit.
Solvitur in plauſus & in ebria jubila vulgus;
Nec ſe mens læto tacta ſtupore capit.

Illa fuit noſtris facies lætisſima Muſis;
Sic faciem oſtendit Cimbria tota novam,
Cum cupidas primum Pax læta veniret ad aures,
Efferretque novum dulcis imago jubar.
Excidat ò Cimbris ætas ingloria faſtis!
Candida quâ noſtris Diva receſſit agris.
Ah! quoties profugæ veſtigia cœca ſecutus,
Æthereâ volui ducere ſede Deam.
Si noſtro duci non ſprevit carmine, duxi.
Si dare nos voluit thura precesque, dedi.
Nec mea vota tamen ſparſerunt irrita venti,
Audivit noſtras Diva rogata preces,
Vatis & illa ſui non dedignata querelas,
Faſcibus acceſſit gloria magna meis.
Nam memini, & memori nunquam lux aurea mente
Labitur, in noſtrum quâ redit illa decus.
Ipſe mihi plaudo, plaudunt hoc nomine Muſæ,
Auſpiciisque volunt hoc licuiſſe meis.
Sunt hæc (ſintque diu) divinæ munera pacis,
Formoſa nobis quæ dedit illa manu.
Imo tuum Pax ipſa fuit, DEVS optime, munus:
Hanc Reges nobis, hanc peperere Duces.
Conſpirant noſtris nam fata & numina votis,
Et placidos ſpondent ſidera juncta dies.
Venit & illa tuo nobis, DVX Maxime, dono.
Tu fractis nunc Spes optima rebus ades.
Quam poteras armis, pacem pietate repoſcis,
Et Patriæ impendis, quot tua damna! tuæ.
Heu mihi! quot nobis fuit illa redempta talentis:
Te tamen hanc potius reddere juſſit amor.
Ut, quam non nobis expugnavere tot anni,
Nunc fieret dextræ munus opusque tuæ.

Signi-

Signifer ipſe tuæ (juvat hæc nos gloria) pacis
Signa per Aonidum regna modeſta tuli.
Nunc tamen haud nudâ ſpecies in imagine fulget:
Ipſa venit Muſis nunc ſocianda ſuis.
Signaque nos Domino ſubſternimus omnia noſtro:
Hæc tua ſunt Paci tota ſacrata tuæ.
Quæ premit hos humeros, Tibi nunc, tua PVRPVRA, fulget,
Jamque tuis radiis, jam nitet igne tuo.
Ceſſerunt huic arma togæ: toga ceſſerat armis,
Exſangui quondam pallida tota metu:
Sæpe alio metuit, quam conchæ ſanguine tingi:
Jamque triumphalis ſiſtitur ille color.
Illa tuos ornet ſemper, DVX Magne, triumphos,
Æternum Paci ſerviat illa tuæ.
Hæc quoque, ſupplicibus dederas quæ SCEPTRA, Camœnis,
Accedent pompæ pars quotacunque tuæ.
Pacis in his quoties circumportatur imago,
Perpetuum hæc nobis carmen & omen erit.
Stabit in his geminis, quæ Pax regit unica, fulcris,
Stabit, & æternum noſtra ſtet (oro) ſalus.
Scilicet hoc noſtras decoraſti pignore Muſas,
Ut tua cum fuerit, Pax quoque noſtra foret.
Hac noſtras premimus, tacita velut obſide, chartas,
Præſidium hæc noſtris, te Duce, rebus erit.
Hanc ut ſpecto lubens! ut pacis imagine paſcor!
Nuper & in ſomnis hæc mihi viſa fuit.
Dextra tenet ramum ſemper frondentis olivæ;
Plena erit hæc baccis; frondibus ante fuit:
Si tamen his, ſi plena fuit. Nam ſerta fuerunt
Frondibus è noſtris qui plicuere ſibi.

Cumque tuo clypeum manus altera nomine ſculptum
Exhibet, hoc etiam nomine Diva latet.
Cimber Apollo latet, pacem hoc qui nomine munit,
Namque tegit pacem, quâ cupit ipſe tegi.
Terga premit Divæ fœcundo Copia cornu.
Sæpe hîc pro magna ſpes bona meſſe fuit.
Muneribus ſit plena tuis! ſic optima rerum
Pax erit, hæc cornu divite pinguis erit!
Hos quoque Muſarum pando tabularia, LIBROS,
Ingere tu noſtris lumina blanda libris.
Heic pacis ſeges ampla Tibi eſt; quot nomina ſervat
Ille, tot heic pacis ſunt monumenta tuæ:
His Patriæ uſus eras, poteris cuſtodibus uti,
Atque Duces cupiunt hos fora, templa, Scholæ.
Ipſe velis Pater eſſe; tuâ modo pace fruantur:
Heic in longa tibi ſecla triumphus erit.
Florebunt variæ tot cum Doctoribus artes,
In pretio virtus præmiaquè ejus erunt.
Hoc quoque pacis opus, mitisſime reſpice PRINCEPS,
Quas tenet hic leges & tua juſſa liber.
Otia quæ nobis pacataque tempora præſtent,
Noſter & ordo piis quæ colat obſequiis.
His quoque Magne novos aperi DVX CLAVIBVS annos,
Tempora ut hæc nobis candidiora fluant.
Teque novi pateant, Jano velut auſpice, faſti,
Fataque ſint nobis, ſintque ſerena Tibi.
At tu magne veni noſtrisque illabere ſignis,
Auſpiciis reddas illaque noſque tuis.
Magne veni Princeps, quid enim pia vota moraris?
Nam Tibi, quæ capiant, pectora mille patent.

Aonii cupient Tibi ſe ſubmittere Montes:
Te nunc Pierides per juga ſacra canent.
Fons Tibi Caſtalius ferventibus effluet undis,
Approperat capiti laurea ſylva tuo.
EVSEBIE Tibi prona ruit, Tibique oſcula figit,
Quæ longo pallæ ſyrmate verrit humum.
Commoda mille Tibi, Tibi mille precata ſalutes,
Præſentis ſpondet munera ſancta DEI.
Te THEMIS alma vocat, ſacrum hæc Tibi dedicat enſem,
(Pacata nec enim diſſidet ille toga.)
Illa cupit leges, pacem cupit illa tueri:
Hanc etiam lanci ſubjicit illa ſuæ.
Non & HYGEIA aberit, multis redimita corollis,
(Præſidet hæc arti, quæ tua, Phœbe, fuit.)
Illa Tibi cupiens tetricos avertere morbos,
Nunc vitæ nectet ſtamina longa novæ.
Noſtra quoque injiciet SOPHIE Tibi vincla: * catenis
Te trahet & Peitho noſtraque Muſa ſuis.
Dumque Orbes rhombo varios vertente figurant,
Licia circumdant, protinus ipſe canam:
Ducite ab urbe domum mea carmina, duciteDaphnin,
Tuque moras omnes rumpe, vocate veni.
Te veniente novi nobis procedere menſes
Incipient, puri mollius ire dies.
Ille tuis natalis erit, DVX Maxime, Muſis.
Jam rediviva tuo ſidere lingua calet.
Horriſono late ſtrepat ut Bellona flagello,
Te Duce erunt Muſis otia longa tuis.
Secula longa fluent, nullis turbanda procellis.
Ah utinam nobis aurea tota fluant!

* *Alluditur ad Inſign. Fac. Philoſoph.*

Servate hoc nobis Superi, ſervate, periclis:
Omnibus ereptum tollite ad aſtra caput.
Servate hoc nobis, nos ut ſervemur in illo:
Regia ſit Conjux totaque ſalva Domus.
Tuque tuis infer vitam mentemque Camœnis,
Tu defende tuos, Tu decus adde novum.
Sic Tibi pacatæ maneat pars ultima vitæ,
Teque ſibi Divum ſidera tarda velint.
Sic Tua pacifico FRIDERICI à nomine Tellus
In ſera pacem poſteritate colat.

AD

EVNDEM

Ex Itinere Anglico.

QUi patriis dudum reddi debebat Athenis,
Trans mare nunc poſitum terra Britanna tenet.
Non levis eſt PRINCEPS mea MAXIME, culpa, ſed omnem
Præcipio veniam criminis ipſe mei.
Interpres tuus ipſe fui, nec iniquior in me.
Hoc unum Vati nunc licuiſſe velis.
Me peregrinandi non inconſulta libido:
Diſcendi cupidum ſed pius ardor agit.
Heic ego Muſarum veteres perrepto latebras:
Tot volupe eſt libros, tot mihi noſſe viros.
Heic quæ continuo rerum diſcuntur ab uſu
Colligo & hæc Cimbris munera ſervo meis.
Ah quoties volui fugitivas ſedulus horas,
Et celeres numeris ſiſtere Solis equos!

Sed

Sed pereunt nobis non advertentibus horæ,
Nec ſatiant doctam tempora parca ſitim.
Ergo tui creſcant conceſſi munere ſoles,
Fac novus iſte tuo ſidere menſis eat.
Hoc picis æterno memorabit carmine vates,
Quotque dies dederis, hic dare ſecla volet.
Ac ſtudioſa tuæ mea Muſa pediſſequa famæ
Scribet inocciduis hæc Tibi verba notis:
Si nova nunc illis, dederat quæ Sirius, addis
Otia, eris rebus magnus Apollo meis.
His ego rite colens Te vocibus: Otia, dicam,
Illa Canis nobis fecit; at iſta Deus.

AD
Serenisſimum Principem
Megapolitanum,
DN. CHRISTANVM,
Cum Idem Roſtochium
Homagii, quod vocant, Sacramentum
recepturus ingrederetur,

*** *** ***

SVSCIPIT. FRONTE. LÆTA.
VARNVS. CIVITAS. QVÆ. VULGO.
ROSTOCHIVM.
STATVMINET. IMPERIVM.
ÆTERNVS.RERVM.ET.RERVMPVBLICARVM.
STATOR.
J HOV AH!
FORTVNET.
FORTVNA. VANDALICA.
TRANQVILLET.

SECVRITAS. PVBLICA.
CONSOLIDET.
ÆTERNITAS. PLVS. QVAM. ROMANA.
ET.QVOD.VLTRA.SECVLORVM.MEMORIAM.
CEPIT. INITIVM.
NON. NISI. CVM. OMNIBVS. SECVLIS.
DESINAT.
BONA. PRECANTVR. OMNES. BONI.
ET. QVICVNQVE. SVB. ILLO. VITAM.
TRAHVNT.
REDONANT. ILLI. SOLENNE. SVVM.
VIVAT. VIVAT. VIVAT.
CONSONAT. ILLIS.
ET. SVO. QVIDEM. VOTO. FAVSTITATES.
TANTAS. VOVET.
VT. VOTO. NON. SIT. OPVS.
ET. HOC. QVALECVNQVE. AFFECTVS. SVI.
DOCVMENTVM.
HVMILLIME. OFFERT.
VNIVERSITAS. ROSTOCHIENSIS.

ERgo ades, & ſacrum jam lumine fœta beato
Inſtauras Matuta diem, ſperataque pandens
Brachia & auratos miniatæ veſtis amictûs,
Aſtra polo noctemque fugas; qualisque nec ante
Viſa, ſerenatum vultus diffundis honorem
Lætior. Ipſe novâ ſe Sol in luce coruſcum
Exhibet, inſolitæ viſurus gaudia pompæ.
Ipſe Tibi ridet facie formoſior annus,
Et pictô Tibi Veſta ſinu tot munera pulchra,
Jucundas diſpenſat opes. Tibi, MAXIME PRINCEPS,
Naturæ excelſo genius prælud it honori.

Et

Et RORA NOSTRA arcto foliorum clauſa galero
Quæ fuit, & floris vix oſtentaverat unguem,
Puniceos Tibi nunc turgens evolvit amictus,
Exortus venerata tuos: nam luce benignâ
Senſit adorandum ſibi nunc ſplendeſcere ſidus.
Ecce tuum Tibi nunc viduatis ædibus omne
Tendit in occurſum, nullô diſcrimine, vulgus
Defixis inhians oculis. Jam quilibet ardet
Tam ſanctum didiciſſe caput, paſcique benignâ
Fronte cupit. Jam tot rerum argumenta novarum
Miratur, puerisque oſtentant ſingula matres:
Quantum animos Tibi Numen agat; quæ ſidera frontis,
Quis decor; auguſtæ quàm proſtet candida formæ
Gratia; quanta Tibi vis ardeat ignea lætis
Clauſa ſuperciliis; jam tot monumenta fluentis
Lætitiæ, tot ſigna animi, tot publica amoris
Pignora; jamque omnem pandunt ex ordine ritum.
Delecti proceres, aulæ pars maxima, circum
Sublimes tendunt in equis, interque tubarum
Clangores ſubeunt florentes ære manipli,
Inſultantque ſolo, & pulchris animantur in armis.
Haud ſecus armipotens cœlum ingreſſurus Orion,
Primùm illuſtre caput multâque à luce coruſcum
Exhibet os, humeri hinc ſubeunt & pectus honeſtum,
Et qui ſe triplici diſtinguit baltheus aurô
Maximus, ante alios mundi ſpectabilis ignes,
Quique enſis timidis magnô mucrone minatur
Sideribus, geminique Canes veſtigia calcant.
Aſtra minora latent, dubiis aut ignibus ardent.
O quàm fauſta dies! populorum ô quanta tuorum
Gaudia! ſubſultant priſcis habitata VARINIS

Litto-

Littora, & ipſa ſuum ſubmiſsâ voce ſalutant
Rura Ducem, Numenque tuum tibi ſubdita tellus
Præſentit gaviſa. En ut tibi murmure feſto
Mœnia noſtra ſonent, cœlique imitata fragores
Sulphureas tormenta vomant per inania flammas.
Reſponſant auræ, reſponſant æquora circum,
Sylvæque Oceanusque & fluctiſona Amphitrite.
In plauſus coiere poli, conjunctaque terræ
Ingeminant ſua vota Dii & ſacra jubila miſcent,
Inque DVCEM ſtudiis omnes æqualibus ardent.
Salve, SVMME DVCVM, quem fata volentia nobis
Ætheriâ de ſtirpe ſatum indulſere piique
Nominis heredem, qui regibus ortus avitis
Stemmate deſcendis per plurima ſecula ductos;
Seu Tu Pellæö debes primordia ſceptro;
Seu antiqua magis, poſt longæ oblivia famæ,
Et memores ultra faſtos abſcondidit ætas;
Exiguum hoc in laude tuâ eſt. Reddantur inerti
Invidiæ, pereant ſecli monumenta vetuſti,
Et Virtus illuſtris Avûm: Tu ſanguinis autor
Ipſe tui, nec Te ſeclorum terminus ambit
Virtutemque tuam. Non fuſis fulta metallis
Ora auguſta Patrum pictique ex ordine vultus
Demonſtrant regalem animum. Tibi nobilis eſto,
Et te noſce prius, nec te quæſiveris extra.
Tot numerantur avi, prolixaque nomina gentis!
Quid cures hominum numeros, numerisque probandos?
Si nomen res ipſa negat, ſi pondus inanes
Deſtituit numeros. Te vellicat entheus ardor,
Ingenteſque animos generoſis imbuit auſis,

CHRI-

CHRISTIANE, o noſtri decus indelebile ſecli,
Teque Ducem frons ipſa notat. Puero Tibi VIRTVS
Adſtitit, utque Tibi reptare in pectora poſſit,
Cruſtula dat, vel quod cannis expreſſit Ebuſus.
Atque ait: Eſto meus: Tecum volitabo per omnes
Ingeniique orbisque vias, ſacrosque receſsûs.
Ecce tibi diverſa abeuntem in cornua callem!
Hic lævum fugito, dentes velut aſpidis Afræ
Tænariumque chaos. Nitendum fortiter. Inde
Inde licebit humum pedibus calcare tonantem,
Miſcerique Diis. Ingreſſu eſt aſpera, ſcrupique
Inſinuant ſeſe, jejunaque glarea, ruſcus,
Hamatique vepres, dumi, ſpina horrida, ſpina
Multa jacet fœdatque artus, dentisque terebat
Morſibus exigui, quando male fida prehenſa eſt.
Jam ſequeris; vel Cyaneos raperêre per æſtus,
Vel per Sithonios ronchos, Maleamque carinis
Inviſam. Sed & heic duplici Prudentia vultu
Adfuit, & geminis Conſtantia fulta columnis,
Et ſtrictô Themis enſe, omnesque ex ordine Divæ
Illuſtres animos ſapienti robore firmant,
Præſentemque altis genium conatibus aptant.
Jam teneræ micuêre faces & preſſa favillis
Flamma latere nequit, jamque oſſibus æſtuat imis
Virtutum præclara ſitis. Quis talia fando
Explicet, & dignô dicat præconia verſu?
Quæ ſuper invidiæ nebulas ſortemque caducam
Evexit Fama & cognatis ſcripſit in aſtris.
Nil clauſum tanto, nec inexplicabile quicquam eſt
PRINCIPIS ingenio, nil non penetrabile rerum.
Cuncta abſtruſa patent, animoque tenaciter hærent,
Seu mentis vigiles Latiæ per operta ſenectæ

Immit-

Inmittas oculos & ſcrinia præpetis ævi;
Excutias; ſeu tu ſacra ignorata profanis,
Naturæ rimeris opes tacitosque receſſus.
Quàm tibi nativa eſt, nec præmeditata venuſtas!
Quàm gravibus condita jocis & acumine molli,
Quâ te ſermonis genios convertis in omnes!
Non fucus fallax Tibi mentitique colores,
Et fictum inducens ars ambitioſa decorem;
Faſtus & aſtus abeſt, placidisque potentia verbis
Exulat, & volupe eſt privatam ſumere frontem,
Et faciles præbere aures, & mitibus ultro
Adfari alloquiis. ſolers prudentia factis
Eſt menſura tuis, quâ Tu moderaris habenas
Imperii, utque Caput tibi ſubdita membra tueris.
Præſentem ſi quando manum res ipſa requirit,
Promtus ades ſemperque tuus. non præmia recti
Occupat improbitas Virtutumque abdita plumis
Siſtunt ſe vitia & ſpecioſo tegmine fallunt.
Cumque opus eſt, Tibi jura Themis legesque ſupremas
Exigit, & ſcelerum comites Rhamnuſia pœnas:
Sed tamen & juſtas noſti cohibere ſecures,
Cùm tempus ratioque jubent, limoque tueri
Lumine. Sic Titan obliquis reſpicit hirquis,
Quos rectô ore nequit; nec ſemper cardine ſummô
Libratus totas abſumit corporis umbras
Æſtifer, & currum Nemeæo ſidere fultus,
Nec Phaëthontæos terram condemnat ad ignes.
Hæc ſi meta tibi eſt, non in Te infamia tela
Diriget, intentoque fremens jaculabitur arcu
Impietas atque invidia & crudelis Erinnys,
Et quæcunque Orco vitiorum tabida peſtis
Exit, Tartareo populos paſtura veneno.

Ergo tuis, PRINCEPS, aſſurgit prona tiaris
VANDALIA. Illa pio fauſtam clamore ſalutem
Occinit, excelſisque operatur cernuus aris
Civis, Jamque Tibi FIDII procedit imago,
Tergeminam triplici connexa in corpore dextram,
Juratamque fidem communi nomine dicit.
Hos inter plauſus & jubila læta tuorum
Et noſtras, HEROS CELSISSIME, ſuſcipe Muſas,
Ac exile Tibi patere hoc adrepere Carmen.
En ſua vota Tibi ſubmiſſo Academia vultu
Ingerit, & fari, pulſis à fronte tenebris,
Incipit: Ergo Tui, Sol ô clarisſime, Pindi,
Dux nobis ſperatus ades. Tu ſidera prome
Exortu meliora tuo, lucemque benignam,
Et radios infunde tuos, ne tetrica peſtis
Aonios afflet putri ſpiramine fontes,
Ne grave Falcigeri liventi lumine ſidus
Peccanti noceat flammâ, nec dira rubentis
Fulgura Gradivi, vel quo Cyllenius orbe
Se flammâ pejore rotat. Tu, MAXIME, Natam,
Tu tutare tuam, pede ne calcata profanô
Concidat. En! ſteriles Parnasſi hîc inter arenas
Vivimus & tenui ſolamur carmine curas,
Hortis Heſperidum digni. Quid enim juvat altum
Produxiſſe caput, genioque per ardua ducto,
Fortunam Priami ſimulare & nobile regnum?
Armenta Admeti princeps ſi pavit Apollo,
Quid facient ſervi? Tu res, PATER, erige fractas,
Tu fac effœtas iterum revireſcere laurus,
Roreque paſce tuo, tunc ſe mens alta tuorum
Tunc pigrâ ſe tollet humô: Sic Te, BONE, ſervet
Dîa Salus, & cùm Nelidæ impleveris ævum,
Tunc ſolida ô! reddat meritorũ præmia cœlũ.

AD

AD

Sereniſſimum Principem ac Dominum

DOMINVM

GVSTAVUM ADOLPHVM,

Ducem Meclenburgicum &c. &c.
Roſtochium ingredientem.

DEſpice me ſummo, qui, deſpicis omnia, vultu
GVSTAVE, ô noſtri Solque decusque ſoli.
Deſpice me facili, ſed qui nil deſpicis, ore,
Et luſtra radiis infima quæque tuis.
Tantulus ad tanti procedo Solis apricum,
Roreque cantillo paſta cicada tuo.
Cunctorum Sol es, Princeps GVSTAVE, meusque,
Ille calore ſuo; Tuque favore foves.
Claudo meos nictans ad tantum ſidus ocellos;
Sed tenero vultus ore ſaluto tuos.
Parva fero MAGNO: nam Solis ſidere magno
Mille modis hoc in pulvere repo minor.
Montibus ille prior lucet: Tu Mentibus altis.
Quod ſi me radius non ferit, umbra tegat.
Quisquis Sole tuo non gaudet, lumine Phœbi
Excidat, inque die perdat is ipſe diem.

PANE-

PANEGYRIS GENETHLIACA,

QVAM

CELSISSIMO NATALI

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

GVSTAVI ADOLPHI,

Ducis Mecklenburgici, Principis Vandalorum, Sverini, Ratzeburgi, Comitis Sverinenſis, Roſtochii & Stargardiæ Dynaſtæ,

DOMINI SVI CLEMENTISSIMI,

d. 26. Febr. Anni cIↄ Iↄc LX. ſolenniter celebrato,

publice (inter publicos quamvis luctus) habitam

humillime conſecrat

D. G. M.

SERENISSIME PRINCEPS, CLEMENTISSIME DOMINE.

Offero TIBI TE, id eſt: laudes Tuas; non quidem, quales ſcribi debebant; ſed quales dare poterat levidenſis hujus ingenii tenuitas. Nullus mortalium numerus includet CELS. T. dotes, quin illæ omnibus numeris ſint abſolutiores. Nulli Poëtarum pedes menſurant immenſum virtutum Tuarum latifundium, niſi ſuo ſe metiri pede negligant. Celſiſſimus ille Tuus animus quaſi circulus quidam eſt, quem tot ſecula fruſtra quadrare & ad ignobiliorem formam tradu-

traducere ſatagunt, ſemper in ſe rediens, ſemper ſibi ſimilis, nec angulo excedens, nec ſinu quodam impreſſus. Volvitur hæc immortalis Tui Genii ſphæra ſuper fixo & ſtabili rationis axe. Divini Numinis amorem pro ſole habet, Virtutum omnium complexum pro ſtellis. Quarum quidem perfectio tanta eſt in T. CELS. ut ne umbram quidem alicujus vitii patiatur irrepere. Tu, CLEMENTISSIME DOMINE, eò processiſti magnitudinis, ut nec poſſit Tibi adulari quis, licet velit, quin, cum nimium dixiſſe videatur, parum dixerit: nec calumnias injicere, quin virtutum Tuarum moles illas ſupprimat. Et vide, SERENISSIME PRINCEPS, quantum nunc ſumpſerim audaciæ, quod laudum tantarum ebuccinator exiſtere voluerim, inter Poëtas, quotquot ſunt, pesſimus. Poëtarum quidam ſunt Cygni, & raro canunt. Tales ſunt illi Heroum præcones, quales profecto non una nocte naſcuntur, ut fungi. Quidam Luſciniæ, & exprimunt mihi ſuavitate ſuâ Elegorum ſcriptores. Quidam Hirundines, qui tinnulâ ſuâ garrulitate ſemper obſtrepunt, quales in edendo partu Deam Nixiam implorare opus non habent. Quidam Pſittacorum more verba tantum captant, & nil præter antiquum χαῖρε recinunt. Furantur quidam, ut monedulæ & cornicula illa Æſopica. In tenebris quidam ululant, ut noctuæ & bubones, & aliæ inebræ aves, quales ſunt, qui honeſtorum hominum famam occultis telis feriunt. Cui Nebulonum generi nemo tenebras invidet & nebulas. Cantabimus nos ad medium Solem, quanquam Cicadæ. Quæ licet creperæ ſint & ſtreperæ, paſcuntur tamen rore Tuæ Clementiæ, INDVLGENTISSIME DOMINE. Hanc ſi integram ſemper habebo, facile ſuperbire patiar iſtos

Ari-

Ariſtophanis σΦραγιδονυχαργοκομήτας. Nunc, ne quid deſit gratiæ, imponis Spartam, quam ſuſtinebat Vir longè Clariſſimus DN. TSCHERNINGIVS, Vir, cujus memoriam ſemper veneror & venembor. Cui oneri ferendo, ſi juveniles hi humeri adhucdum pares non ſunt, ætas forte conſolidabit. Ita ergo gratias nunc ago Tibi, SERENISSIME DOMINE, ut non agam, id eſt; ut, cum illas ne quidem concipere poſſim, moriendum mihi ſit ingrato. Accipe tamen GRATIOSISSIME DOMINE, has paginas, quas grati animi loco offero, & licet non tolerent ſublimes illius Tui ingenii radios, cogita & in Apellea aliquando tabula peccare Veneris ſandalium. Quod ſupereſt, æternum Numen veneror, ut toties totiesque redeuntem videat Natalem ſuum CELS. TVA. Inſerat illud novum Sereniſſimæ Familiæ Tuæ, maſculæ ſtirpis ſurculum, ſub cujus ramis ſecutura aliquando protegatur poſteritas, Teque Celſiſſimamque Tuam Domum æternum beet. FIAT! DEVS optime, FIAT!

SERENISS. T. CELSIT.

Servus humilimus

D. G. M.

QUalis Hyperboreo ſubjectus Lappio mundo
Et Scrito finnus atrox immitisque incola Zemlæ,
Queis tellus Jove preſſa malo eſt, queis vertice flavo
Stant ſuper inque breves tardâ vertigine gyros
Impexæ villos urſæ glacieque rigentes
Circumagunt, latitant tenebroſæ carcere noctis,
Tunc cum Virgineæ ſubtraxit lumina Spicæ
Cynthius æthereâque diem ſuſpendere librâ

Incipit. ingeminant umbræ nocturnaque paſſim
Carmina Stentoreo decantat bubo boatu,
Jamque Lupi nil ſuave canunt, ſtatque agmine toto
Et raucum ſylvis interſonat urſus opacis.
Ergo ubi prolixis vaga nox circumvolat alis
Et toti incedunt ſine ſole & lumine menſes,
Antiquum rediiſſe Chaos tunc creditur illis:
Tunc ingens pavor & longâ vadentia pallâ
Spectra, truces genii pallentesque omnia formæ
Incurſant animis humanaque pectora terrent.
Non alius nos caſus habet: nunc nocte ſedemus
Mœrorum & longâ lacrymarum à nube profundas
Mergimur in tenebras. Nostræ Sol Avrevs Oræ
Perpetva Nvnc Nocte Jacet Nescitqve Reverti
Atqve Ortv Cadit Ipse Svo. Queis vivimus aſtris?
Queis rapimur fatis miſeri? Non una fatigant
Nos mala; ſed totis tempeſtas horrida nimbis
Urget diluvioque ſupra caput exit aperto:
Nec miſeros ſemel eſſe ſat eſt; numerata tenemus
Omnia. Jam Patriæ lacerum crudeliter ora
Stat decus, & [quis erit finis limesque malorum?]
Ingens continuò patet hîc orcheſtra Gradivo.
O Superi! (neque enim veſtri meminiſtis & orbem
In plorata novo damnatis ſecula luctu,)
An metuit Natura malum? num tempora Pyrrhæ
Terra timet? Tityusve Diis cœloque nefaſtum
Intentabit opus rurſumque rebellia ſumet
Centipes arma Gigas atque anguifer omnia Typhon?
Fatalesve notat rerum ſors ultima flammas?
Sed luctus ſervamus eos, juſtosque dolores
Tempeſtiva dies manſuro plangere leſſu
Incipiet: Tu nunc tantum tibi, maxime Princeps,
Indul-

Indulge hunc animum noſtriſque vocate Camœnis
Ad tua feſta veni, noſtro celebrabere cantu,
Ore licet tenero; prægrandibus attamen auſis.
Exere mite jubar toti venerabile mundo
Et laudanda tuo, lux optima, nomina Pindo,
Pande omnis ſecreta poli, pande æthere quicquid
Progenitum eſt, quicquid præſentia numina ſpirat.
Nil canimus vulgare. Deos ad plectra vocamus
Noſtra Diiſque ſatos & Regibus edita avitis
Nomina Pellæoque orientes ſteminate Divos.
Omnia ſunt excelſa. nihil mortalia dicunt
Carmina. nulla tuas æquat facundia laudes,
Et genium, GVSTAVE, tuum. Siccabimus æquor,
Et Phœbea prius crepitante juvanda lucernâ
Lumina. Nemo tuos æquè celebrabit honores,
Quamvis Pegaſeos conſumeret helluo fontes
Totaque centimanus Pindi juga vertere Cyclops
Audeat atque omnes armis expoſcere Muſas.
Quis tua deſcribet, PRINCEPS, præconia? non hoc
Plebeium capit illa caput paganaque ſcribet
Pagina. Succumbit tenuis ſub pondere tanto
Spiritus & vaſtâ ſeſe ſub mole fatigat
Incedens per cuncta labor, quantumque pererrat
Omnia, Dædaleo tantum ſe involvere gyro
Nititur & laudum creſcentibus abditur undis
Cymbula inexhauſto nimium jactata profundo.
Sed ſequitur tamen & quantum tu cærula ferris
Navigio, GVSTAVE, tuo ſuper æquora, tantum;
Seu venti tumido prægnantia carbaſa ventre
Implent; ſeu decumana animant in prælia vires.
Te ſequitur, tua pone legit veſtigia puppis
Appendix inhonora tuæ connexaque diſcit

 A fato

A fato ſua fata tuo. trahis unica noſtros
Cura animos. tua me gratis clementia vinclis
Detinet, ô PRINCEPS, & amicâ compede claudit
Degenerem hunc animum, nec tanto munere dignum.
Ad nutus exurgo tuos tuus & tua ſervans
Numina; nec ſoli tibi nunc natalia fulgent
Tempora, concurrunt faciles ad carmina Muſæ,
Et tua certatim properant ad feſta Quirites,
Ceu curæ pars una tuæ. Non publica noſtros
Affligant nunc fata animos. Nempe omnia ſalva,
Cum tu ſalvus eris; celebrat Natalia Princeps,
Concelebrat Populus. Populi Natalis in illo eſt,
Et tuus in populo. Te votis poſcimus omnes,
Te petimus gaudetque ſub iſthoc Sole renaſci
Noſtra ſalus validosque movet ſurrecta lacertos
Diffuſumque animat te ſoſpite Patria corpus:
Nam velut æthereos abſcondita vis trahit orbes
Ac ignota manus Superûm, ſimul æthera magnum
Protrahit & toto labentia ſidera cœlo
Æquali ſuper axe rotat, jamque intima vires
Stat Tellus impreſſa novas. olli ignea Virtus
Inſinuat tacitis illapſa meatibus & tunc
Naturam preſſo ſua euntem in viſcera ſocco
Miratur cœlumque imos intrare receſſus.
Hic tuus eſt, GVSTAVE, labor. movet iſta patentis
Mens orbem patriæ, perque altos diditus artus
Spiritus it. Nam Te motore movebimur omnes,
Meque etiam ipſe moves. Tibi publica cauſa do-
lendi?
Eſt nobis eadem. Tibi publica gaudia cordi?
Hoc noſtrum quoque munus erit. Fremat undique
Mavors

Collectamque agitet rabiem cædesque rapinis
Miſceat & cœlum atque atri antra horrentia Averni
Et ſata nocte ruat laxato Natio ab orco
Anguineas impexa comas, nihil improba noſtros
Terrent fata animos tanto ſub numine tutos.
O mihi ſi gratis nunc totum implere liceret
Æthera carminibus! ſi nunc mihi multus Apollo
In mea plectra volet & ovantes pectine nervos
Increpitet! vellem ſocio pius hîc quoque plauſu
Et feſto comes eſſe tuo. Vellem tibi, PRINCEPS,
Pangæi plenas exurere thuris acerras
Suppliciterque tuas præſens procumbere ad aras.
Sed removent obſtacla gradum, quæ nunc male cau-
tum
Suſpendunt offenſa pedem lentiſque morantur
Paſſibus: illa prius medio tollenda ſuperſunt.
Ceu cum Elæa ſuo ſtat adhuc in carcere pubes
Victricem lectura rotâ fumante ſaburram,
Spe pendent animi, mordet ſua frena caballus
Impatiensque moræ pulchras animatus in iras
Laudanti non paret hero: prius attamen omnis
Planitiem campis factura viamque juventus
Semovet obſtantes obices truncosque jacentes,
Aut quæ venturas poterant inhibere quadrigas:
Tunc ruit axis in æquora liber & aëra curſu
Provocat atque per ima per edita metam tangit.
Nunc ergo ante fores animum demiſſus & ora
Stabo procul, GVSTAVE, tuas. comitatur iturum
Simplicitas & puniceâ verecundia pallâ.
Non audent oculi ſacro fulgore retuſi
Laxatique metu propius ſe ſiſtere tali.
Tu firma, GVSTAVE, gradus animumque labantem

Erige & ad radios ſolida mihi lumina tantos,
Te ſatis ut capiant. veluti Clymeneia proles
Cum peteret patrios, Vulcania munera, currus,
Nec vultum ferret, placidus pater adfuit olli
Divinosque ſacro deduxit vertice nimbos.
Non ego jam ſegnem vocito ad mea carmina Phœbum,
Tu mihi Phœbus eris, PRINCEPS, pietasque pavore
Creſcit & ignaros animis inſtillat honores.
Qui caneris, nunc ipſe veni propioraque confer
Numina. Thymbræos agitet mihi ſpiritus ignes,
Afflatu, DVX CELSE, tuo: tunc in tua fundar
Elogia, & pronas patietur currus habenas.
Et jam ſacra pio mihi Mænas pectora thyrſo
Verberat. Ipſe humiles jam nunc ſubſidere terras
Sentio, per vaſtos cœli multiplicis orbes
Immenſasque domos vicinaque ſidera raptus.
Jamque videre diem videor mihi, quæ tibi lucem
Aeriosque dedit primum ſorbere meatus
Sincerumque Jovem & liquidi ſpiracula cœli.
Naſceris: immites veluti poſt æquoris iras
Extollit Cynoſura caput, placidoque tuetur
Lumine commoto tabulata fluentia ponto,
Ventorumque minas conjuratosque procellæ
Mitigat inſultus, & iniquos dirimit imbres.
Naſceris: Occiduo veluti cum lumina fratri
Divinosque artus & opaci tegminis orbos
Pandit, honoratumque exponit Cynthia corpus;
Qualem Gargaphies Actæon nollet ad undas
Se vidiſſe Deam, propriis data præda Moloſſis.
Tunc aderat Pietas & paſſis ter quater alis
Sidereum mulſiſſe caput divinaque membra

Dici-

Dicitur. Excelſâ primum de matre cadenti
Adſtitit ætheriiſque incluſit pignus in ulnis.
Illa ſerenati circumdata ſolis amictu,
Illita ſideribus pennas & concolor aſtris
Stabat. non tantis ornata coloribus Eos,
Aut Thetys Æmonii vadens ad limina Pelei
Ingreditur. vigiles exultavêre pyropi,
Et formoſa penes radiarunt tempora gemmæ.
Candida cœleſtes ſtringebat vitta capillos,
Et pictæ decorant veſtes, qualique tonantem
Verrit humum, talem demittit corpore pallam
Stellatoſque trahit ſua per veſtigia pannos.
Aſpera ſexcentis vivebant ignibus olli
Velamenta. rigent Indis ſatura omnia baccis.
Auget acus meritum. radiat Gangeticus ignis
Confunditque ſuis hyacinthi cœrula flammis.
Jamque ſinu teneros aliquantum foverat artus
Infantis. tribuens divinæ munera mammæ
Et roſeis illata infixit baſia labris,
Inſpiranſque per ora Deum ſic inde locuta eſt:
Ergo ades & noſtris felix allaberis oris,
Magne puer & magnorum ſpes magna parentum,
Dulce decus Patriæ, jubar immortale tuorum.
Ergo oreris pulchriſque beas vagitibus orbem,
Sacrati propago poli. Te numine plenum
Omnia, Te ſolido ſaturatum pectora cœlo
Ætherium per inane feram. tunc nota ſubibis
Limina & æterni ſtabis genitoris ad aras.
Tunc viſu propiore coles divina Tonantis
Lumina ſecretoque incedes civis Olympo
Cœleſteſque bibes radios. Hoc fulgure mentem
Perculſus dubii penetrabis in abdita veri

 Feli-

Inmittas oculos & ſcrinia præpetis ævi
Excutias; ſeu tu ſacra ignorata profanis,
Naturæ rimeris opes tacitosque receſſus.
Quàm tibi nativa eſt, nec præmeditata venuſtas!
Quàm gravibus condita jocis & acumine molli,
Quâ te ſermonis genios convertis in omnes!
Non fucus fallax Tibi mentitique colores,
Et fictum inducens ars ambitioſa decorem;
Faſtus & aſtus abeſt, placidisque potentia verbis
Exulat, & volupe eſt privatam ſumere frontem,
Et faciles præbere aures, & mitibus ultro
Adfari alloquiis. ſolers prudentia factis
Eſt menſura tuis, quâ Tu moderaris habenas
Imperii, utque Caput tibi ſubdita membra tueris.
Præſentem ſi quando manum res ipſa requirit,
Promtus ades ſemperque tuus. non præmia recti
Occupat improbitas Virtutumque abdita plumis
Siſtunt ſe vitia & ſpecioſo tegmine fallunt.
Cumque opus eſt, Tibi jura Themis legesque ſupremas
Exigit, & ſcelerum comites Rhamnuſia pœnas:
Sed tamen & juſtas noſti cohibere ſecures,
Cùm tempus ratioque jubent, limoque tueri
Lumine. Sic Titan obliquis reſpicit hirquis,
Quos rectô ore nequit; nec ſemper cardine ſummô
Libratus totas abſumit corporis umbras
Æſtifer, & currum Nemeæo ſidere fultus,
Nec Phaëthontæos terram condemnat ad ignes.
Hæc ſi meta tibi eſt, non in Te infamia tela
Diriget, intentoque fremens jaculabitur arcu
Impietas atque invidia & crudelis Erinnys,
Et quæcunque Orco vitiorum tabida peſtis
Exit, Tartareo populos paſtura veneno.

Ergo tuis, PRINCEPS, aſſurgit prona tiaris
VANDALIA. Illa pio fauſtam clamore ſalutem
Occinit, excelſisque operatur cernuus aris
Civis, Jamque Tibi FIDII procedit imago,
Tergeminam triplici connexa in corpore dextram,
Juratamque fidem communi nomine dicit.
Hos inter plauſus & jubila læta tuorum
Et noſtras, HEROS CELSISSIME, ſuſcipe Muſas,
Ac exile Tibi patere hoc adrepere Carmen.
En ſua vota Tibi ſubmiſſo Academia vultu
Ingerit, & fari, pulſis à fronte tenebris,
Incipit: Ergo Tui, Sol ô clarisſime, Pindi,
Dux nobis ſperatus ades. Tu ſidera prome
Exortu meliora tuo, lucemque benignam,
Et radios infunde tuos, ne tetrica peſtis
Aonios afflet putri ſpiramine fontes,
Ne grave Falcigeri liventi lumine ſidus
Peccanti noceat flammâ, nec dira rubentis
Fulgura Gradivi, vel quo Cyllenius orbe
Se flammâ pejore rotat. Tu, MAXIME, Natam,
Tu tutare tuam, pede ne calcata profanô
Concidat. En! ſteriles Parnaſſi hîc inter arenas
Vivimus & tenui ſolamur carmine curas,
Hortis Heſperidum digni. Quid enim juvat altum
Produxiſſe caput, genioque per ardua ducto,
Fortunam Priami ſimulare & nobile regnum?
Armenta Admeti princeps ſi pavit Apollo,
Quid facient ſervi? Tu res, PATER, erige fractas,
Tu fac effœtas iterum revireſcere laurus,
Roreque paſce tuo, tunc ſe mens alta tuorum
Tunc pigrâ ſe tollet humô: Sic Te, BONE, ſervet
Dîa Salus, & cùm Nelidæ impleveris ævum,
Tunc ſolida ô! reddat meritorũ præmia cœlũ. AD

Cumque tuo clypeum manus altera nomine ſculptum
  Exhibet, hoc etiam nomine Diva latet.
Cimber Apollo latet, pacem hoc qui nomine munit,
  Namque tegit pacem, quâ cupit ipſe tegi.
Terga premit Divæ fœcundo Copia cornu.
  Sæpe hîc pro magna ſpes bona meſſe fuit.
Muneribus ſit plena tuis! ſic optima rerum
  Pax erit, hæc cornu divite pinguis erit!
Hos quoque Muſarum pando tabularia, LIBROS,
  Ingere tu noſtris lumina blanda libris.
Heic pacis ſeges ampla Tibi eſt; quot nomina ſervat
  Ille, tot heic pacis ſunt monumenta tuæ:
His Patriæ uſus eras, poteris cuſtodibus uti,
  Atque Duces cupiunt hos fora, templa, Scholæ.
Ipſe velis Pater eſſe; tuâ modo pace fruantur:
  Heic in longa tibi ſecla, triumphus erit.
Florebunt variæ tot cum Doctoribus artes,
  In pretio virtus præmiaquè ejus erunt.
Hoc quoque pacis opus, mitisſime reſpice PRINCEPS,
  Quas tenet hic leges & tua juſſa liber.
Otia quæ nobis pacataque tempora præſtent,
  Noſter & ordo piis quæ colat obſequiis.
His quoque Magne novos aperi DVX CLAVIBVS annos,
  Tempora ut hæc nobis candidiora fluant.
Teque novi pateant, Jano velut auſpice, faſti,
  Fataque ſint nobis, ſintque ſerena Tibi.
At tu magne veni noſtrisque illabere ſignis,
  Auſpiciis reddas illaque nosque tuis.
Magne veni Princeps, quid enim pia vota moraris?
  Nam Tibi, quæ capiant, pectora mille patent.

Aonii

Aonii cupient Tibi ſe ſubmittere Montes:
   Te nunc Pierides per juga ſacra canent.
Fons Tibi Caſtalius ferventibus effluet undis,
   Approperat capiti laurea ſylva tuo.
EVSEBIE Tibi prona ruit, Tibique oſcula figit,
   Quæ longo pallæ ſyrmate verrit humum.
Commoda mille Tibi, Tibi mille precata ſalutes,
   Præſentis ſpondet munera ſancta DEI.
Te THEMIS alma vocat, ſacrum hæc Tibi dedicat enſem,
   (Pacata nec enim diſſidet ille toga.)
Illa cupit leges, pacem cupit illa tueri:
   Hanc etiam lanci ſubjicit illa ſuæ.
Non & HYGEIA aberit, multis redimita corollis,
   (Præſidet hæc arti, quæ tua, Phœbe, fuit.)
Illa Tibi cupiens tetricos avertere morbos,
   Nunc vitæ nectet ſtamina longa novæ.
Noſtra quoque injiciet SOPHIE Tibi vincla: * catenis
   Te trahet & Peitho noſtraque Muſa ſuis.
Dumque Orbes rhombo varios vertente figurant,
   Licia circumdant, protinus ipſe canam:
Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin,
   Tuque moras omnes rumpe, vocate veni.
Te veniente novi nobis procedere menſes
   Incipient, puri mollius ire dies.
Ille tuis natalis erit, DVX Maxime, Muſis,
   Jam rediviva tuo ſidere lingua calet.
Horriſono late ſtrepat ut Bellona flagello,
   Te Duce erunt Muſis otia longa tuis.
Secula longa fluent, nullis turbanda procellis.
   Ah utinam nobis aurea tota fluant!

* *Alluditur ad Inſign. Fac. Philoſoph.*

Servate hoc nobis Superi, ſervate, periclis.
  Omnibus ereptum tollite ad aſtra caput.
Servate hoc nobis, nos ut ſervemur in illo.
  Regia ſit Conjux totaque ſalva Domus.
Tuque tuis infer vitam mentemque Camœnis,
  Tu defende tuos, Tu decus adde novum.
Sic Tibi pacatæ maneat pars ultima vitæ,
  Teque ſibi Divum ſidera tarda velint.
Sic Tua pacifico FRIDERICI à nomine Tellus
  In ſera pacem poſteritate colat.

AD

EUNDEM

Ex Itinere Anglico.

QUi patriis dudum reddi debebat Athenis,
  Trans mare nunc poſitum terra Britanna tenet.
Non levis eſt PRINCEPS mea MAXIME, culpa, ſed omnem
  Præcipio veniam criminis ipſe mei.
Interpres tuus ipſe fui, nec iniquior in me.
  Hoc unum Vati nunc licuiſſe velis.
Me peregrinandi non inconſulta libido:
  Diſcendi cupidum ſed pius ardor agit.
Heic ego Muſarum veteres perrepto latebras:
  Tot volupe eſt libros, tot mihi noſſe viros.
Heic quæ continuo rerum diſcuntur ab uſu
  Colligo & hæc Cimbris munera ſervo meis.
Ah quoties volui fugitivas ſedulus horas,
  Et celeres numeris ſiſtere Solis equos!

Sed

Sed pereunt nobis non advertentibus horæ,
Nec ſatiant doctam tempora parca ſitim.
Ergo tui creſcant conceſſi munere ſoles,
Fac novus iſte tuo ſidere menſis eat.
Hoc picis æterno memorabit carmine vates,
Quotque dies dederis, hic dare ſecla volet.
Ac ſtudioſa tuæ mea Muſa pediſſequa famæ
Scribet inocciduis hæc Tibi verba notis:
Si nova nunc illis, dederat quæ Sirius, addis
Otia, eris rebus magnus Apollo meis.
His ego rite colens Te vocibus: Otia, dicam,
Illa Canis nobis fecit; at iſta Deus.

AD

Sereniſſimum Principem

Megapolitanum,

DN. CHRISTANVM,

Cum Idem Roſtochium
Homagii, quod vocant, Sacramentum
recepturus ingrederetur,

*** *** ***

SVSCIPIT. FRONTE. LÆTA.
VARNVS. CIVITAS. QVÆ. VULGO.
ROSTOCHIVM.
STATVMINET. IMPERIVM.
ÆTERNVS.RERVM.ET.RERVMPVBLICARVM.
STATOR.
J HOV AH!
FORTVNET.
FORTVNA. VANDALICA.
TRANQVILLET.

SECVRITAS. PVBLICA.
CONSOLIDET.
ÆTERNITAS. PLVS. QVAM. ROMANA.
ET.QVOD.VLTRA.SECVLORVM.MEMORIAM.
CEPIT. INITIVM.
NON. NISI. CVM. OMNIBVS. SECVLIS.
DESINAT.
BONA. PRECANTVR. OMNES. BONI.
ET. QVICVNQVE. SVB. ILLO. VITAM.
TRAHVNT.
REDONANT. ILLI. SOLENNE. SVVM.
VIVAT. VIVAT. VIVAT.
CONSONAT. ILLIS.
ET. SVO. QVIDEM. VOTO. FAVSTITATES.
TANTAS. VOVET.
VT. VOTO. NON. SIT. OPVS.
ET. HOC. QVALECVNQVE. AFFECTVS. SVI.
DOCVMENTVM.
HVMILLIME. OFFERT.
VNIVERSITAS. ROSTOCHIENSIS.

ERgo ades, & ſacrum jam lumine fœta beato
Inſtauras Matuta diem, ſperataque pandens
Brachia & auratos miniatæ veſtis amictûs,
Aſtra polo noctemque fugas; qualisque nec ante
Viſa, ſerenatum vultus diffundis honorem
Lætior. Ipſe novâ ſe Sol in luce coruſcum
Exhibet, inſolitæ viſurus gaudia pompæ.
Ipſe Tibi ridet facie formoſior annus,
Et pictô Tibi Veſta ſinu tot munera pulchra,
Jucundas diſpenſat opes. Tibi, MAXIME PRINCEPS,
Naturæ excelſo genius prælud it honori.

Et

Et RORA NOSTRA arcto foliorum clauſa galero
Quæ fuit, & floris vix oſtentaverat unguem,
Puniceos Tibi nunc turgens evolvit amictus,
Exortus venerata tuos: nam luce benignâ
Senſit adorandum ſibi nunc ſplendeſcere ſidus.
Ecce tuum Tibi nunc viduatis ædibus omne
Tendit in occurſum, nullô diſcrimine, vulgus
Defixis inhians oculis. Jam quilibet ardet
Tam ſanctum didiciſſe caput, paſcique benignâ
Fronte cupit. Jam tot rerum argumenta novarum
Miratur, pueriſque oſtentant ſingula matres:
Quantum animos Tibi Numen agat; quæ ſidera frontis,
Quis decor; auguſtæ quàm proſtet candida formæ
Gratia; quanta Tibi vis ardeat ignea lætis
Clauſa ſuperciliis; jam tot monumenta fluentis
Lætitiæ, tot ſigna animi, tot publica amoris
Pignora; jamque omnem pandunt ex ordine ritum.
Delecti proceres, aulæ pars maxima, circum
Sublimes tendunt in equis, interque tubarum
Clangores ſubeunt florentes ære manipli,
Inſultantque ſolo, & pulchris animantur in armis.
Haud ſecus armipotens cœlum ingreſſurus Orion,
Primùm illuſtre caput multâque à luce coruſcum
Exhibet os, humeri hinc ſubeunt & pectus honeſtum,
Et qui ſe triplici diſtinguit baltheus aurô
Maximus, ante alios mundi ſpectabilis ignes,
Quique enſis timidis magnô mucrone minatur
Sideribus, geminique Canes veſtigia calcant.
Aſtra minora latent, dubiis aut ignibus ardent.
O quàm fauſta dies! populorum ô quanta tuorum
Gaudia! ſubſultant priſcis habitata VARINIS
Litto-

Littora, & ipſa ſuum ſubmiſsâ voce ſalutant
Rura Ducem, Numenque tuum tibi ſubdita tellus
Præſentit gaviſa. En ut tibi murmure feſto
Mœnia noſtra ſonent, cœlique imitata fragores
Sulphureas tormenta vomant per inania flammas.
Reſponſant auræ, reſponſant æquora circum,
Sylvæque Oceanusque & fluctiſona Amphitrite.
In plauſus coiere poli, conjunctaque terræ
Ingeminant ſua vota Dii & ſacra jubila miſcent,
Inque DVCEM ſtudiis omnes æqualibus ardent.
Salve, SVMME DVCVM, quem fata volentia nobis
Ætheriâ de ſtirpe ſatum indulſere piique
Nominis heredem, qui regibus ortus avitis
Stemmate deſcendis per plurima ſecula ductos;
Seu Tu Pellæo debes primordia ſceptro;
Seu antiqua magis, poſt longæ oblivia famæ,
Et memores ultra faſtos abſcondidit ætas;
Exiguum hoc in laude tuâ eſt. Reddantur inerti
Invidiæ, pereant ſecli monumenta vetuſti,
Et Virtus illuſtris Avûm: Tu ſanguinis autor
Ipſe tui, nec Te ſeclorum terminus ambit
Virtutemque tuam. Non fuſis fulta metallis
Ora auguſta Patrum pictique ex ordine vultus
Demonſtrant regalem animum. Tibi nobilis eſto,
Et te noſce priùs, nec te quæſiveris extra.
Tot numerantur avi, prolixaque nomina gentis!
Quid cures hominum numeros, numeriſque probandos?
Si nomen res ipſa negat, ſi pondus inanes
Deſtituit numeros. Te vellicat entheus ardor,
Ingenteſque animos generoſis imbuit auſis,

CHRISTIANE, o noſtri decus indelebile ſecli,
Teque Ducem frons ipſa notat. Puero Tibi VIRTVS
Adſtitit, utque Tibi reptare in pectora poſſit,
Cruſtula dat, vel quod cannis expreſſit Ebuſus.
Atque ait: Eſto meus: Tecum volitabo per omnes
Ingeniique orbisque vias, ſacrosque receſsûs.
Ecce tibi diverſa abeuntem in cornua callem!
Hic lævum fugito, dentes velut aſpidis Afræ
Tænariumque chaos. Nitendum fortiter. Inde
Inde licebit humum pedibus calcare tonantem,
Miſcerique Diis. Ingreſſu eſt aſpera, ſcrupique
Inſinuant ſeſe, jejunaque glarea, ruſcus,
Hamatique vepres, dumi, ſpina horrida, ſpina
Multa jacet fœdatque artus, dentisque terebat
Morſibus exigui, quando male fida prehenſa eſt.
Jam ſequeris; vel Cyaneos raperêre per æſtus,
Vel per Sithonios ronchos, Maleamque carinis
Inviſam. Sed & heic duplici Prudentia vultu
Adfuit, & geminis Conſtantia fulta columnis,
Et ſtrictô Themis enſe, omnesque ex ordine Divæ
Illuſtres animos ſapienti robore firmant,
Præſentemque altis genium conatibus aptant.
Jam teneræ micuêre faces & preſſa favillis
Flamma latere nequit, jamque oſſibus æſtuat imis
Virtutum præclara ſitis. Quis talia fando
Explicet, & dignô dicat præconia verſu?
Quæ ſuper invidiæ nebulas ſortemque caducam
Evexit Fama & cognatis ſcripſit in aſtris.
Nil clauſum tanto, nec inexplicabile quicquam eſt
PRINCIPIS ingenio, nil non penetrabile rerum.
Cuncta abſtruſa patent, animoque tenaciter hærent,
Seu mentis vigiles Latiæ per operta ſenectæ

Inmittas oculos & ſcrinia præpetis ævi
Excutias; ſeu tu ſacra ignorata profanis,
Naturæ rimeris opes tacitosque receſſus.
Quàm tibi nativa eſt, nec præmeditata venuſtas!
Quàm gravibus condita jocis & acumine molli,
Quâ te ſermonis genios convertis in omnes!
Non fucus fallax Tibi mentitique colores,
Et fictum inducens ars ambitioſa decorem;
Faſtus & aſtus abeſt, placidisque potentia verbis
Exulat, & volupe eſt privatam ſumere frontem,
Et faciles præbere aures, & mitibus ultro
Adfari alloquiis. ſolers prudentia factis
Eſt menſura tuis, quâ Tu moderaris habenas
Imperii, utque Caput tibi ſubdita membra tueris.
Præſentem ſi quando manum res ipſa requirit,
Promtus ades ſemperque tuus. non præmia recti
Occupat improbitas Virtutumque abdita plumis
Siſtunt ſe vitia & ſpecioſo tegmine fallunt.
Cumque opus eſt, Tibi jura Themis legesque ſupre-
mas
Exigit, & ſcelerum comites Rhamnuſia pœnas:
Sed tamen & juſtas noſti cohibere ſecures,
Cùm tempus ratioque jubent, limoque tueri
Lumine. Sic Titan obliquis reſpicit hirquis,
Quos rectô ore nequit; nec ſemper cardine ſummô
Libratus totas abſumit corporis umbras
Æſtifer, & currum Nemeæo ſidere fultus,
Nec Phaëthontæos terram condemnat ad ignes.
Hæc ſi meta tibi eſt, non in Te infamia tela
Diriget, intentoque fremens jaculabitur arcu
Impietas atque invidia & crudelis Erinnys,
Et quæcunque Orco vitiorum tabida peſtis
Exit, Tartareo populos paſtura veneno.

Ergo

Ergo tuis, PRINCEPS, aſſurgit prona tiaris
VANDALIA. Illa pio fauſtam clamore ſalutem
Occinit, excelſisque operatur cernuus aris
Civis, Jamque Tibi FIDII procedit imago,
Tergeminam triplici connexa in corpore dextram,
Juratamque fidem communi nomine dicit.
Hos inter plauſus & jubila læta tuorum
Et noſtras, HEROS CELSISSIME, ſuſcipe Muſas,
Ac exile Tibi patere hoc adrepere Carmen.
En ſua vota Tibi ſubmiſſo Academia vultu
Ingerit, & fari, pulſis à fronte tenebris,
Incipit: Ergo Tui, Sol ô clarisſime, Pindi,
Dux nobis ſperatus ades. Tu ſidera prome
Exortu meliora tuo, lucemque benignam,
Et radios infunde tuos, ne tetrica peſtis
Aonios afflet putri ſpiramine fontes,
Ne grave Falcigeri liventi lumine ſidus
Peccanti noceat flammâ, nec dira rubentis
Fulgura Gradivi, vel quo Cyllenius orbe
Se flammâ pejore rotat. Tu, MAXIME, Natam,
Tu tutare tuam, pede ne calcata profanô
Concidat. En! ſteriles Parnaſſi hîc inter arenas
Vivimus & tenui ſolamur carmine curas,
Hortis Heſperidum digni. Quid enim juvat altum
Produxiſſe caput, genioque per ardua ducto,
Fortunam Priami ſimulare & nobile regnum?
Armenta Admeti princeps ſi pavit Apollo,
Quid facient ſervi? Tu res, PATER, erige fractas,
Tu fac effœtas iterùm revireſcere laurus,
Roreque paſce tuo, tunc ſe mens alta tuorum
Tunc pigrâ ſe tollet humô: Sic Te, BONE, ſervet
Dîa Salus, & cùm Nelidæ impleveris ævum,
Tunc ſolida ô! reddat meritorũ præmia cœlũ.

AD

AD

Sereniſsimum Principem ac Dominum

DOMINVM

GVSTAVUM ADOLPHVM,

Ducem Meclenburgicum &c. &c.
Roſtochium ingredientem.

DEſpice me ſummo, qui deſpicis omnia, vultu
GVSTAVE, ô noſtri Solque decusque ſoli.
Deſpice me facili, ſed qui nil deſpicis, ore,
Et luſtra radiis infima quæque tuis.
Tantulus ad tanti procedo Solis apricum,
Roreque cantillo paſta cicada tuo.
Cunctorum Sol es, Princeps GVSTAVE, meusque,
Ille calore ſuo; Tuque favore foves.
Claudo meos nictans ad tantum ſidus ocellos;
Sed tenero vultus ore ſaluto tuos.
Parva fero MAGNO: nam Solis ſidere magno
Mille modis hoc in pulvere repo minor.
Montibus ille prior lucet: Tu Mentibus altis.
Quod ſi me radius non ferit, umbra tegat.
Quisquis Sole tuo non gaudet, lumine Phœbi
Excidat, inque die perdat is ipſe diem.

PANEGYRIS GENETHLIACA,

QVAM

CELSISSIMO NATALI

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI

GVSTAVI ADOLPHI,

Ducis Mecklenburgici, Principis Vandalorum, Sverini, Ratzeburgi, Comitis Sverinenſis, Roſtochii & Stargardiæ Dynaſtæ,

DOMINI SVI CLEMENTISSIMI,

d. 26. Febr. Anni cIↃ IↃc LX. ſolenniter celebrato,

publice (inter publicos quamvis luctus) habitam

humillime conſecrat

D. G. M.

SERENISSIME PRINCEPS, CLEMENTISSIME DOMINE.

OFfero TIBI TE, id eſt: laudes Tuas; non quidem, quales ſcribi debebant; ſed quales dare poterat levidenſis hujus ingenii tenuitas. Nullus mortalium numerus includet CELS. T. dotes, quin illæ omnibus numeris ſint abſolutiores. Nulli Poëtarum pedes menſurant immenſum virtutum Tuarum latifundium, niſi ſuo ſe metiri pede negligant. Celſiſſimus ille Tuus animus quaſi circulus quidam eſt, quem tot ſecula fruſtra quadrare & ad ignobiliorem formam tradu-

traducere ſatagunt, ſemper in ſe rediens, ſemper ſibi ſimilis, nec angulo excedens, nec ſinu quodam impreſſus. Volvitur hæc immortalis Tui Genii ſphæra ſuper fixo & ſtabili rationis axe. Divini Numinis amorem pro ſole habet, Virtutum omnium complexum pro ſtellis. Quarum quidem perfectio tanta eſt in T. CELS. ut ne umbram quidem alicujus vitii patiatur irrepere. Tu, CLEMENTISSIME DOMINE, eò proceſſiſti magnitudinis, ut nec poſſit Tibi adulari quis, licet velit, quin, cum nimium dixiſſe videatur, parum dixerit: nec calumnias injicere, quin virtutum Tuarum moles illas ſupprimat. Et vide, SERENISSIME PRINCEPS, quantum nunc ſumpſerim audaciæ, quod laudum tantarum ebuccinator exiſtere voluerim, inter Poëtas, quotquot ſunt, peſſimus. Poëtarum quidam ſunt Cygni, & raro canunt. Tales ſunt illi Heroum præcones, quales profecto non una nocte naſcuntur, ut fungi. Quidam Luſciniæ, & exprimunt mihi ſuavitate ſuâ Elegorum ſcriptores. Quidam Hirundines, qui tinnulâ ſuâ garrulitate ſemper obſtrepunt, quales in edendo partu Deam Nixiam implorare opus non habent. Quidam Pſittacorum more verba tantum captant, & nil præter antiquum χαῖρε recinunt. Furantur quidam, ut monedulæ & cornicula illa Æſopica. In tenebris quidam ululant, ut noctuæ & bubones, & aliæ inebræ aves, quales ſunt, qui honeſtorum hominum famam occultis telis feriunt. Cui Nebulonum generi nemo tenebras invidet & nebulas. Cantabimus nos ad medium Solem, quanquam Cicadæ. Quæ licet creperæ ſint & ſtreperæ, paſcuntur tamen rore Tuæ Clementiæ, INDVLGENTISSIME DOMINE. Hanc ſi integram ſemper habebo, facile ſuperbire patiar iſtos

Ari-

Ariſtophanis σφραγιδονυχαργοκομήτας. Nunc, ne quid deſit gratiæ, imponis Spartam, quam ſuſtinebat Vir longè Clariſſimus DN. TSCHERNINGIVS, Vir, cujus memoriam ſemper veneror & venerabor. Cui oneri ferendo, ſi juveniles hi humeri adhucdum pares non ſunt, ætas forte conſolidabit. Ita ergo gratias nunc ago Tibi, SERENISSIME DOMINE, ut non agam, id eſt; ut, cum illas ne quidem concipere poſſim, moriendum mihi ſit ingrato. Accipe tamen GRATIOSISSIME DOMINE, has paginas, quas grati animi loco offero, & licet non tolerent ſublimes illius Tui ingenii radios, cogita & in Apellæa aliquando tabula peccare Veneris ſandalium. Quod ſupereſt, æternum Numen veneror, ut toties totiesque redeuntem videat Natalem ſuum CELS. TVA. Inſerat illud novum Sereniſſimæ Familiæ Tuæ, maſculæ ſtirpis ſurculum, ſub cujus ramis ſecutura aliquando protegatur poſteritas, Teque Celſiſſimamque Tuam Domum æternum beet. FIAT! DEVS optime, FIAT!

SERENISS. T. CELSIT.

Servus humilimus

D. G. M.

QUalis Hyperboreo ſubjectus Lappio mundo
Et Scrito finnus atrox immitisque incola Zemlæ,
Queis tellus Jove preſſa malo eſt, queis vertice flavo
Stant ſuper inque breves tardâ vertigine gyros
Impexæ villos urſæ glacieque rigentes
Circumagunt, latitant tenebroſæ carcere noctis,
Tunc cum Virgineæ ſubtraxit lumina Spicæ
Cynthius æthereâque diem ſuſpendere librâ

Incipit. ingeminant umbræ nocturnaque paſſim
Carmina Stentoreo decantat bubo boatu,
Jamque Lupi nil ſuave canunt, ſtatque agmine toto
Et raucum ſylvis interſonat urſus opacis.
Ergo ubi prolixis vaga nox circumvolat alis
Et toti incedunt ſine ſole & lumine menſes,
Antiquum rediiſſe Chaos tunc creditur illis:
Tunc ingens pavor & longâ vadentia pallâ
Spectra, truces genii pallentesque omnia formæ
Incurſant animis humanaque pectora terrent.
Non alius nos caſus habet: nunc nocte ſedemus
Mœrorum & longâ lacrymarum à nube profundas
Mergimur in tenebras. Nostræ Sol Avrevs Oræ
Perpetva Nvnc Nocte Jacet Nescitqve Reverti
Atqve Ortv Cadit Ipse Svo. Queis vivimus aſtris?
Queis rapimur fatis miſeri? Non una fatigant
Nos mala; ſed totis tempeſtas horrida nimbis
Urget diluvioque ſupra caput exit aperto:
Nec miſeros ſemel eſſe ſat eſt; numerata tenemus
Omnia. Jam Patriæ lacerum crudeliter ora
Stat decus, & [quis erit finis limesque malorum?]
Ingens continuo patet hic orcheſtra Gradivo.
O Superi! (neque enim veſtri meminiſtis & orbem
In plorata novo damnatis ſecula luctu,)
An metuit Natura malum? num tempora Pyrrhæ
Terra timet? Tityusve Diis cœloque nefaſtum
Intentabit opus rurſumque rebellia ſumet
Centipes arma Gigas atque anguifer omnia Typhon?
Fatalesve notat rerum ſors ultima flammas?
Sed luctus ſervamus eos, juſtosque dolores
Tempeſtiva dies manſuro plangere leſſu
Incipiet: Tu nunc tantum tibi, maxime Princeps,
Indul-

Indulge hunc animum noſtriſque vocate Camœnis
Ad tua feſta veni, noſtro celebrabere cantu,
Ore licet tenero; prægrandibus attamen auſis.
Exere mite jubar toti venerabile mundo
Et laudanda tuo, lux optima, nomina Pindo,
Pande omnis ſecreta poli, pande æthere quicquid
Progenitum eſt, quicquid præſentia numina ſpirat.
Nil canimus vulgare. Deos ad plectra vocamus
Noſtra Diiſque ſatos & Regibus edita avitis
Nomina Pellæóque orientes ſtemmate Divos.
Omnia ſunt excelſa. nihil mortalia dicunt
Carmina. nulla tuas æquat facundia laudes,
Et genium, GVSTAVE, tuum. Siccabimus æquor,
Et Phœbea prius crepitante juvanda lucernâ
Lumina. Nemo tuos æquè celebrabis honores,
Quamvis Pegaſeos conſumeret helluo fontes
Totaque centimanus Pindi juga vertere Cyclops
Audeat atque omnes armis expoſcere Muſas.
Quis tua deſcribet, PRINCEPS, præconia? non hoc
Plebeium capit illa caput paganaque ſcribet
Pagina. Succumbit tenuis ſub pondere tanto
Spiritus & vaſtâ ſeſe ſub mole fatigat
Incedens per cuncta labor, quantumque pererrat
Omnia, Dædaleo tantum ſe involvere gyro
Nititur & laudum creſcentibus abditur undis
Cymbula inexhauſto nimium jactata profundo.
Sed ſequitur tamen & quantum tu cærula ferris
Navigio, GVSTAVE, tuo ſuper æquora, tantum;
Seu venti tumido prægnantia carbaſa ventre
Implent; ſeu decumana animant in prælia vires.
Te ſequitur, tua pone legit veſtigia puppis
Appendix inhonora tuæ connexaque diſcit

A fato ſua fata tuo. trahis unica noſtros
Cura animos. tua me gratis clementia vinclis
Detinet, ô PRINCEPS, & amicâ compede claudit
Degenerem hunc animum, nec tanto munere dignum.
Ad nutus exurgo tuos tuus & tua ſervans
Numina; nec ſoli tibi nunc natalia fulgent
Tempora, concurrunt faciles ad carmina Muſæ,
Et tua certatim properant ad feſta Quirites,
Ceu curæ pars una tuæ. Non publica noſtros
Affligant nunc fata animos. Nempe omnia ſalva,
Cum tu ſalvus eris; celebrat Natalia Princeps,
Concelebrat Populus. Populi Natalis in illo eſt,
Et tuus in populo. Te votis poſcimus omnes,
Te petimus gaudetque ſub iſthoc Sole renaſci
Noſtra ſalus validosque movet ſurrecta lacertos,
Diffuſumque animat te ſoſpite Patria corpus:
Nam velut æthereos abſcondita vis trahit orbes
Ac ignota manus Superûm, ſimul æthera magnum
Protrahit & toto labentia ſidera cœlo
Æquali ſuper axe rotat, jamque intima vires
Stat Tellus impreſſa novas. olli ignea Virtus
Inſinuat tacitis illapſa meatibus & tunc
Naturam preſſo ſua euntem in viſcera ſocco
Miratur cœlumque imos intrare receſſus.
Hic tuus eſt, GVSTAVE, labor. movet iſta patentis
Mens orbem patriæ, perque altos diditus artus
Spiritus it. Nam Te motore movebimur omnes,
Meque etiam ipſe moves. Tibi publica cauſa do-
lendi?
Eſt nobis eadem. Tibi publica gaudia cordi?
Hoc noſtrum quoque munus erit. Fremat undique
Mavors
Colle-

Collectamque agitet rabiem cædesque rapinis
Miſceat & cœlum atque atri antra horrentia Averni
Et ſata nocte ruat laxato Natio ab orco
Anguineas impexa comas, nihil improba noſtros
Terrent fata animos tanto ſub numine tutos.
O mihi ſi gratis nunc totum implere liceret
Æthera carminibus! ſi nunc mihi multus Apollo
In mea plectra volet & ovantes pectine nervos
Increpitet! vellem ſocio pius hîc quoque plauſu
Et feſto comes eſſe tuo. Vellem tibi, PRINCEPS,
Pangæi plenas exurere thuris acerras
Suppliciterque tuas præſens procumbere ad aras.
Sed removent obſtacla gradum, quæ nunc male cautum
Suſpendunt offenſa pedem lentiſque morantur
Paſſibus: illa prius medio tollenda ſuperſunt.
Ceu cum Elæa ſuo ſtat adhuc in carcere pubes
Victricem lectura rotâ fumante ſaburram,
Spe pendent animi, mordet ſua frena caballus
Impatiensque moræ pulchras animatus in iras
Laudanti non paret hero: prius attamen omnis
Planitiem campis factura viamque juventus
Semovet obſtantes obices truncosque jacentes,
Aut quæ venturas poterant inhibere quadrigas:
Tunc ruit axis in æquora liber & aëra curſu
Provocat atque per ima per edita metam tangit.
Nunc ergo ante fores animum demiſſus & ora
Stabo procul, GVSTAVE, tuas. comitatur iturum
Simplicitas & puniceâ verecundia pallâ.
Non audent oculi ſacro fulgore retuſi
Laxatique metu propius ſe ſiſtere tali.
Tu firma, GVSTAVE, gradus animumque labantem
 Erige

Erige & ad radios ſolida mihi lumina tantos,
Te ſatis ut capiant. veluti Clymeneia proles
Cum peteret patrios, Vulcania munera, currus,
Nec vultum ferret, placidus pater adfuit olli
Divinosque ſacro deduxit vertice nimbos.
Non ego jam ſegnem vocito ad mea carmina Phœbum,
Tu mihi Phœbus eris, PRINCEPS, pietasque pavore
Creſcit & ignaros animis inſtillat honores.
Qui caneris, nunc ipſe veni propioraque confer
Numina. Thymbræos agitet mihi ſpiritus ignes
Afflatu, DUX CELSE, tuo: tunc in tua fundar
Elogia, & pronas patietur currus habenas.

Et jam ſacra pio mihi Mænas pectora thyrſo
Verberat. Ipſe humiles jam nunc ſubſidere terras
Sentio, per vaſtos cœli multiplicis orbes
Immenſasque domos vicinaque ſidera raptus.
Jamque videre diem videor mihi, quæ tibi lucem
Aeriosque dedit primum ſorbere meatus
Sincerumque Jovem & liquidi ſpiracula cœli.
Naſceris: immites veluti poſt æquoris iras
Extollit Cynoſura caput, placidoque tuetur
Lumine commoto tabulata fluentia ponto,
Ventorumque minas conjuratosque procellæ
Mitigat inſultus, & iniquos dirimit imbres.
Naſceris: Occiduo veluti cum lumina fratri
Divinosque artus & opaci tegminis orbos
Pandit, honoratumque exponit Cynthia corpus;
Qualem Gargaphies Actæon nollet ad undas
Se vidiſſe Deam, propriis data præda Moloſſis.
Tunc aderat Pietas & paſſis ter quater alis
Sidereum mulſiſſe caput divinaque membra

Dici-

Dicitur. Excelſâ primum de matre cadenti
Adſtitit ætheriisque incluſit pignus in ulnis.
Illa ſerenati circumdata ſolis amictu,
Illita ſideribus pennas & concolor aſtris
Stabat. non tantis ornata coloribus Eos,
Aut Thetys Æmonii vadens ad limina Pelei
Ingreditur. vigiles exultavêre pyropi,
Et formoſa penes radiarunt tempora gemmæ.
Candida cœleſtes ſtringebat vitta capillos,
Et pictæ decorant veſtes, qualique tonantem
Verrit humum, talem demittit corpore pallam
Stellatosque trahit ſua per veſtigia pannos.
Aſpera ſexcentis vivebant ignibus olli
Velamenta. rigent Indis ſatura omnia baccis.
Auget acus meritum. radiat Gangeticus ignis
Confunditque ſuis hyacinthi cœrula flammis.
Jamque ſinu teneros aliquantum foverat artus
Infantis. tribuens divinæ munera mammæ
Et roſeis illata infixit baſia labris,
Inſpiransque per ora Deum ſic inde locuta eſt:
Ergo ades & noſtris felix allaberis oris,
Magne puer & magnorum ſpes magna parentum,
Dulce decus Patriæ, jubar immortale tuorum.
Ergo oreris pulchrisque beas vagitibus orbem,
Sacrati propago poli. Te numine plenum
Omnia, Te ſolido ſaturatum pectora cœlo
Ætherium per inane feram. tunc nota ſubibis
Limina & æterni ſtabis genitoris ad aras.
Tunc viſu propiore coles divina Tonantis
Lumina ſecretoque incedes civis Olympo
Cœleſtesque bibes radios. Hoc fulgure mentem
Perculſus dubii penetrabis in abdita veri

Felicesque agitabis operta per omnia ſenſus :
Seu animo volvas, quantos ſe fundat in actus
Libertas ſpatioſa Dei præſensque per omnem
Labatur rerum ſeriem nutuque verendo
Temperet omne genus ; quam ſe determinet ipſo
Virtutis menſura ſuæ ; mortalia quare
Membra Deus, cur diverſos ſibi junxerit artus
Virgineosque ſibi deſcripſerit ipſe penates
Conditor anguſtoque auguſtam clauſerit ingens
Majeſtatem utero ; queis lapſa canalibus ultro
Gratia dia cadat fœcundoque irriget imbre
Pectora ; quæ mentes feralibus urgeat armis
Vis & Tartareo venientia monſtra profundo ;
Quidque animos oneret tacitusque in pectora lictor
Inſtet & occulto præcordia verberet intus
Ariete ; quidque illos poſſit componere motus.
Hæc tibi ſubſternet totum ſapientia mundum
Atque triumphatum tua mittet ſub juga ſeclum.
Ultra hominem aſſurges geniumque ætatis & annos
Anteibis virtute tuos ; licet invida nondum
Obfuſcet lanugo genas teneroque ſuperſint
Jam vultus tibi in ore mei. Tuus ibit in ima
Spiritus, indeprenſi ut per veſtigia veri
Ambulet. Ipſe gravis venerabitur ora Sacerdos
Mitratique patres & queis tegit infula frontem,
Suſpicient tantoque volent ultro eſſe minores
Ingenio talique ſacros evolvere nodos
Dexteritate placet. non jam Tibi priſca tuorum
Nomina, non Burewiniaden præpono Johannem ;
Quamvis Theiologi ſanctum & venerabile nomen
Grandibus adjecit titulis voluitque ſacratas
Ejus honorato laudes excreſcere faſtu,

Nec

Nec noſtrâ erubuit veſtiri ſponte tiarâ.
Præſide me non Te premet exitiale creatum
Nocte nefas, non Te fraus ſecli afflata venenis
Imbuet anguivorusque adverſum tendere Livor
Audebit, nunquam Te horrentia mortibus arma,
Nec circumſtantes ferient latus omne procellæ
Audacesque minæ junctæque in fœdera vires
De recti ſtatione movent. Intercidat orbis
Et ruat in partes reſoluto cardine cœlum;
Integer infractam ſtabis, Celsissime, mentem
Inpavidumque iſtæ quatient Te impune ruinæ.
O felix rectore pio, ſua ſi bona nôrit,
Tellus! ô nimium felix hoc principe civis,
Relligio cui prima tenet, cui fasque fidesque
Regula juſtitiæ eſt. Firmata ibi mole ſuâ ſtant
Imperia & placidas ſociant in vincula dextras.
Tolle hanc, & ſublata ſalus: tunc mille nocendi
Succedunt augmenta, doli ſcelerumque figuræ
Sexcentæ; tunc Lernæâ damnoſior hydrâ
Surget adulator; juſtis tunc omnia bellis
Flagrabunt ſontesque intendent numina pœnas.
Hanc quisquis contra molitur, fulmina contra
Fulminat & cœli ſtudet inclareſcere pugnis.
Dixerat, & teneros pueri (mirabile dictu!)
Ingreſſa eſt animos medioque in corde reſedit.
Tunc Charitas cunas leni moviſſe ſuſurro
Fama refert ſuavesque agitaſſe ad ſibila ſomnos
Et blandum riſiſſe Suo, jamque oſcula labris
Defixere alterna jocisque immixta ſerenis
Baſia. tunc molles caſiæ liquuntur odores,
Tunc Arabum fruges & ceſpite lecta Sabæo
Dona dedere ultro, radiantique ora rubore

Et roſeas pinxêre genas, quas nulla repingit
Natura & Tyrio fruſtra confidit aheno.
Non ſic purpureum miſcet Biſalta cruorem
Lacte ferocis equæ, potus ex tempore natos,
Sarranumque bibit talis dens Indicus oſtrum.
Æneam firmata Virum jam fecerat ætas,
Nec decor ille gravi ſpirabat fronte, nec illa
Tam pulchra in placidis errabat gratia ocellis,
Quæ Phœniſſa tibi ſuccenderet illice pectus
Igne tuum, tacitâque exureret arte medullas;
Ni materna dolos dederit ſolertia, & artes
Verſaſſet Venus alma novas, alatus Julum
Ut ſimularet amor ſpecieque ut fallat in iſtâ
Inſpiretque ſacrum noto ſub nomine virus.
Ac Tibi tum puero inſedit Venus omnis, & omnis
Concinni oris honos & caſtigata venuſtas
Corporis adſtantis legit ſuffragia vulgi
Laudantesque manus amplectentesque lacertos,
Ut viſum ſequeretur amor, miratio amorem.
Illa ligant animos cilia incurſansque per ora
Fulgor & in geminis majeſtas plurima gemmis.
Eſt aliquid quod fronte latet, nec vana tuemur
Omina, nec falſis mentes pernoſcimus ipſas
Auguriis. totum hîc ſapiens Natura Theatrum
Explicuit. dictant impreſſæ fata figuræ,
Miraque fatidicus ducit veſtigia ſulcus
Suſpenditque in fronte animum. myſteria quivis
Continet articulus miraculaque inſita pandit.
Scilicet ingenitus toto ſe corpore didit
Spiritus immixtusque artus ſe volvit in omnes
Et ſimilem ſubigit divino pollice maſſam
Conformemque facit: Nam queis Natura noverca
Segnes

Segnes largita eſt animas & humi proſtratas,
Torva illis forma & ventoſa cucurbita ſervit
Pro capite & pro corde pepo, prolixave labris
Ora patent; veluti laxis marſupia proſtant
Faucibus & vacuæ junctura abſente crumenæ;
Aut vaga diſtortis volvunt veſtigia talis,
In terram proni. Tales mala plurima condunt
Intus & à fatui procedunt ſtirpe Meneni
Pſyllisque adverſantem in bella vocantibus Auſtrum.
Sed melior ſua queis verſavit corda Prometheus
Sincerasque dedit cœleſti è ſemine mentes,
Illis multus honos graditur per membra decorque
Plurimus. Elucet ſpecioſæ gloria formæ
Principium confeſſa ſuum cauſasque latentes,
Quæque latent meliora probat, frontique locatus
Indubitata animi notat argumenta character.
Ipſa facit Natura Ducem, non ſceptra, tiaræ:
Non honor eſt, quem ſcamna juvant, celſoque ſedili
Seſe aliquem credens. Phrygium tu impone caballum
Huic ſolio. Quid tum? moles geminata coloſſo.
Nil addit demitve baſis. Nano adde cothurnum,
Nanus erit nodusque viri. non arduus exit
Claviger. intus erit, magnis quod deſtinat auſis.
Rex eſto, regalem animum cui fata dedere,
Quem pulchro ſignat compages optima vultu;
Qualem Tu, GVSTAVE, geris. Sic mitia quondam
Auguſtus Pater ora tulit. Sic magna Philippi
Progenies decorata artus. Sic pulcher Julus;
Sic Cyrus; Sic Turnus erat. Diſtincta Deorum
Hinc ſpecies & forma quoque eſt. Pater ipſe verendum

Impli-

Implicuit numen divino myſtace & omni
Majeſtas ſedet articulo. Ferventior inde
Odryſium facies ornat, cui plurimus ignem
Subjecit rubor & bellacis copia flammæ.
Pallida Somnus habet, Divûm placidiſſimus, ora
Nictantesque oculos tardus trahit & pendentes
Verſat palpebras. Agili Cyllenia proles
Ingreditur vultu, in partes variabilis omnes,
Arridetque ſibi. Siculi Rex ille camini,
Delapſus cœlo Deus, & faber eſt & claudus
Et facie plebejus & horrida fumidus ora,
Vulgarisque ſedet jocus inter pocula Divis.
Hæc animo tunc forte Pater generoſaque volvit
Obtutu defixa Parens, nec tanta fatetur
Omina; ſed magnos, venturi conſcia fati,
Celat ſucceſſus & ſpe trepidante recondit.
Illa ſedet tenerisque premit complexibus illum
Ulnarumque helices pulchros circumplicat artus:
Ceu quæ Peſtæi roſa gloria prima roſeti
Irradiat ramis, parvo ſtipata ſodali;
Altera prægnantis rores ſaturata Favonî
Puniceum pandit uterum & vel mille labellis
Oſtendit pudibunda caput: latet altera nodo
Nudatoque ſedens cœleſtes poſtulat auras
Vertice, & ad primos laxabitur aurea ſoles.
Virtutum chorus omnis adeſt circumque jacentem
Funditur. Hîc gladio venit Themis ardua ſtricto,
Et quæ felicis ramum prætendit olivæ,
Incultum quondam ſubigens Clementia mundum.
Adfuit & duplici ſtetit hîc Prudentia vultu,
Circumſpecta, ſagax, ſenio venerabilis ipſo,

Itque

Itque comes geminis Conſtantia fulta columnis.
Has inter tunc Diva fuit; ſed ſimplice cultu
Diſſimulat cœleſte genus, poteratque videri
Exili tunc veſte minor; gens aurea qualem
Saturni quondam potuit geſtaſſe ſub ævo.
Menſurant humeros lapſi per colla capilli
Undantesque hinc inde globi, ſed pendula veſtis
Indignam longa ſignabat ſindone terram:
Candor erat; qualis veteris Germanica ſecli
Incoluit pulchro turgentia pectora honeſto;
Qualis Teutonicos pede nudo iraſſe per agros
Creditur, antiquos decorans quondam Arioviſtos
Arminiosque Duces & magnanimos Witekindos.
Talis erat tantoque Tibi aſſurrexit honore.
Ipſa tibi Jovii ſacra ſtat fœtura cerebri,
Inclyta, quæ gemino celebratur munere, Pallas.
Fronte benigna micat, ſed cœtera milite turgent,
Et ſævum placidâ miſcet cum pace Gradivum.
Sic ſteterat divina cohors, ſic lacte ſub ipſo
Immulſere Dii tentamina grandia & omnes
Virtutum numeros gravidamque à Numine mentem.
Ergo ubi jam primo puerum ſonat ore ſuamque
Jam matrem vox blæſa crepat, jam celſior intus
Spiritus it generoſaque agit præcordia virtus.
Omnis fibra Deo tumet & propiore favilla
Mens incenſa calet. Nam ſub puerilibus annis
Nil adeo puerile tegit, gravis omnia firmat
Acta tenor grandemque putes te adire Catonem.
Prægreditur mens ipſa ſibi, fallitque ſenectus
Sub puero, tacito mirantibus illa magiſtris
Omine, quorum Tu cautas ætate ſub iſtâ
Antevenis operas & pulchro Marte laceſſis.

Scili-

Scilicet inſtabiles ſcapha remige fulta per undas
Tutior it, flantemque audentior urget in Auſtrum.
Altius erigitur, quæ conjuge nititur ulmo,
Vitis & erectâ ſerpentes ilice tendunt
Crinales per inane hederæ. Tu maxime quondam
Claviger; æterno licet eſſes nata Tonante
Progenies, tenero dantes tibi jura Magiſtros
Suſpicis & Clarium te quondam prima docentem
Vocum elementa Linum ſinuatosque arte mæandros,
Quique tuos arcum docuit lunare lacertos
Eurytus; & luctâ clarum Harpalycum Phanopea.
Talis Amyntoriden magnus veneratur Achilles,
Philyridenque pares variantem pollice pulſus
Raſaque ſuccuſſo ſalientia fila cachinno.
Ergo Tibi cunctos recludit Cyrrha receſſus
Et fontes Libethra ſuos. chorus advenit omnis
Aonidum & grandi ſupplex famulatur Ephebo.
Et jam Romuleos, ſtudio fallente laborem,
Fundis ab ore ſonos primique eſt cura Quirini?
Quale quid Arpinas ad roſtra rotare ſolebat
Tullius intentos adſtringens compede ſenſus.
Jamque Attis tibi lingua placet, cui primitus auſi
Phœnices rudibus voces ſignare figuris,
Nec tibi producens Eous longa character
Brachia & elato ſurgentes gutture voces
Diſplicuere, nec has refugis didiciſſe Camœnas.
Jam tunc priſcorum calles commenta ſophorum,
Ceu digitos unguesque tuos; quæ docta Platonis
Inculcet Schola; cur miſeros damnaſſe Poëtas
Dicatur, Dominoque negaverit omnia ſoli.
Nec Tibi jam ſordet Senior Gargettius, omni
Qui miſer aſt ullo ſine crimine vapulat orbi.
Jam-

Jamque Stagiræum tanti non eſſe tribunal
Colligis, ut, tepidis veluti daret Æacus umbris
Jura Lycaoniusque ſenex, ſubeamus honori
Juſſa Patris latumque negetur cedere ad unguem,
Figamusque imæ turpisſima baſia plantæ.
Jam Samios prandere potes juſtaque creatos
A tellure cibos: jam pulchra ſilentia laudas,
Atque artem cupis eſſe novam. Laus prima tacenti eſt,
Si ratio, ſi cauſa velit. talem ipſe volebas
Pythagoram ſupereſſe aulis, qui jura ſilendi
Dictitet & creperas fatuum os compeſcere ranas
Edoceat, veluti prope littora muta Seriphi.
Tunc quoque Grajorum figmenta & ludicra vatum
Perſequeris, nec parva Tibi ſapientia ſurgit
Inde: ſed abſtruſum falſi ſub nomine verum
Eruis. haud modicum eſt, tanto quod Principe dignum eſt.
Rejicis imbellem frena ad Phœbeia dextram,
Nec juvenem culpas, ſed mentem fortibus orbam
Conſiliis. mox ipſe tuo capita improba telo
Disjicis in ſuperos vibrantes arma Cyclopas.
Cum legitur magno periens ab Apolline Python,
Tunc ſubit infeſtos de ſede movere Tyrannos.
Nec fruſtra mutata legis tot corpora & artus
In turpes migraſſe feras: quod ſæva Lycaon
Induit ora Lupi: quod Taurus mugiit undis
Ignoto portans regalia pondera tergo
Juppiter: Æolidæ quod Circes virga ſodales
Fatali in turpes mutavit verbere porcos:
Saxea quod Niobe eſt, neque ſaxea membra fuiſſent;
Si præfracta intus vel marmore durior ipſo
Mens Cæo genitæ potuiſſet cedere Divæ.

Cum Tegeæa Argum conſopit fiſtula, non hunc
Centeni ſervant oculi. Sic dulcia PRINCEPS
Palponum cum verba bibit, Sirenibus aures
Commodat & nulla hæc fugit Acroceraunia virtus.
Jam reperis alios, (quam plena eſt fabula vero!)
Dircæo de dente ſatos, prægnantia letho
Semina jacta ſuo, & plus quam civilibus armis
Inter ſe alterno proſtratos vulnere fratres.
Æolium ſi quando utrem non laxat Ulyſſes,
Leniter adſpirant venti flatuque ſecúndo
Ille volat, placidis raptus ſuper æquora cauris.
Deme vagabundis adſtricta ligamina ventis,
Heu mihi! quas pelago turbas, quantasque procellas
Turba furens æſtu & jam carcere libera ab omni
Excitat! Ingentes intus qui condere vires
Novit, is inſtantis poterit vitare pericli
Pondera; qui temere conſumpſit prodigus illas,
Ipſe jacebit humi, vulgo ridendus ab omni.
Non tibi Carpathius fruſtra tot in ora reſolvit
Se juvenis, cunctas gnarus variare figuras:
Jam Lupus exululat torvæque cupidine cædis
In pecora exercet rabiem; jam vertit in alas
Brachia; jam trifidus, maculoſam abjectus in alvum,
Sibilat, & miſcet raucas latratibus iras,
Et reſponſuras mugitu provocat auras.
Vertumnos ubicunque vides ſolersque notaſti
In noſtris multum dominari Protea rebus.

Hæc agitas & tanta juvat condiſcere luſu
Seria. Naturæ ſed cum majoribus infers
Te gradibus volucrique agitaris in abdita paſſu,
Et tacitum rimaris iter, ſic diſcis, ut ipſa
Te formet Natura Ducem. Te quælibet orbis
Parti-

Particula erudiit. dum Tu ſapientior eſſe
Incipis, & melior ſis iſthoc nomine Princeps.
Ergo ubi diverſo coeuntia ſemine volvis
Corpora, diſparibus conſtans Reſpublica membris
Diſcitur. Ignitus, qui mulcens aëra conus
Ignota in puro veſtigia ſulcat inani,
Prima tenet, juxtaque ſedet ſubtilior aër:
Imperii ratio eſt eadem: præſtantior unus
Summa tenet; calidis ſemper pars optima præſto eſt
Conſiliis; ſed fæx inter plebeia reſedit
Terrea, nec craſſus ſeſe effert altius humor.
Acria diſcuſſas rumpentia fulgura nubes
Fortibus exæquas pernicia in arma lacertis.
Cum gratos videas agros & ſemina ſulcis
Credita quantumvis avidum ditare colonum,
Tunc Tibi ſuppoſtæ turpiſſima ſarcina terræ
Dicitur ingratus. Ferrum Magneſia cautes
Quod rapit, arcanis nexum per mutua vinclis,
Res tibi mira fuit. latet æternumque latebit
Cauſa modusque rei. ſuſpenditur orbibus orbis
Et diviſa ruit per ſingula corpora virtus,
Nec diviſa manet, ſed continuata facultas
Omnia mirandis inter ſeſe implicat hamis.
Hîc inſtar prægrande tenes, iſtaque moveri
Omnia lege notas. trahimur ſequimurque viciſſim,
Et cunctos ea fata rotant. trahit ipſe benignus
Pectora & occulto ſeſe ſub numine Princeps
Cordibus inſinuat pronis animiſque ſuorum.
Heîc habitat, ſacroque intus ſpiramine mentes
Ventilat. Hunc omnis ſequitur per ſaxa per ignes
Civis & Ænea pulchra eſt fiducia in uno.
Obſervas crebris acta æſtibus æquora; quæ vel

Lunari prægnans radio tumor erigit; aut quæ
Depresſit fugiens infra ſua littora Phœbe:
Et pariter varii ſuſpecta negotia mundi
Incertasque notas facies ſortesque malignas,
Et genium, Fortuna, tuum, jam celſa tenentem
Culmina, jam viles ſignantem in pulvere greſſus.
Quod cuncta ingenito natura ſub hoſte laboret,
Nil nocet. internis ſurgit mage ſplendida rixis
Et vires capit illa novas. ſtant lege ſub iſthâc
Omnia & excelſas vexant ea prælia mentes,
Queîs Livor latus urget honeſtisque obſidet armis.
Stramineos ſi forte lares & pingue tribunal,
Rimoſasque domos, ingentibus æmula ſceptris
Regna revolvis Apum; tenui Tibi diſcitur in re
Grande rudimentum ſoliique ingentis imago.
Cum cognata Tibi ſuperorum habitacula mente
Perſpicis, & vaſto ſuſpenſos fornice cœlos,
Et nebulas in ſole vides. nihil undique purum
Eſſe patet. magnis hæret quoque mentibus error.
Cum medius graditur per ſigna adſtantia Titan,
Tunc Regem finxiſſe potes, cui plurima circum
Stipat turba latus. Saturni inamabile ſidus,
Gradivusque pater ſupra caput adſtat, at illos
Multa Jovis mulcet clementia: namque malignos
Conſiliis miſcet cautis cohibetque furores.
Subter amica Venus placido micat ore probisque
Inſtaurat regem monitis. Cyllenius inde
Effert mite jubar Suadaque potente ſalutem
Vindicat & dominas affando detinet aures
Lacteus. Extremos claudit vaga Luna labores,
Jam Phœbo ſaturata ſuo, jam cornua ſumens
Fraterno ex abitu, jam turpem lurida vultum,

Jam

Jam rubras ſuffuſa genas. Hâc omnia Regna
Inſtabili ſub lege vigent, hæc dirigit actus
Informatque ſtatum ratio. Jam plena decore
Creſcunt regna novo, jam retro lapſa feruntur
Omnia & immotos præfigunt ſecula fines.
Sic regni momenta notas atque ipſa ruentis
Solſtitia imperii, quando retrogradus inſtar
Cancer & infauſto mentes effaſcinat aſtro.
Palantes ſi quando vides raptarier ignes
Ingenita levitate vagos; vagus omnia mundus
Diſcitur & quicquid mundo ſublime videtur,
A vitiis illuſtre ſuis. jam fixa minorum
Flammarum obſervas genera obluctantia cœlo
Motorique adverſa ſuo vetita æthere puro
Retrorſum legere ſpacia & perdiſcere mori
Morem ævi. Geminos graditur ſortitus honores
Heſperus & duplici luci deſervit & umbræ
Officio; qualis rebus verſutus agendis
Plurimus Aularum notos agit hiſtrio luſus,
Et fæda puras temerat ferrugine luces.

Jamque etiam pictos ſatagis pervolvere mundos,
Et numeras, qua parte poli, quo cardine cœli
Quælibet exiſtat regio; quo lumine Phœbus
Adſpiciat, rectumne an limum obvertat ocellum;
Queis Titan non mergat equos vicinaque ſemper
Ambulet ingenti circum ſua littora ſpira.
Heic rerum ſecreta vides, Samiique renati
Argumentum ingens, quantos agitata per orbes
Terra ruat ſecura ſui, tria ſidera circum,
Phœbeasque faces, quantum Phaetontia fallat
Fabula, quadrigæque fides ſit vana paternæ.
Diverſo Antipodas inventos orbe ſub uno

Nunc orbe invenies. Jam ſcis, quid terminet Afrum;
Quæ circumſcribant Europam limina; quantis
Harpyiæ incumbant eheu! Mahumetides arvis;
Quantus eat dubio Nilus bene nobilis ortu
Raros fœcundis excuſans fluctibus imbres;
Queis duplicem Ganges ſedet ſitim & aſperet auro
Guttura, Sithoniique ubi gyrent æquora ronchi;
Euxino moriens in ponto ubi deſinat Iſter.
Jam deſerta Arabum nullis habitata colonis
Ingrederis; niſi quod tantum heîc Hecatea jocentur
Phaſmata & horrendis ludant per opaca figuris.
Jam molles nemorum exuvias, jam zinziber Indi,
Atque ubi disrupto matris fœcunda cicatrix
Cortice thura vomat, noteſcit, & unde vagorum
Vileſcant ſpolia Æthiopum, pauperque Zalophus,
Guineaque, & nimio Congus ſub ſole recoctus,
A gazis ſit, o Inde, tuis. Non vivimus uno
Sole. Sub algenti trans Ægocerota Canopo
Barbara tam calidis nunc quæritur India votis;
Nec quæ pampineos moderantem tigride currus
Conſpexit Bromium; quæ terminat Herculis acta;
Nec quæ Pellæos paſſa eſt poſtrema furores,
Sufficit. Ipſa vias auri ſcelerata cupido
Invenit & medios dubitat nil ire per ignes,
Auratam ut lucretur ovem laceratаque rixis
Vellera, nunc multos nimium detonſa per annos.
Heîc Attabalipas ſolio turbamus, & iſti
Jura damus ſceleri juſtoque armamus iniquum.
Hæc quoties volvis, damnas riſuque refutas
Secula, quæ rerum Dominos lateque Tyrannos
Felices uno ore vocant. Jam corpora ſolers
Externosque illorum habitus metiris & ipſa
Infun-

Infundis numeros in rerum viſcera; ſeu quis
Supputet erectos apices, terrasque jacentes,
Quantaque depreſſam menſuret linea abyſſum.
Jam quoque noſſe datum eſt imponere Pelion Oſſæ
Objectisque novas includere montibus urbes,
Et quæ rite ſitum ſtatio determinet; an ſe
Vel quinto ſextove locus munimine tutum
Sentiat; & quidnam ſibi devia forma requirat;
Sint nec acuta nimis, nec propugnacula diſtent
Glandem ultrà pyriam; quâ dorſum valla ſupinent
Lege ſuum; quæ ſeſe adverſis cornibus hoſti
Opponat facies, mediæque in ſegmina Lunæ
Circumeat; quænam terræ intima viſcera quaſſent
Fulmina; quîque Acherontæo per tenvia venæ
Pulvere in immanes volvatur flamma cavernas,
Hæc inter nec facta patrum annalesque tuorum
Negligis, ad quorum trepidans exhorruit Orbis
Sceptra, hinc occiduo ſubjecta potentia Phœbo,
Hinc Oriens tanta arma timet, pulſataque recto
Sole tremit tellus, ſeptem præclara triones
Senſerunt ſibi jura dari faſcesque tuorum
Sponte ſuâ ſubeunt. Omnes Mavorte creatos
Dixeris Odryſio. Non hos Romana ſubegit
Gloria, adoratusque tot olim ſolibus enſis.
Illis captivus poſuit ſua cornua Rhenus,
Quique ſibi ſocium commiſcet Matrona, tuque
Rupibus orte Liger, Rhodane & tu magne Garunna,
His juga Pyrene ſubmiſit, Idubedaque altum
Movit ad arma caput, variique Ortoſpeda ſervit
Nominis. Auriferus tunc Vandala proluit ora
Bætis, tunc tumidas Hiſpal nova ſub juga miſit
Cervices nomenque tulit victore petitum

Vandalico. Herculeæ ſenſere hæc robora Gades,
Et quæ ſtridentes Tarteſſus mergit in undas
Fiſſos igne axes Phœbeaque verbera feſſis
Inſtare audit equis, Calpeque atque ipſa remotis
Sedibus immenſas timuit gens barbara dextras.
Jam legis Anthyrium Pellæi magna ſequentem
Bella Ducis, jamque Alimeros fortisſima laudas
Pectora, Wiſimarumque novis natalia muris
Qui dedit atque ſuo fecit de nomine nomen
Wismariæ. juvat ipſe ſitus. tutisſima nautis
Hic ſtatio eſt, qualem haud Siculis exercitæ ab iris
Iliacæ tenuere rates. jam facta celebras
Childrici, patria pulſos qui ſede reduxit
Chriſticolas. placet egregii pietas Godeſcalci,
Qui faſces quondam ſacris junxiſſe tiaris
Et ſceptro ſociaſſe pedum memoratur & aras,
Rex populi doctorque ſui. tunc laudibus effers
Juſtosque Henricos, Ulricosque atque Rudolphos,
Albertos Carolosque & pacificos Johannes.
Tunc magni tibi multa Patris præcordia virtus
Vellicat & flammis cupidum cor urit honeſtis.
It ſanctus tacito præcordia ad intima lapſu
Ardor & igne animam pulchro populatur hiantem.
Sic fauſto livore tumes & magna tuorum
Exempla in te uno trahis in compendia Patrum,
Et nullo vis eſſe minor, nec major haberi,
Dumque aliis major, minor es tibi; major es ipſe,
Cum minor eſſe voles, humilique ita ſurgere faſtu
Lenis amas & præclara te in luce locare.
Sed tu tolle Ducem, pereant monumenta vetuſti
Temporis & tantos populetur livor honores,
Nil Patrum ſublime puta: tamen incipis â Te

Eſſe,

Eſſe, quod es; nec enim Te aliis, ſed Te Tibi debes
Virtutique tuæ, nam ſtirps laudata tuorum
Res minima eſt in laude tuâ, neque ſcribitur heres
Ex Proavûm virtute nepos, infuſaque tranſit
Nobilitas animi, miſera eſt in nomine nudo
Gloria, ſi tenuem, ſi privæ laudis egentem
Circumfers animum & tantum ad terreſtia natum,
Plebeiam qui ſpiret humum, qui pulveris inter
Squalorem & turpes pigrum caput abdat arenas.
Nimirum meritos probitas alit inclyta honores,
Et titulos poſt terga trahit, jam ſponte ſequentes,
Et laudes nobis pulchrè connectit avitas.
Nec vitium à virtute probum eſt. Si cernis Achillem,
Tunc, quamquam pater es, minor eſt tua gloria, Peleu,
Nec tantùm huic tuus addit honos, nec matris origo,
Quantum Troja dedit fervensque ad maxima virtus.
A Proavis aliena vides externaque fundis
Pronus in acta animum longoque arceſſis ab ævo:
Seu ſatagis veteres ſeclorum evolvere faſtos
Orbis ab unguiculis, cum ſub potiore metallo
(Temporis in titulo quod tunc, non corde ſedebat)
Degebant placidæ juſtiſſima ſecula gentes:
Seu noſtri monumenta ævi turpesque pererrans
Relliquias duri pandis molimina ferri
Ingentesque vices. Sed & heîc tibi multa litura
Scribitur, atque alibi culpas, alibique benigna
Puncta locas, vaduntque odia interjuncta favori.
Miraris tenui victricem ſurgere Romam
Principio totique unam dominarier orbi.
Quod pia Martigenas Lupa paverit ubere fratres,
Fata ſubeſſe notas. dolus irritus omnis Amuli eſt
Et nocet ipſe ſibi. miraris cauta Quirini

Conſilia, atque novis ingreſſos mœnibus hoſtes,
Juncturos jam ſponte fidem dotemque daturos
Rejectis olim generis, ſancitaque dantem
Juſta Numam atque nova ſub relligione tuentem
Omnia, & Egeriæ cauſantem numina Nymphæ.
Jam laudas Tullum pulchrâ ſub fraude tegentem
Labentes ſociorum animos. Sed vapulat alter
Pactorum ruptor Metius, facturus & ipſe
Ruptus ab adverſis ingloria fruſta caballis.
Jam tibi femineis nanſciſcens artibus ingens
Servius imperium, & prudentem provida mentem
Occurrit Tanaquil, quatiensque papavera quondam
Tarquinius, cæſi veniens ad funera Pœni
Scipio, flensque pius Syracuſia fata Metellus
Victor, & infeſtos ſubvertens Cocles Etruſcos.
Maſcula per rapidum quæ fugit Clœlia Tybrin,
Plus quam Virgo Tibi eſt. Zopyrum ſibi pulchra ſe-
cantem
Vulnera & egregio graſſantem in corpora ferro
Evehis, Attiliosque, & maxima nomina Bruti,
Et dulci Decios pro libertate cadentes.
Cum Xenophon legitur ſub Cyri nomine cunctos
Formans Regum animos; Tu regula rectior eſſes
Teque alius ſcribat Xenophon. Tibi Scævola dextram
Non urit, pugnatque tuâ cum laude Sicinnus.
Jam Catilina Tibi Virtutis pungitur œſtro,
Et Lepidus, juransque nefaria in arma Cethegus,
Syllaque, fraternâque infamis cæde Jugurtha.
Tot periiſſe vides urbes proprioque propinquum
A morbo trahere interitum & deforme cadaver
Objeciſſe ſuis, verſamque libidine Trojam,
Et merſam vitiis Capuam, luxuque ſubactam.

Quos

Quos Tibi non Sybarita jocos & ludicra fecit,
Quem perdit ſaltator equus bellumque choreis
Confundens juſſi fallax interpres herilis?
Tunc Tibi noſſe datur, quanam ratione regantur
Imperia inſuetumque pati juga debita vulgus;
Quot ſumat regimen facies; queîs omnia formis
Temperet & diverſa ſibi mixtura maritet
Concordes populorum animos; quam noxia Græcis
Urbibus immodicis libertas ceſſerit auſis;
Quid cives in bella armet, pugnasque calentes,
Jusque datum ferro. Tibi bella coacta probantur,
Non quæſita placent. Si patria quaſſa vacillat
Et petitur bellis, nequam eſt, qui tela recondit,
Neve piam ſtringit jugula in ſcelerata machæram.
Laudas magnanimi ſocium Diomedis Ulyſſem,
Prægnantesque aſtu vires, junctamque Leoni
Vulpem, & pro charis moriturum Theſea Athenis,
Et lenes in verba Titos, fortesque Camillos,
Atque humeros pietate graves patrioque beatos
Pondere, & erecto properantem ad funera vultu
Sogdium, & immenſo victas à Cæſare gentes.
Prima Neronæi placuit tibi temporis ætas,
Et luſtri probitas Samii; ſed cætera diris
Subjicis, Haud temere populorum antiqua volebas
Rumpi pacta novis, arcto quos fœdere mixtos
Junxit inabruptâ concordia longa catenâ.
Jam ſociata vides vitiorum ſemina laudi
Et populis nativa ſuis; quod ſubdola Pœno
Et ſuſpecta fides; fictæ Megarenſibus artes;
Quod Græcis fraudes Siculisque trilinguibus & quod
Nobilitata ſuis diteſcat Lydia furtis,
Quæ Lacedæmoniis conceſſerat & Scythotauris

Lex

Lex ſceleris tutela ſui. jam barbara culpas
Nomina Derbicum, veſcentum carne paterna,
Et conſanguineo ſaturos â viſcere ventres.
Non niſi juſta probas, procul ire per æquora fraudes
Oceanumque jubes glacialem & inhoſpita regna.
Cæſarei Tibi jura fori, Tibi tota pateſcunt
Delubra & tantos facilis penetrare receſſus
Eſt labor. Ingenitum factis dominetur honeſtum,
Non vis, neve dolus, laceriſve injuria rixis;
Nec nocuum vis eſſe ſibi aut ſe lædere civem;
Aut alios. pulchrum per cuncta negotia juſtum
Ambulet & fixum ſervet manus æqua tenorem.
Jamque vides, queis ſe Themis alma per intima fundat
Corda rudimentis animique in viſcera repens
Spargat nativi communia ſemina recti;
Quîque liget cunctas jura in concordia gentes;
Quis ſociet cives placitis formetque ſtatutis;
Quî Prætoris honos tabulis civilibus addat
Temperiem & miti rigidum jus mulceat æquo.
Indigeſta Tibi tot commentaria patrum
Nunc digeſta placent, èdictaque vaſta Quiritum,
Et Byzantini ſuffragia ſplendida regni,
Et codex, Oberte, tuus. dehinc maxima Regum
Jura vides & Cæſarei ſublimia ſceptri
Sancita, & quali Lex Regia creverit ortu;
Quid bullata velit Carolini ſanctio juris;
Unde ſit Auſoniis immixtus Teuto tiaris;
Quos conceſſa ſacro libertas eximat urbes
Imperio, & vario diſcretos ordine cives,
Conjunctoſque ſibi; quo limite clauſa poteſtas
Caſtiget ſe fine ſuo, nec debeat ultra
Ferre pedem; quam ſeſe immenſis erigat alis
Maje-

Majeſtatis apex; quam nunc ſit Diva triformis,
Relligio quæ ſimpla fuit, centoneque ſciſſo
Membra tegens ſævi ferat impia ſemina belli.
Volvitur interea divini pagina Grotî,
Grotî, cujus honos prolixa in ſecula durat,
Grotî, quem nullus furibundo dente laceſſit
Livor, quem totus ſtupet & non comparat orbis.
Hunc magno fervore legis, ſublimiaque acer
Eruis, & mira eſt genii ſolertia tanti.
Hæc tibi lecta domi ſelectos ſcribis in uſus,
Non mutanda tuâ, Ganges pretioſe, ſaburrâ,
Non & Idaſpeo lapide & Garamantide gemmâ,
Nec donis, ô *Erythra*, tuis, per Eoaque conchis
Littora quæſitis, veſtroque Palægones auro.
Nec tibi nocturnis, Dux, impalleſcere chartis
Eſt pudor & doctas pulchre redolere lucernas.
Immiſces tamen & rebus jucunda ſeveris,
Atque vices alternus amas; ſeu torqueat haſtam
Docta manus, celeresve agitent ſimulata lacerti
Prælia & Odryſias pugis jocularibus artes;
Seu per tenſa tibi ſubſultet retia ſphæra,
Aut ſurſum percuſſa volet, colliſaque terræ
Sumat ovans animos; ſeu Tu factorve datorve
Luſibus inſiſtas. facilis mox frena momordit
Cyllarus & juſſos generoſior ivit in orbes,
Aut placidis ultro ſubmiſit colla lupatis,
Et nutu ſtetit ille tuo. jam Cynthia qualis
Inter Mœnalias graditur pharetrata latebras,
Exagitas per luſtra feras profugasque ſagaci
Sectaris catulo & curſus clamoribus urges;
Setigeros ſeu figis apros cervumque volantem
Fundis humi, aut capreas in retia trudis inermes.

Si mentem laxare ſedet, tunc verbere plectra
Percutis Aonio; vel amico diluis horas
Carmine; quale dedit Latialis gloria linguæ
Altiſonumque Maronis ebur; vel qualis, OPIZI,
Inſueto cecinisti olim popularibus ore,
Et leni, TCHERNINGE, lyra, Vates nec in ullo,
Quam quod obis, injurie, Pindi maxima noſtri
Gloria & æternâ ſemper dignisſime lauru.
Sed tua non tantas debebat Patria laudes
Sola ſuo ſepelire ſinu. gens extera partem
Vendicat inde ſibi. gratis mens ignea ſeſe
Mancipat exiliis, nec ſede quieſcit in unâ.
Scilicet hæc noſtros quà incurrit machina ſenſus,
Qua celer immenſis agitatur tractibus æther,
Et picto vagus igne micat, quà maximus ambit
Tellurem Pater & mediæ diſcrimina ponit
Impacata, patet virtutum orcheſtra bonarum
Et laudis menſura probæ, quam deſtinat altis
Mentibus alma Parens, quàque eſt impervia membris,
Hac patet ingeniis, agilisque per omnia rerum
Se diffundit homo; ſeu corporis illa penetret
Robur; ſeu animus pernicibus involet alis.
Ergo ſerenus abis totque inter vota tuorum
Plorantem linquis patriam madidoque moleſtos
Singultu ſolantem abitus. Sic Theſea quondam
Patria Mopſopiæ fugientem littora Athenæ
Vidiſtis, nec tam genitor luxiſſe putatur,
Quam regem gens tota ſuum. Sic Theſſala Tempe
Æacides egresſus erat, nec ſplendidus illum
Pulchrorum aſpectus nemorum, nec dulcior inter
Gramina ridenti revocavit murmure rivus.
Taliter Herculeum requievit poſte nec uno

Ro-

Robur & haud unum ſumptus Leo terruit orbem.
Tunc pulchris primum Te Belgia ſuſcipit ulnis,
Et bellis ac arte potens, quæ Veſperis iras
Et vires toties armis concuſſit Iberas,
Tot ſtudiis illuſtre ſolum. miraris Athenas
In Batavis Latiique ingentia nomina. quicquid
Priſcorum ſublime fuit Tibi cernitur illis
Sedibus. Indigetes contempta Phocide Muſas
Dixeris æternos hîc exſtruxiſſe penates.
Heic cernis tot monſtra hominum atque excelſa virorum
Dæmonia; hîc magnis præcurris laudibus atque
Prætextata graves vincit ſapientia barbas.
Heic cuncta exhauris veterum monumenta librorum.
Heic Taciti rimaris opes, heic nobile Livî
Nectar & antiqui quicquid decus aſſerit ævi
Boxhornio libante bibis, neque dulcia ſordent
Fercla recocta Tibi, cupidas quæ paſcere mentes
Et pectus ſaturare queant: ſed parcius inter
Incedis criticas vibrantes arma phalanges,
Nec tanti Tibi ſunt triſtes ob puncta Magiſtri
Atque implacatæ variati commatis iræ.
Nec ſolum te Belga tenet; magis inde remotos
Accedis populos & amantes lilia Gallos.
Et jam Laurentis vidiſti regna Tyranni
Clavigeroque olim raptos à Vejove faſces.
Sed tamen hîc intactus abis, vicinaque non Te
Vipera, non fallax obſedit pectora Siren;
Qualis Sicanios relegens Alpheus Amores
Per medius maria it, ſed non tamen acre bibit ſal
Nec dulces inſuavis amaror adulterat undas.
Jam Noris te Franca videt. jam Cæſaris aula

Vi-

Victriceſque Aquilæ applaudunt ingentibus alis
Ipſa Tibi aſſurgit turrito vertice felix
Argyrope. Inde tuæ DORSCHEVS maximus Arcto
Poſcitur, indigni qui nunc deliria ſecli
Vitat, nec patitur noſtri contagia mundi:
Et Tu, qui *toto* ſatis es modo *notus in orbe*,
Magne TABOR, cujus ſi non datur ora tueri
Hactenus, illuſtrem veneror pro nomine chartam,
Quam tanta æternæ certantem dextera cedro
Condidit, & quo *alter tantus* non obtigit ævo.
Sic ætas Tibi cuncta perit, talique perire
Digna labore fuit, nec tu juvenilibus annis
Quid juvenile ſapis. Quis non grandævus adeſſet,
Qui juvenis ſic eſſe velit? juveniſque præoptet,
Ut vellet ſic eſſe ſenex? non tetrica peſtis
Affricuit Tibi dulce nefas & lene venenum,
Nec tacito ſecura peredit pectora morſu
Captatrix juvenum labes, ſurduſque refutas
Indevitati poppiſmata dulcia ſecli,
Quæ vitas ſolus. Spumare recentia ſordes
Vina ſolent, donec ſatis indignata reſidunt,
Atque cadis parere jubet, quæ mitigat, ætas.
Impleviſſe genus vitii Dux Atticus omne
Dicitur, inſignem qui tot virtutibus inde
Se dedit & juvenem ſenio manſuevit & annis.
Ætati ſuus error ineſt, neſcitur in uno
GVSTAVO, ſoluſque poteſt dominarier ævo,
Atque illud ſervire uni. tenor unus & idem eſt
Et ſemper ſua norma ſibi, nec provocat ultra
Nec fines anguſta locat. quæ quanno caduci
Temporis excludunt ſpatia, heic æterna putabis
Omnia, & hunc genium maculis mortalibus orbum.

Non fatuo levis igne Cypris, non humida Mœnas
Te comitem ad ſua ſigna vocat, non deſidis otî
Segnities ſuſpendit opus generoſaque fregit
Pectora & in luxus animos laxavit inertes,
Nec conſanguineæ ſomnus qui mortis imago
Obfuit. Egregio ebullit mens plena decoro
Et furias fibris virtus impreſſit honeſtas,
Nec peregrina tuos temerant contagia mores.
Sed revocate domum, Muſæ, revocate benignum
Principem & hoc patriis depoſtum reddite terris.
Ergo redit, primoque velut Sol ſurgit Eoo
Exoptatus adeſt, & cive petitus ab omni.
Tunc Sociam Cytherea dedit, Dominâque care re
Noluit, ut Dominum pronis ſuſceperat ulnis
Patria. tunc Divûm ſata venit origine Cimbrûm
Amplexu decoranda tuo, tunc caſta SIBYLLÆ
Oſcula, tunc teneros nutris in cordibus ignes.
Tunc ego Trajani ſumpſiſſe exordia faſces
Crediderim. tunc magnificum Themis alma tribunal
Exſtruit & terris voluit ſupereſſe relictis,
Juraque Dalmatico nunquam diſtorta metallo
Æqua dedit populis. Tu culpas ſordida Flavî
Lucra, nec injuſto turgent æraria cenſu,
Nec cives onerant. placuit tonſura Tiberî
Atque ſupervacuos raptura novacula villos.
Tunc tibi nuda patet, qualis vel quanta videri
Cœlicolis ſolet alma fides, cretataque non ſe
Vendit & antiquo pura interlucet honeſto.
Te quoque conſiliis adhibes, nec ſola moraris
Suaſorum monita, à vero quos ſæpe repellit
Diverſosque rapit vanæ favor improbus auræ.
Non tibi Sarmentus, non qui labentia fallat

Tempora, mimus adeſt, non vilis Galba procaxque
Accumbit menſis Dromeas, nec turpior aulis
Adſtat adulator, genus aut ex faucibus Orci
Protractum, ſecli ſcabies, ſpumâque creatum
Cerbereâ, â Pharia monſtrum quod prodiit algâ.
Non Metus exſanguis, non Vis, Iræque rubentes,
Nec geminum quatiens excors Diſcordia telum,
Non perfuſa tuæ Lenæo rore Voluptas,
Nuda genu, diſcincta ſinus & aperta papillas,
Struxerat inſidias aulæ: ſed regia ſemper
Ingreditur ſublimis amata per atria virtus.
Aſt ego quo rapior? quæ parvam flamina tanto
Circumagunt puppem Oceano? Diffundor & inter
Maxima jactatum tollo caput æquora, terris
Excluſus portuque, nec hîc gravis arte molorchus
Terminat immenſum tam vaſto gurgite fundum.
Qualis abincluſo dimiſſa columba Noacho
Exit ſperatos exploratura refluxus,
Hæc volat & vacuâ multum dominatur in aurâ
Atque pari ſeſe orbe fugat. ſed gurges aquarum
Seſſuram excludit ſpatiis, laſſataque rurſus
Divinam venit ad caveam patrique verendo
Exponit ſacris ſtagnantem fluctibus undam.
Sic raptus per magna vagor, quantumque propinquo,
Tantum abſum creberque mea in veſtigia calco.
Tu tamen exigua hæc noſtra donaria, PRINCEPS,
Sume manu trepidisque velis concedere Muſis,
Et juvenile rudi diductum pollice carmen
Aſpectu dignare tuo. ſi maxima chartis
Illuxit tua dextra meis, nec iniqua Camœnæ
Puncta tulêre meæ, placido illa tuebere vultu,
Sique meæ tibi non ſurgant per tempora laurus,
Saltem

Saltem humiles ſerpant circum tua gen[illegible]a myricæ;
Germina parva quidem, nec tanto Pr[illegible]ncipe digna:
Sed tamen illa tuo nutrita eductaque fundo.
Planta tua eſt, tuus o! tuus o! ſi faverit æther,
Nec duri obſtiterit gravis inclementia cœli,
Tunc membris ſurget paulo majoribus, & ſe
Lætior explicitis extollet frondibus arbor.
Sis felix, Dux MAGNE & noſtri temporis Atlas!
Te ſervet divina ſalus, jubeatque beatum
In vivis ſupereſſe caput. nunc licia vitæ
Incipiat tibi nere ſoror rumpatque priora
Stamina, nunc primos Natalis computet annos.
Vive diu, nec Te ſors amplius aſpera turbet,
Lætaque contuſos viſat fortuna penates.
QVUMQVE TRVCES FIGAT TIBI NVNC LIBITINA CVPRESSVS,
DET LAVRVS LVCINA NOVAS. tunc o Tibi quanta,
Quanta tuus promet felicia jubila vates!
Te mea Muſa canet. te, maxime, nulla ſilebit,
O GVSTAVE, dies. GVSTAVIA nomina ſervo,
Numen ineſt illis, GVSTAVIA facta celebrant
Secula. GVSTAVOS totus non terminat Orbis,
Nullaque GVSTAVÛM delebunt tempora nomen.

AD
EVNDEM
De nato Herede.

NAſcere, MAGNE PVER, cœli certiſſima proles,
Naſcere, & æthereum maſcula pande genus.
Naſcere, & offuſas cœlo diſpelle tenebras,
Atque tuo terras imbue Sole tuas.

Naſcere, & erepti fatum ſolare JOANNIS,
Milleque GVSTAVO gaudia redde PATRI.
Naſcere poſt ſextam *TV* proles ſeptima prolem:
Sed primo nobis nunc numeranda loco.
Qualis vicinos inter Sol fulgurat ignes,
Parvaque adoptivâ ſidera luce micant:
Qualis & agnatos ſtat Jupiter inter ephebos,
Et facibus paſcit pignora chara piis:
Sic Junonillas inter Veneresque Sorores
Aſcanii radiat gloria prima novi.
Non *Tibi* congeſtis Virtus infunditur aſtris:
Tu nobis omni ſidere major eris.
Sidera ſunt, qui *Te Sidus* genuêre *Parentes*,
Cognatosque *Tibi* mens rotat ipſa polos.
Scilicet his motus *Tibi* volvitur orbibus orbis.
Hæc animos ſaturant *ſidera celſa* tuos.
Naſcere *Magne Puèr*, gratisſima pectoris olim
Sarcina, nunc ulnæ dulce prementis onus.
Naſcere, & auguſtis cunas vagitibus imple,
Et *Matris* cape nunc oſcula mille *Tuæ*.
Excelſa ingenti damnata *puerpera* voto
Te nato, nobis gaudia mille parit.
Te naſcente, omnis fundo mihi turget ab imo
Caſtalis, inque tuum tentat abire decus.
Nunc tenues ſpargo guttas majora daturus
Flumina: nam *ſidus* provocat illa *tuum*.
Te naſcente, Senes Juvenesque renaſcimur omnes,
Inque ortus trahimus jubila mille tuos.
Natalis tuus eſt populi natalis, in illo
Vivere dic omnes; deficiente, mori.
Te naſcente, *Tuus Pater* ipſe renaſcitur *ingens*,
Inque tuâ *Patriæ* multa ſalute ſalus.

À *Pa-*

A *Patre Tu* vivis, vivit *Pater* inclutus à *Te*,
Et vitam populus nunc ab *utroque* trahit.
Per *Te* non moritur *Pater*, in *Te*, *Nate*, ſuperſtes,
Hunc naſcens poteras *Tu* generare *Patrem*.

IN
EJUSDEM
Natalem Anniverſarium
Cento Virgilianus.

PRÆFATIO.

Dum ſe Muſa Tuis, PRINCEPS, parat addere feſtis,
Non potuit dignâ veſte miſella tegi.
Non vel palla fuit variis illuſa figuris,
Vel toga, quæ longô ſyrmate verrat humum.
Triſtis, egena, pavens, male nexis obſita pannis
Nuda feneſtrato tegmine membra premit.
Quæ Virgo tam bella fuit, pannucia Baucis
Nunc erit, & nullis nunc adamanda procis.
Quam tamen ipſa ſtipem legit, Tibi candida donat,
Quasque paravit opes, vult tamen eſſe Tuas.
Parva dedit parvi, ſed munera grata, peculi,
Inque ſuis obolis magna talenta dedit.
Nomina contraxit, queis ſacri debita amoris
Solveret, atque bonâ dat Tibi verba fide.
Poſt cervos & apros dubitataque fercula menſæ
Hîc modicum, PRINCEPS MAGNE, minutal habes.
Accipe ſubductas de meſſe Maronis ariſtas,
Hæc capiti dabo nunc ſpicea ſerta tuo.
Virgilii cædo virgulta, & germina jungo,
Quæ divina dedit virgula Virgilii.

Scribitur ex raptô nobis, pedibusque Maronis
In laudes ivit Muſa levata tuas.
Quis non à pedibus magno nos eſſe Maroni
Dicat? & hæc nobis nunc via viſa pedum eſt.
Dant ſemeſarum Centonem fruſtula vocum:
Sed tamen hinc tango pingoque carmen acu.
Sint laceræ voces, ſi ſartaque tectaque durat
Gratia, ſi mihi mens integra ſemper erit.
Si tamen has nolis; facilè eſt paupercula verba
Perdere: jactura eſt ſcilicet illa levis.
Ceu Ægonis oves male junctis oſſibus hærent;
Sic quoque non firmô ſtat mea Muſa pede.
Omnia ſolvuntur, quâ ſunt ratione ligata.*
Diſſolves? ſciſsâ compede ſolve pedes.
Tu fundo potes hæc addicere verba Maronis;
Sic redit ad Dominum ſyllaba rapta ſuum.
Tunc ſtabit nudata ſuis cornicula plumis,
Atque verecundos Muſa retecta ſinus.
Quod ſi particulas elementaque in iſta
Carmenabit; magnô ſcribo labore Nihil.
Quid mirum eſt Muſam, quæ Nil parit ipſa, Nihilque
Poſſidet, & Nihili eſt, exhibuiſſe Nihil?

* *l. 35. de R. J.*

G.4. EN iterum * magnum Sol circumvolvitur annum! Æ.3.
Extulit os ſacrum cœlo tenebrasq; reſolvit Æ.9.
Æ.10. Maturâ jam luce dies *, quam nuncia veri Æ.4.
Attulit, & nobis aliquando optantibus, ætas. Æ.8.
Æ.11. Quæ primum * partu ſub luminis edidit auras Æ.8.
Æ.7. Semine ab ætherio * genus alto à Sanguine Divũ, Æ.5.
Æ.12. Supra homines. * Fulsére ignes & conſcius æther, Æ.4.
Æ.5. Cum PRINCEPS, * ipſe ante alios pulcherrimus omnes, Æ.4.
G.3. Sole recens orto * cœlo dimoverat umbras. Æ.11.
E.8.

E.8. Dicite Pierides, * tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas & pocula porgite dextris. *Æ.8.*
Æ.7. Majus opus moveo, * paulò majora canamus. *E.4.*
Major agit Deus atque opera ad majora remittit. *Æ.11.*
Cir: Felix illa dies, felix! * quæ maxima ſemper.
Dicetur nobis & erit quæ maxima ſemper. *Æ.8.*
Æ.1. O quam Te memorem! * quæ te tam læta tulerunt
Secula! Qui tanti TALEM genuêre Parentes! *Æ.1.*
Æ.6. Magnanimi HEROES, * quæ vos à ſtirpe Parentũ
Æ.5. Prima tulit tellus? eadem * multosq; per annos
Stat fortuna domus, & avi numerantur avorum, *G.3.*
Et Nati Natorum, & qui naſcuntur ab illis. *Æ.3.*
His ego nec metas rerum nec tempora pono. *Æ.1.*
Æ.2. Da Pater augurium! * maneant ea fata nepotes, *Æ.6.*
Spemq; gregemque ſimul cunctamque ab origine gentem. *G.3.*
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbor, *G.2.*
G.2. Miraturque novas frondes * de culmine ſummo. *G.1.*
An quidquam nobis tali ſit munere majus? *E.5.*
Æ.7. Nullo * ſe tellus tantum jactabit ALVMNO. *Æ.6.*
Omnis in ASCANIO cari ſtat cura PARENTIS. *Æ.1.*
Jamq; novum ut terræ ſtupeant luceſcere Solem, *E.6.*
Æ.6. Advertit, * nec ferre videt ſua gaudia ventos. *Æ.10.*
Æ.6. Illuſtres animas, * ſuperumque ad lumen ituras *Æ.6.*
(O mihi tam longè maneat pars ultima vitæ!) *E.4.*
G.4. Hinc canere incipiam. * Fluvios dum piſcis amabit, *E.5.*
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt. *Æ.1.*
Spondeo digna Tuis ingentibus omina cœptis. *Æ.9.*
E.5. Tu decus omne tuis, * evexit ad æthera Virtus, *Æ.6.*
Per tot ducta viros, antiquæ ab origine gentis, *Æ.1.*
Relligione Patrum multos ſervata per annos *Æ.2.*
Æ.3. Servas. * accendit tantarum gloria rerum. *Æ.4.*
G.4. Sæpe etiam * ſomnos abrumpit cura ſalubres. *G.3.*
Æ.9. Non placuit * verſare dolos, * & fallere viſco *G.1.*
Æ.2.
Proq; Viro nebulam ac ventos obtendere inanes. *Æ.10.*
E.1. Non unquam * jacto qui ſemine cominus * omnes *G.1.*

Explorat ventos atque auribus aëra captat, Æ.4.
Et nunc huc inde huc incertos implicat orbes, Æ.3.
Æ.5. Obliquatque ſinus in ventum,* infecta venenis Æ.7.
Spargens humida mella ſoporiferumque papaver, Æ.4.
Æ.7. Perfidus, alta petens * illâ ſe jactet in aulâ. Æ.1.
Æ.5. Æquatæ ſpirant auræ,* nec jam amplius ulla Æ.1.
Æ.1. Tempeſtas ſine more furit,* tractabile cælum. Æ.4.
E.10. Hic gelidi fontes * dulcesque è fontibus undæ, G.2.
Doris amara ſuam non intermiſceat undam! E.10.
Æ.6. Dulcis & alta quies,* & neſcia fallere vita. G.2.
Æ.1. Excutitur * curvis fruſtra defenſa latebris
Vipera, & attoniti ſquamis adſtantibus hydri. G.3.
Æ.2. Sed quid ego hæc autem?* Spatiis excluſus iniquis
Prætereo atque aliis poſt me memoranda relinquo. G.4.
Æ.8. Interea ſacra hæc * perfectis ordine votis Æ.3.
Annua (quæ differre nefas) celebrate faventes. Æ.8.
E.10. Carmina ſunt dicenda.* Animis illabere noſtris, Æ.3.
Æ.5. PRINCEPS ante omnes:* damnabis Tu quoque votis. E.5.
E.5. Sis bonis ô felixque tuis! * (vox omnibus una) Æ.5.
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo. G.1.
Conſonat omne nemus ſtrepitu colleſq; reſultant. Æ.8.
E.5. Ipſa ſonant arbuſta.* Tibi ſic vota quotannis
E.5. Agricolæ facient,* & cum ſolennia vota
E.7. Reddemus,* tua dexter adi pede ſacra ſecundo. Æ.8.
Æ.12. Interea hos tibi dant calamos (en accipe!) Muſæ. E.6.
Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſylva; G.2.
Æ.8. Me tamen hæc* arbuſta juvant, humileſq; myricæ, E.4.
G.3. Non umbræ altorum nemorum.* Tibi munera noſtra E.2.
Et vos, ô lauri, carpam, & te, proxima myrte. E.2.
Verum, id quod longè tute ipſe fatebere majus, E.3.
Unâ eâdemq; viâ ſanguiſq; animuſq; ſequuntur. Æ.10.
Æ.4. Adſis ô placidusque juves.* Parnaſſia Rupes E.6.
Æ.1. Scinditur,* (infauſtum auſpicium!*) deſertaque montis Æ.5.
Stat domus, & ſcopuli ingentem traxêre ruinam. Æ.8.
Æ.6. Quid memorem* exhauſtos jam caſibus, omnium egenos, Æ.1.

Rem

Rem nulli obſcuram, noſtræ nec vocis egentem? Æ.11.
Æ 2. Vos agitate fugam,* dulces ante omnia Muſæ: G. 2.
Æ.2. Nam quod conſilium, aut quæ jam fortuna? *quotannis
E. 7. Exſpectaſſe ſat eſt,* fugit irreparabile tempus, G. 3.
G. 3. Quæſitæque nocent artes, * nec carmina nobis
E.10. Ipſa placent, * partem divinæ mentis & hauſtus
G. 4. Æthereos * duræ rapit inclementia * curæ. G. 3.
Et me Phœbus amat, Phœbo ſua ſemper apud me
E. 8 Munera ſunt lauri, * ſteriles in vertice ſylvæ. G. 2.
Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
G. 3. Raptat amor, juvat ire jugis,* recludere fontes. G. 2.
Æ 12. Sed neque * digna manet divini gloria ruris. G. 1.
Æ. 8. Non heic * Medorum Sylvæ, ditiſſima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus. G. 2.
Me tamen urit amor, quis enim modus adſit amori? E. 2.
E. 7. Aret ager* cumulosque ruit malè pinguis arenæ. G. 1.
G. 3. Saltibus in vacuis,* & amarâ paſcitur herba, G. 1.
G. 3. Itque pecus longa in deſerta,* & veſcitur aurâ
Æ. 8. Ætherea,* feſtosque dies de nomine Phœbi Æ. 6.
E. 8. Semper habet,* quorum Graji meminêre Poëtæ. G. 3.
Æ 12. Quem non * pœniteat calamo triviſſe labellum? E. 2.
Æ. 7. Frangimur heu fatis, *famamq; fovemus inanem. Æ. 4.
Æ. 2. Venit ſumma dies.*Antiquam exquirite matrem, Æ. 3.
Æ. 3. Dum fortuna fuit, * Vos ô *clariſſima mundi*
G. 1. *Lumina,* * *Magnanimi Heroes.* * nunc ipſa vocat res. Æ. 6. Æ. 9.
Æ. 12. Namque adeò * quæ ſit rebus fortuna videtis, Æ. 2.
Æ. 5. Quo tendant,* & quæ rebus ſit cauſa novandis. Æ. 4.
G. 3. Hic labor! hinc laudem,* magnum & memorabile nomen

Æ. 4. Accipite, hinc* pacis ſolum inviolabile pignus Æ. 11.
Æ 10. His dabitur terris. * Fatis Autoribus, eſto Æ. 10.
Æ. 1. Imperium ſine fine ---- ---- ---- ----

AD

EVNDEM

ET

SERENISSIMVM PRINCIPEM

AC DOMINVM

D N. L V D O V I C V M

In Sileſia Ducem Lignizenſem,
una cum Conjugibus Serenisſimis Roſtochium
ingredientes

Gratulatio extemporalis.

P R Æ F A T I O

UNde novo noſter collucet ſidere Pindus?
Quod nunc aſtrifero fulget ab axe jubar?
Fallor an ex ipſo deſcendunt æthere Divi,
Et superûm noſtros nunc adit ordo lares.
Exere ſemirutos, tandem ô Academia, vultus,
Et pigro merſum pulvere tolle caput.
Gloria tota tua eſt. nova jam tibi ſecula ſurgunt.
Creditur ipſe novis ſolibus ire dies.
Non Te nox pullo tenebrarum involvet amictu,
Excipit atratos lux ſpecioſa dies.
Imus in occurſus & vultu & ſupplice dextrâ,
Et tenuis veſtrum Muſa ſalutat ebur.
Accipite ô facili Parnaſſia munera vultu,
Submiſſæque, DVCES, ſumite mentis opus.
Summa quidem ſummo ſubſiſtit in æthere Stella:
Exiguis tamen & ſplendeat illa caſis.

O quis

O Quis tam faciles mihi Dædalus expedit alas?
O quis nunc cœco membrorum carcere lapſum
Evocat hunc animum? quis me nunc ſpiritus urget?
Quis Deus ô tacito mordet mihi Numinis œſtro
Pectora & infuſo præcordia vellicat igne?
Me vis major agit, vis non humana, nec ullis
Senſibus expoſita & populis ignota profanis.
Non mihi ab Arcadiis præceps Cyllenius ales
Montibus, Aoniusque alâ bipâtente Caballus
Adfuit, & Clarios præpes dedit ungula fontes.
Non mihi Calliope, non autor Apollo canenti
Poſcitur, aut ſacro cortina remugit ab antro.
Nil lauri, nil plectra juvant, cytharæque lyræque,
Fiſtulaque Arcadicis primum compacta cicutis.
Omnia vana mihi grati fomenta furoris.
Mentem aliud nunc Numen agit, quæque inde fatigata
Incurſu graviore tumet, ſe major & auctu
Fœta novo: Me magna, DUCUM PAR NOBILE, veſtræ
Lucis imago ferit, radiisque illuſtribus haurit
Pectus & ardentes ſerpunt in viſcera flammæ.
Tu primus mihi mente ſedes, glaucomaque pigrum
Diſcutis & multo mihi reples pectora cœlo
GUSTAVE, ô cui fama ingentes concipit alas,
Laſſarique timet, magnorum ſtemmate Regum
Edite, Delicium ſuperorum, gloria Terræ,
Noſter amor, noſtris lux & ſpes maxima Muſis.
Qualis ſubjectis mens imperat incola membris
Ceu cœlo defixa ſuo, modo flectit ocellos,
Jamque per ima means ſe ſeque per omnia miſcens
Mobilitate ſuâ movet & ſibi temperat artus.

Quan-

Quantus & aſtrifero promus condusque dierum
Orbe ſedet, tenuesque inſtaurat lumine natos.
Olli cuncta ſuas adſcribunt nomina dotes,
Auraique in dona cient: mirantur ovantem
E latebris procul aſtra ſuis, perque omnia ſparſos
Ore trahunt ignes genialeque ſidus adorant.
Tantus ades nobis, tantus, CELSISSIME PRINCEPS,
Ore tuo nituit radius, quâ parte nefaſtos
Pythones jugulas, vel quâ te in mitia laxas
Munera, Apollineis tribuens ſua præmia Muſis.
Tu quoque jam præſens præſentius imprime numen,
O LVDOVICE, tuis mihi fervida pectora donis
Incaleant, motæque micent in viſcere fibræ,
Tu genio perfunde tuo. Jamque ipſe ſerenis
Immergor radiis ſenſusque inſtauro labantes,
Jamque ſupra ſummum ſublatus inane volatu
Palantesque polo flammas & ſidera raptor,
Et ſuperos calco plantis audacibus ignes.
Salvete ô noſtro multum veneranda Lycéo
Nomina, Celſorum ſanguis generoſe Parentum,
Ecquis amor noſtris tantum concedere Muſis
Atque humiles feſto ingreſſu luſtrare penates?
Jamne iterum repetunt Cœleſtia Numina terras,
Perque homines fictâ gaudent ſub imagine magni
Ire Joves, & noſtra petunt conſortia Divi?
O nobis inſuete nitor! mihi lumina ſtringit
Attonitumque ſui perſultat imagine viſum
Æterno ſplendore jubar, latitoque ſub umbris
Noctua. Quæ Terris aſpectu affulſit ab iſto
Glôria? nam mortale nihil prænunciat iſte
Ortus & æternos nobis promittit honores.

Quid

Quid mihi creta ſagax vatum? Babylonius aſtris
Incubet & ſolers veſtiget ſidera Memphis.
Quadratâ ſtatione locet; ſeu cardine ſexto
Se conſanguineis virtus confuſa maritet
Ignibus. Occulti ſcrutare volumina cœli:
Hoc Varno nunc ſidus erit. Conjunctio felix!
O exoptatos Aſtri felicis amores!
Surgit, ut æquoreis cum Sol exſurgit ab óris,
Purpureum vomit ore diem, & dimenſus Olympum
Spargit in ambitas pulcherrima lumina terras.
Hunc jam lucentis ſenſim incrementa figuræ
Accipiens Latona ſubit, ſaturataque Fratris
Lumine jam pulchro pudibunda exarſit in oſtro.
Olli forte latus defendit Juppiter unum:
Idalioque illinc adſtat fulgore Dione.
Deſcendunt in vota poli, Titaniaque aſtra,
Submittuntque faces, inclinatoque ſalutant
Vertice. Sic ubi ſe violentis flatibus Euri
Immiſcent pelago nocuosque intervomit imbres,
Qui puer inflexâ nos deſuper abluit urnâ,
Tunc ſi forte pios nautis oſtenderit ignes
Sidus Ledæum, tunc ſeſe in jubila ſolvunt,
Totaque ventorum rabies irata profundo
Diffugit & miti ſubſidunt æquora ab aſtro.
Sic ubi ſe populis Phœnix oſtendet Eois,
Exutus longæ ſpolium mortale ſenectæ.
Ille volat: circumque ruit famulantibus alis
Omne genus volucrum & redivivum funus adorat.
Aſſurgit vobis inter tot fauſta precantum
Vota virûm & toto reflexos æthere plauſus
Exultans Natura, ſinusque impreſſa tumentes
Luxuriat, viridique ſolum prætexit honore.

Ipſa

Ipſa novas ſibi nunc mirantur paſcua vires,
Et nemus arboreo ſe rurſum inveſtit opaco.
Ipſa quoque effuſis offert ſe Flora caniſtris,
Atque coloratos pictâ ſub imagine flores
Mille modis & mille notis & mille figuris
Temperat, & veſtro gaudens ſuſpendit honori.
Garrula pennigeræ vobis conſortia gentes
Inſtaur..nt. Ramis per mutua vincula nexis
Lenè interſpirant Zephyri blandoque ſuſurro
Mite canunt frondesque inter ſua ſibila plangunt,
Et fera ſuſpenſi cohibent jam flamina Cauri.
Idalii vos pone volant ex ordine fratres;
Servitiisque vacant meritis: pars nectare puro
Spargit humum antevolans & pulveris enecat undam:
Pars leviter motis fervorem diſſipat alis.
O quam Te pronis ACADEMIA ſuſcipit ulnis,
MAXIMA BIGA DEÛM, PARQVE O ILLVSTRE DEARVM!
Quam lætum Tibi fundit epos! Tibi jubila cuncti
Unà iterant, gratosque ineunt per mutua plauſus.
Huc omnes numerorum artes & conſcia vocum
Fœdera conſpirant. vos ô vos ubere rivo
Iviſtis gemini CynthI de culmine fontes.
Proxime Diis, GVSTAVE Pater, cui Vandala tellus
Servit, cui noſtræ debent ſua nomina Muſæ.
Tu noſtras attende preces, ruituraque jamjam
Reſtaura nobis ſtudia & decus aſſere priſcum.
Vive Tibi & Patriæ regnaturosque nepotes
Suggere & æternum non convellenda per ævum
Imperii duret Tibi gloria, MAXIME PRINCEPS,

Et,

Et; LVDOVICE, tuos fas ſit ſperare favores.

Te ſervet divina ſalus & ſtemmatis alti

Intemeratus honos æterna in ſecula duret.

AD

EVNDEM

Magnum Parnaſſi Kilonienſis Hoſpitem.

DVm noſtris magnus ſuccedis ſedibus Hoſpes,
INCLYTE Vandalici DVXQVE PATERQVE ſoli,
Et jam fama meas ſed ſera veniret ad aures,
Officium, dixi, poſtulat illa meum.
Jam fervere vias, cives properare videbam.
Nec mora: præſentis vidimus ora DVCIS.
Vidimus ora DVCIS magis ipſo Sole ſerena,
Et quondam Vati ſæpe benigna ſuo.
Vidimus æthereo diffuſum lumine vultum,
Quo non ipſe polus purior, ipſe dies.
Vidimus ora. Sed & qui vidit forte viator
Obſtupuit vultus tactus honore tui.
Qualis, ait, facies! quanta hæc Virtutis imago eſt!
Quam placidæ ſpeciem ſignaque mentis habet!
Obſtitit interea grato tibi turba tumultu,
Quaque venis, gaudes vix reperire viam.
Sed quid ego? faciles toties qui provoco Muſas,
An ſileant Vatis garrula plectra tui?
Illa tuo primum quondam ſuſcepta favori,
Illa tamen laudes auſa ſonare tuas.

Tem-

Temporis at brevitas conatum prævenit omnem:
Vix tentare fides, vix ſociare datur.
Ergò cum nequeam docto Tibi ſtringere chordas
Pollice, fortuitis hæ ſtrepuêre ſonis.
Namque pio faciles tibi ſubſiliere tumultu;
Nec vocale manus ſollicitavit ebur.
Fortunata tui præſentia Numinis implet
Plectra fidesque meas pectoraque ipſa rapit.
Totus & ipſe Tibi Cimbrorum gloria Pindus
Subſilit, affines nec tacuere Deæ.
Noſtra quoque his Pietas ſed in ebria gaudia prona
Additur, & Domini ſternitur ante pedes,
Teque decus noſtrum famulâ modo voce ſalutat,
Et bona verba Tibi votaque mille ſonat.
Sed quas illa ferat Tibi deſes, egena ſalutes?
Scilicet ipſa venit Te veniente SALVS.

AD
CELSISSIMVM
ARAVSIONIS Principem,
GVILIELMVM HENRICVM,
In Angliam navigantem,
PROPEMPTICON.

ERgo ſedet Britonum, PRINCEPS, accedere terras?
Statque ſuum navis quæ vehat ales herum?
Solvitur, & velis properant ſe immergere Cauri,
Et ratis à patrio littore rapta fugit.
Conſpirant Belgæ ventis, oculisque ſequuntur,
Et votis implent turgida vela ſuis.
Impellent famuli prægnantia carbaſa venti,
Et feriet celeres utilis aura rates.

Et

Et pacata Tibi ſubmittet terga benignus,
Et placidas Nereus agglomerabit aquas,
Ille tuis Nereus juratus fœdera Belgis.
(Namque datæ nunquam non memor ille fidei:)
Qui toto ſtatuens tot caſtra natantia ponto,
AVRIACAS viſus ſæpe juvare manus.
Qui fœtis toto toties Oriente carinis
Securas pelagi conciliavit aquas,
Hanc ſalvam ducet malè fida per æquora puppim,
Nobilius multò quæ modò portat onus.
Miteſcet Tibi ver ſimulans Iovis horrifer annus,
Nec triſtes faciet ſcorpius ire dies.
Ipſe Tibi frontem clemens exporriget æther,
Sævaque nil in Te juris habebit hyems.
Æquora dediſcent rabiem, ventique rebelles
Ad nutus ponent ora ſuperba tuos.
Ipſe ego Pegaſeas Vates non degener alas,
Si dentur, velis apposuiſſe velim:
Hisque ego diſpoſitis propter tua carbaſa chartis
Exciperem flantes alliceremque notos,
Affines Britonum petat ut velocior oras,
Et patriis puppis reſtituatur agris.
Ergo Caledonias ſimul ac mordebit arenas
Anchora, quos plauſus terra Britanna feret?
Hæc ſibi ſignabit nativâ tempora cretâ,
Amplexusque volet tota replere tuos,
Dum magni memor illa Patris cognata propinat
Oſcula luminibus non ſatianda tuis.
Hæc mea ſunt, dicet, placidi ſignacula vultus:
Et Matri miſtum diſcet in ore Patrem.
Ipſe Pater Tameſis felicibus affluet undis,
Gentilique canet carmina grata lyrâ,

Gaviſusque ſenex dulci miſcebit odore
   Avriaci patriis aurea poma roſis.
Hinc triſtes & adhuc tinctos fuligine vultus
   Offeret è mediis urbs rediviva rogis,
Phœnicis modò quæ paulatim more reſurgit
   Splendidior, cineres ſic ſatis ultra ſuos.
Hinc quam Te cupidis arx regia ſuſcipit ulnis!
   Advena quam Carolo gratus & hoſpes ades!
Illa paterna placet, placet illa ſororia virtus.
   Utraque per vultus ſparſa, Gvilelme, tuos.
Aſſurgunt proceres: voces ferit aula benignas.
   Per patulas alto plebs ſonat ore vias:
Hic eſt Avriaco (digito nam monſtrat) ab ortu
   Sanguis: in his virtus floret avita genis.
Iſta Patres dulci pro libertate cadentes
   Ora tulere: ſuos hic quoque reddet Avos.
Hæc audita tibi, ſed diſſimulata, ſerenas
   Subjiciunt animis incutiuntque faces:
Quanquam his jam tenero dudum Tibi pectora fla-
   Ignibus,& Patriæ Te, Bone, tangit amor. (grant
Illa tuæ ſemper multò pars maxima curæ eſt.
   Jam quoque pro Batavis dicere multa potes.
Audiet has memorique recondet pectore voces,
   Nec monitis nullam Rex velit eſſe fidem:
Nec qui diviſi toto ſunt orbe Britanni,
   Diviſi Belgis amplius eſſe velint.
Tuque tuis abſens geris indiviſa Batavis
   Pectora: jam reditus ô memor eſto tui.
Jamdudum impatiens calidis Te Patria votis
   Et deſideriis irrequieta vocat.
Illa ſuis toties Te ſiſti amplexibus optat,
   Peneque jam reditum nondum abeuntis avet.

Ingra-

Ingratos ſine Te queritur ſe ducere ſoles,
Inviſaſque ſibi damnat anhela moras.
Ergo redi. Revocant venerandi jura Senatus,
Cujus pars (Livor rumpere) ſumma ſedes.
Fulci conſiliis, fulci virtutibus ævum:
Cumque opus eſt, patrius affer ad arma manus.
Non invita Tibi Batavus tum colla ſupinet,
Subjiciatque Duci terga premenda Leo.
Vivunt illa tuæ merita immortalia gentis,
Omnia quæ titulis vincere ſecla queant:
Illa foris totum diffundit fama per orbem,
Et civis grato prædicat ore domi.
Te quoque non ætas ventura minora patrantem
Viderit, ad geminos diſtribuenda polos.
Scilicet (ipſe nec hoc Livor neget) unica primùm
AVRIACO Belgis ſanguine parta Salus.
Quæ poterat faſces Virtus & ſceptra mereri
Impoſuit Patriæ pilea grata ſuæ.
Spirat in Hoc rediviva Parentum è funere Virtus,
Extollitque caput viribus aucta novis.
Judice Te, (nec enim es non juſta) BATAVIA, debet
Hoc primum Patriæ pilea ferre Caput.

IMMORTALI GLORIÆ
CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI,
DN. FERDINANDI
PADERBORNENSIS ET MONASTERIENSIS EPISCOPI &c.

JUnge novas capiti, Victrix Germania, laurus,
Et titulis populos æmula vince novis,

Tu quoque jam Phœbi propiore caleſcis ab aſtro,
Et nova Muſarum regna laresque vides.
Quæ de gente tuâ ſuſcepit prima colonas
Barbariem ponens Weſtphala terra Deas,
Nunc Helicona Tibi, FERNANDO, pronuba pandit
Principe ſub Vatum, Principe Vate, novum.
Martia Romulidum, Phœbeaque, cedite, laurus!
Plus, Jove digna, ſacri quercus honoris habet.
Heic quoque ſunt Sylvæ, plus quam Dodonâ, canoræ,
Invictumque ferunt celſa per aſtra caput.
Has quoque nunc Patrium videas tellure revulſas
Orphea, cum cecinit carmina, ſponte ſequi.
Hoc ipſi fontes ſonuere & rura Magiſtro
Tot monumenta, piâ nunc rediviva manu.
Scilicet auſa tuam, FERNANDE, laceſſere Gentem.
Quæ cladem ARMINIO vindice Roma tulit,
Illa tuis iterum, ſed doctis tunditur armis:
Stant per Te genti fixa trophæa tuæ.
Heic æterna Patrum, Te nunc Duce, gloria vivit,
Antiquum illa tuis artibus ulta nefas.
Fallor? an Auguſti mulcent tua carmina manes,
Ut cupiant doctæ vulnera ferre manus.
Aurea ab Auguſto Muſis Duce ſplenduit ætas,
Ferreaque hæc eadem Martis ad arma fuit.
Ferrea Saxonico ſuccumbit Roma Gradivo:
Aurea nunc Phœbo Saxone Roma redit.

AD

Illuſtriſſimum Dominum

DN. DETLOVIUM

Comitem de Ranzovv &c.

ob natum Filium FRIDERICVM.

ſcriptum alieno nomine.

DUm Tibi nunc ipſis ſoboles deducitur aſtris,
  Maſcula, nec titubat tam benè fulta domus,
Non abero tantis, COMES ILLVSTRISSIME, ſacris,
  Affinesque piâ nunc dabo mente preces.
Salve belle Puer, ſalve FRIDERICE, tuorum
  Grande decus, Patris gloria, Matris amor.
Creſce Puer, tecum Patris quoque gloria creſcet.
  Non æquare Patrem, non ſuperare time;
Nam vinci placet & grata eſt victoria victo,
  Quæque Tibi veniet gloria, Patris erit.
Fallimur, an ipſi tribuêre crepundia Divi,
  Et tibi prælargâ dona dedere manu?
Alcides clavam Tibi, Pallas præbuit haſtam,
  Latoides arcum, ſpicula blandus Amor.
Caſtalides lauros & docti munera fontis,
  Et pulchrum ad cunas concinuere melos.
His ego permiſtus thalamis mea vota beatis
  Ingero. Spes poteris vincere, vota nequis.
Tu nunc RANZOVIVM mittes ſuper æthera nomen,
  Et priſcos referes ore animoque Patres.
At Pater & Mater congreſſi hoc ſæpe duello
  Auguſtâ repetant nobile ſtirpe genus,
Unde ſuos Cimbri fructus & gaudia carpant,
  Poſteritasque ſibi nomina digna legat.

In
ILLVSTREM
TAM GENERIS QVAM LITERARVM SPLENDORE DOMINAM,
DOMINAM
HENRICAM CATHARINAM
LIB. BARONISSAM à FRISEN,
Cum legeret Carmina Germanica, quæ illa anno ætatis XVIII. magno ingenio & mirâ felicitate conſcripſerat.

DIvinos habuit quondam Germania Vates;
At nil humani tot modò monſtra ſonant:
Nam poſt æthereos pulſos de monte Poëtas,
Impurum fertur per juga ſacra pecus,
Ipſeque, Theſſalicus quondam qui paſtor Apollo,
Nunc mugire ſuos credit, ut ante, boves.
Hîc ululare lupos videas, latrare moloſſos,
Et grunnire ſues, & crepitare grues,
Hîc Bubo ferale canit, ſtridetque cicada,
Tinnulaque adducto gutture hirundo ſonat.
Plurimus argutos anſer mentitur olores,
Multa per Aonias rana coaxat aquas.
Docta ſilet philomela: movet ſed mimus inanes
Pſittacus indoctâ garrulitate logos.
Humano tamen ore ſonant hæc monſtra; Marones
Et tamen hos vulgus credit amatque ſuos.
Et tamen hæc ſacras oſtentant tempora frondes,
Chœrile, queis alapas, quas capis, ipſe dares.
Parca manus Vatum eſt, quos his obvertere larvis
Et ſtolido poſſis oppoſuiſſe gregi.

Tu

Tu magnum Pindo nomen facis, inque ruborem
Conjicis ignavos una Virago viros,
Ipſaque doctorum vincis præconia Vatum,
Quam Muſas inter ponat Apollo ſuas.
Ut legi, ut ſtupui tam dulcis flumina ſuadæ,
Quæque fluunt labiis limpida mella tuis!
Dictavit Charis ipſa Tibi, Tibi nectare crenam
Imbuit, & Veneres ſingula verba fovent.
Quam fœcunda Tibi complet facundia chartas!
Quos ſeclo fœtus Virgo virisque dabis!
Vidit, & illuſtris miratus plectra puellæ
Delius ad Muſas talia verba dedit:
Excutite impuris, Muſæ, mea ſerta Poëtis;
Sola ovet hæc lauru virgine Virgo meâ.
Interdicta vago ſit Caſtalis unda popello,
Quæ lutulenta illis; huic aqua Virgo fluat.
Scilicet illuſtris nitidè, puriſſima purè
Virgineum hos doceat ſcribere Virgo melos.

LIBER III.

Ad

Perilluſtrem ac Excellentiſſimum Dominum,

DOMINUM

JOHANNEM ADOLPHUM KIELMANNUM à KIELMANSECK,

PROSPHONEMA

in Natalem Ejus ſcriptum

Anno cIↄ Iↄc LXVII.

HActenus in varios Aganippe ſparſa canales
Diditur, & tenui ſurgit per gramina rivo:

Nunc toto mihi fonte tumet, fluctusque frequentes
Agglomerans, rapido volvit torrente Poëtam.
Nam neque jam faciles ad plectra imbellia myrtos
Sollicito, Cytheréa, tuas hederasque ſequaces.
Tu laurus mihi, Phœbe, dabis majora canenti,
Grandiſonumque aptabis ebur, dum magna celebro
Nomina KIELMANNI, pridem celebrata Camœnis
Omnibus, ac memori ſemper ducenda triumpho.
Jamque mihi video doctos aſſurgere colles
Eminus. hinc ſummo de Pindi vertice lapſus,
Et plaudens alis, repetensque hinnitibus auras,
Gorgoneus ſe ſiſtit equus, neque pondera Vatis
Dedignans, noſtras generoſior audit habenas.
Ipſe novenſilium ſacer advolat ordo Dearum,
Et propiore gradu ſubit, æthereique furoris
Inſtrumenta ferens, multo me Numine complet.
Indociles toties Phœbus qui vellicat aures,
Non clamatus adeſt, cunctantique improba vindex
Ingerit ingeminatque ſuo convitia Vati:
Quis tandem te torpor habet? quæ plectra retundit
Segnities? Memini, cum non ingrata ſonaret
Principibus nobisque chelys, laudata Camœnis,
Et noſtris audita jugis. Fluxere canenti
Aonii latices: nunc plectra ignava fatiſcunt.
Sunt calami tibi cura leves, argutaque ſiſtra
Increpuiſſe juvat, rebusque aptare minutis;
Seu Paphios celebras vates inglorius ignes,
Seu leſſus fundis, plebeiaque nomina laudes.
Jam majora ſubi votis audacibus orſa,
Et cane digna viris, heroaque plectra reſume.
Nomina ſunt cognata mihi, quæ noſtra merentur
Præmia. Nam nova quod Dux fecerit otia Muſis
Cim-

Cimbricus, æternos illi reddemus honores.
Altera KIELMANNO figatur & æmula laurus,
Quo noſtris tutore ſua eſt reverentia ſacris,
Priſcaque Majeſtas rediit! Tu quod pia nomen
Immortale, ingens, notum ſuper æthera nomen
Efferet, & memori quod Cimbria mente recondet,
Diffunde in ſeros, quanto decet ore, nepotes.
Ergo calens propiore Deo (nam ſentio) totus
In laudes, KIELMANNE, tuas, ſed laudibus impar,
Divino quamvis ruo pectora percitus œſtro.
Jamque ſibi totum rapuit vis enthea vatem,
Ut donet, KIELMANNE, Tibi, tuaque iſta ſerenâ
Attonitam virtus perſultat imagine mentem,
Ipſaque ſe loquitur, noſtræ non indiga vocis.
Nam ſuus hanc monſtrat fulgor. Quis lumina Solis
Pingeret? Ille ſuâ nunquam ſine luce videtur,
Seque ſuis pingit radiis: nos addimus umbram,
Illuſtrem ſplendore tui ſed luminis umbram.
Namque ego laude tuâ laudor, tua gloria ſpretâ
Tollet humo, ſecumque ferens ſuper æthera Vatem,
Sublimem oſtendet populis: neque demeret alas
Cynthius Icarias tua per veſtigia ducto,
Quâ petis aſtriferum famæ talaribus axem.
Auſpiciis fœcunda tuis facundia nobis
Semper erit, neque ſe ſterilem tenuemque queretur,
Ingenio ſublata tuo. Tu nomine ſolo
Vel longum mihi carmen eris. Quæ maxima rerum,
Nunquam major erit verbis, invitaque pro Te
In nobis longo virtus ſermone perorat.
Eſt locus, immenſis quâ clauditur orbita cœli
Orbibus, ac ultra Solis Lunæque labores
Aſtrorumque vias vaſtis diffunditur ingens,

Atque patet late ſpatiis: hîc una ſerenis
Solibus eſt ſinè nocte dies, molleſque jocantur
Per campos Zephyri: nullis hîc jura procellis.
Hîc regnat ſecura quies,& flore perenni
Perpetuum Ver veſtit agros: non humida ſiccis,
Frigida non pugnant calidis, injuſſaque fruges
Terra dat, & ſemper ſimilis ſibi parturit annus.
Has habitat Natura domos; ſedet illa virenti
Sublimis ſolio, pulchro cui vere coruſcat
Frons roſeæque genæ; quam maſculus omni
Ore color, plenisque vigor laudabilis annis,
Blandaque magnanimi commendat gratia vultus.
Tempora velarunt frondes, turgentia fonte
Ubera inexhauſto latices jaculantur amicos,
Quos Tellus bibit, & vitalibus ebria ſuccis
Exſudat redditque ſibi: queis paſcitur æther,
Solanturque ſuas languentia ſidera flammas.
Mille operum ſpecies exercent, mille fatigant
Auſa Deam. Nam vel variarum ſemina rerum
In varias verſat facies, & Dædala fingit,
Materiemve jubet veteres dediſcere formas.
Elicit illa ſolo frutices & cortice munit,
Ac ornat foliis, foliorumque auget honores
Fructibus. Illa ſuis inſpirat munera vitæ
Corporibus, pecudumque parens genus omne propagat.
Illa Hominum fingit divino pollice vultus,
Diſtinguitque notis,& adactis omnia nervis
Tendit membra ſuis, compingitque oſſibus oſſa.
Arguit ingenium facies diverſa, nec unum
Omnibus. his puro ſaturantur ſanguine venæ,
Non triſtes pariturae animos: hunc ignea bilis

In Martem ſtimulat: flammas huic lentior humor
Exſtinguit tepido: terreſtribus ebria fumis
Mens aliis titubat, vel opacis ſordibus horret.
Sed tamen ante alios Heroum maxima tangit
Cura Deam. Nam qui rebus naſcuntur agendis,
Qui populis leges ponunt & jura Magiſtri,
Regales animi, genus alto â ſanguine Divûm,
Eque ſuo traxere polo, ſtatque omnis in illis
Terrarum fortuna, bonique reſultat imago
Imperiis. Sed nec totam ſe Regibus illa
Indulſiſſe velit, neque ſidere damnet iniquo
Stirpe ſatos humili. Sæpe infelicia magnos
Aſtra ſalutavere Duces, animusque receſsit
Regibus, & fatis hi ſuccubuere malignis.
Sæpius obſcuris ſeſe natalibus abdit
Regia mens, rerum cui ſi permittat habenas,
Non habeat fortuna pares. Hi ſceptra coronant,
Hos Ducibusque Duces, hos Reges Regibus addit;
Cuſtodes Patriæ genios, Patrumque Parentes,
Illis æthereos per pectora dividit ignes,
Arcanosque animos, penetrantesque omnia ſenſus,
Senſibus infundit lucem, quæ nubila rerum
Diſſipet, & certo per cœca pericula calle
Ducat, fulmineoque exhauriat impete curas.
Adſtat & Uranie in partes adſumpta laborum,
Aſtraque diſpenſat genitis. Hos ſanctior afflat
Aura Jovis; ſed & hæc radiis luctatur iniquis
Falcigeri & nebulas ſibi circumfundit honeſtas.
Aſperat his Mavors animos, cui blandior ignes
Diva Paphi (Fabro licet indignante) maritat:
Hinc alios dubio Cyllenius inficit aſtro,
Verſutosque facit; varios mutabile Phœbes
Lumen, & eximios Phœbus largitur honores.

Hæ

Hæ Te Magne manus nobis KIELMANNE parârunt;
Hæc Patriæ finxere tuæ & præſentia Cimbris
Fata ſuis: procul hinc ſors inconſulta faceſſat.
Muneris hoc, ô Diva, tui eſt, quæ pectus honeſtum
Exſtruis, anguſtam mirabilis hoſpitis aulam
Conſiliique domum firmo quæ robore magnos
Fulciat ampla Duces. Venis proſcribitur udum
Frigus, vivaces animant præcordia flammæ.
Arridet nato frontemque exporrigit æther
Et Charis ipſa ſuo: magnorum arçana Deorum,
Fatorumque vices, tantarum conſcia rerum
Prodidit Uranie, & ſummos prædixit honores,
Nec vanus tabulis legit cœleſtibus augur.
Tempus erat, quo lux brevior decedere nocti
Incipit, averſum caudâ cum vulnerat annum
Scorpius, & decimo jam lux bis ſeptima menſi
Fluxerat: evectis ſtabat pulcherrimus ordo
Sideribus, Cœlique fores aurora recluſit,
Inſolitos aſtro veluti ductura triumphos:
Hîc primùm portâ Phœbus tibi miſſus Eoâ,
Vitam aperit, vitæ pater omnis origoque puræ
Lucis, honoratos properans Tibi promere vultus.
Sic Cimbris cum Sole tuis, novaque ipſe daturus
Aſtra, oreris, KIELMANNE, tuorum teſte laborum,
Et regale tibi ſidus regalia format
Pectora, & auguſto blandos in corpore mores.
Fallor? an ipſe ſuos è Te præſenſit honores,
Eque tuis nova nata ſibi cunabula cunis
Phœbus, & affini jam tum Tibi ſidere plauſit.
Jamque etiam ille Jovem ſibi fœdere jungit amico,
Jungat ut ille Tibi: ſummo ſublimis honorum

Hîc

Hîc ſedet in ſolio, & toto proſpectat olympo,
Quâ Themis auguſtâ placide ſuſceperat aulâ,
Felicesque Tibi clementior explicat ignes.
Hic recti ſtudium legumque inſpirat amorem,
Et populis dare jura jubet, populique Magiſtros
Conſiliis munire bonis: hic fulmine Suadæ
Mores armavit placidos. Sic cum Jove Phœbus
Regna tenet diviſa Tibi, ſed uterque benignus
Dux conjuratis fortunæ militat armis.
Olli contiguum ſervat Venus aurea templum,
Et roſeo pia fronte nitet, lætosque parenti
Affundens radios multo Jove fœta remittit
Lumina & innocuis nati perlabitur ora
Ignibus. Illa tuos aliis commendat amores,
Atque tuis alios & vincla tenacia firmâ
Nectit amicitiâ. Jamque illa novos hymeneos,
Inque ſuis oritura ſibi nova gaudia Cimbris,
Te ſuaſore, videt, feſtis celebranda per Arcton
Vocibus, & junctos geniali fœdere Reges.
Naſcere, Fortunate Puer, cui mitibus æther
Affulget flammis ſtudiumque operoſa probarunt
Fata ſuum: toto plaudit Natura theatro,
Ipſaque blanditur Fortuna, facesque malignas
Scævaque ſecuris intercipit omina cunis,
Nil cupiens licuiſſe ſibi. Submittere falcem
Nil peccans parat ipſe Senex, noſtroque benignis
Æthere caſurus Mavors proſcribitur aſtris.
Auguriis quam plena tuis, quot turgida votis
Florebit Spes alta! pios quæ cura parentes
De fatis ſecura tenet! quanquam illa futuras
Proſpiciat non certa vias arcanaque Divûm;
Multa tamen toties animis totiesque recurſant

Vix ſorti ſperanda ſuæ. Jam Cimbria rebus
Præſenſit nova ſecla ſuis, terrâque cadentem
Excepit fovitque ſinu, ter baſia figens,
Ter dulce arridens: novus hic mihi naſcitur infans,
Dixit, & iſta meis florebit gloria Cimbris.
Hic rebus ſpes firma meis, legumque Ducumque
Et decus & moderator erit: neque ſecla tulerunt
Priſca parem, niſi forte parem ventura videbunt.
Dixerat illa, ſoloque caput turrita recondit,
Utque locuta fuit, gravibus nutantia ramis
Saltarunt nemora, & reddi ſibi frondis honores,
Quos raptos doluere, velint, quos ſpargere cunis
Poſſent læta tuis: vellet Tibi plurima quercus
Nunc in civiles decreſcere grata corollas.
Fallor? an & gemino Tibi plauſerit æquore Nereus,
Quæque arat atque facit Marſus ſibi littora nomen
Clamarunt gaviſa tuum; Tibi pinguibus undis
Eidora turgeſcit; ſonuit Tibi Slia, tuumque
Faſſa patrocinium movit Gottorpia culmen.
Hæc Patriæ ſunt vota tuæ. Jam magna ſequuntur
Numina. Stat ſacri Pallas propago cerebri,
Non armata tamen, non ægide tecta, nec hoſti
Quæ metuenda foret: poſitâ ſed caſſide qualis
Manſueſcit miti, quam nunc prætendit, olivâ,
Cum Muſis ſtat juncta ſuis. Huic clauſerat unum
Pax Germana latus, cui palma ſororia dextram
Non gravat, at lævam fœcundo copia cornu
Implet, quâ noſtris facie ſe ſiſtere Muſis
Juſſa velit. Pallas illi virtutis amorem
Ingerit, indubiique animo veſtigia veri
Ducit, & errorum nubes abſtergit opacas.
Hæc ſecum pugnare vetat, ſenſusque rebelles
Prima

Prima domat, ne res turbet ratione gerendas,
Obturbetque alios, aut commoda publica rumpat.
Non illis aberat Prudentia: lumina centum
Invigilant, ſpeculoque objecta reſultat imago.
Majeſtas in fronte ſedet: non oblita fuco
Ora levi pictæque genæ, ſed vividus omni
Parte decor, totoque elucet gratia vultu.
Heic, dum felici diſpenſat ſecula fuſo,
Læta Tibi Lacheſis (Dea nam præſaga futuri eſt)
Ad leviter motas fudiſſe oracula cunas
Dicitur, & tali plaudens Tibi voce locuta:
O ſalve Cimbris pignus memorabile terris!
Salve noſter Amor! namque usque vocabere Noſter,
Et magnum mihi nomen eris. Tibi numine pleno
Tota vacans ſeclis immittam exempla futuris
Spectanda & Patriæ, & totum memoranda per orbem,
Te majora etiam (dentur vel regna) daturo.
Nil Tibi plebeji magno ſub pectore ſerpit
Sanguinis, incuſſam divinâ Mænade mentem
Mox ad ſumma feres, & prævenientia votum
Fata viam invenient, quâ te ſubducere vulgo,
Et Diis miſceri ferrique per æthera posſis.
Te ſibi diripient Reges, & Cimbricus olim
Jura ſuis reddet Te Princeps Præſide Terris,
Conſiliisque tuis illi reverentia creſcet
Altius, & magnis ſe proferet æmula ſceptris.
Dixerat, ac, illi quæ ſtabat proxima, dictis
Subſcripſit veneranda Themis, lancesque verendas
Submiſit, gladiumque. Suis Tibi dulcia figit
Oſcula Suada labris, ac omni pectus Hymetto
Imbuit, & jam vagitus audire diſertos
Viſa ſibi, adſtrictæ jam laxat vincula linguæ,
Quæ ſibi non ſurdas olim devinciat aures. Vix

In
ILLVSTREM
TAM GENERIS QVAM LITERARVM SPLENDORE DOMINAM,
DOMINAM
HENRICAM CATHARINAM
LIB. BARONISSAM à FRISEN,
Cum legeret Carmina Germanica, quæ illa anno ætatis XVIII. magno ingenio & mirâ felicitate conſcripſerat.

DIvinos habuit quondam Germania *Vates*;
At nil humani tot modò monſtra ſonant:
Nam poſt æthereos pulſos de monte Poëtas,
Impurum fertur per juga ſacra pecus,
Ipſeque, Theſſalicus quondam qui paſtor Apollo,
Nunc mugire ſuos credit, ut ante, boves.
Hîc ululare lupos videas, latrare moloſſos,
Et grunnire ſues, & crepitare grues,
Hîc Bubo ferale canit, ſtridetque cicada,
Tinnulaque adducto gutture hirundo ſonat.
Plurimus argutos anſer mentitur olores,
Multa per Aonias rana coaxat aquas.
Docta ſilet philomela: movet ſed mimus inanes
Pſittacus indoctâ garrulitate logos.
Humano tamen ore ſonant hæc monſtra; Marones
Et tamen hos vulgus credit amatque ſuos.
Et tamen hæc ſacras oſtentant tempora frondes,
Choerile, queis alapas, quas capis, ipſe dares.
Parca manus Vatum eſt, quos his obvertere larvis
Et ſtolido poſſis oppoſuiſſe gregi.

Tu

Tu magnum Pindo nomen facis, inque ruborem
Conjicis ignavos una Virago viros,
Ipſaque doctorum vincis præconia Vatum,
Quam Muſas inter ponat Apollo ſuas.
Ut legi, ut ſtupui tam dulcis flumina ſuadæ,
Quæque fluunt labiis limpida mella tuis!
Dictavit Charis ipſa Tibi, Tibi nectare crenam
Imbuit, & Veneres ſingula verba fovent.
Quam fœcunda Tibi complet facundia chartas!
Quos ſeclo fœtus Virgo virisque dabis!
Vidit, & illuſtris miratus plectra puellæ
Delius ad Muſas talia verba dedit:
Excutite impuris, Muſæ, mea ſerta Poëtis:
Sola ovet hæc lauru virgine Virgo meâ.
Interdicta vago ſit Caſtalis unda popello,
Quæ lutulenta illis; huic aqua Virgo fluat.
Scilicet illuſtris nitidè, puriſſima purè
Virgineum hos doceat ſcribere Virgo melos.

LIBER III.

Ad

Perilluſtrem ac Excellentiſſimum Dominum,

DOMINUM

JOHANNEM ADOLPHUM KIELMANNUM à KIELMANSECK,

PROSPHONEMA

in Natalem Ejus ſcriptum

Anno cIↄ Iↄc LXVII.

HActenus in varios Aganippe ſparſa canales
Diditur, & tenui ſurgit per gramina rivo:

Nunc toto mihi fonte tumet, fluctusque frequentes
Agglomerans, rapido volvit torrente Poëtam.
Nam neque jam faciles ad plectra imbellia myrtos
Sollicito, Cytheréa, tuas hederasque ſequaces.
Tu laurus mihi, Phœbe, dabis majora canenti,
Grandiſonumque aptabis ebur, dum magna celebro
Nomina KIELMANNI, pridem celebrata Camœnis
Omnibus, ac memori ſemper ducenda triumpho.
Jamque mihi video doctos aſſurgere colles
Eminus. hinc ſummo de Pindi vertice lapſus,
Et plaudens alis, repetensque hinnitibus auras,
Gorgoneus ſe ſiſtit equus, neque pondera Vatis
Dedignans, noſtras generoſior audit habenas.
Ipſe novenſilium ſacer advolat ordo Dearum,
Et propiore gradu ſubit, æthereique furoris
Inſtrumenta ferens, multo me Numine complet.
Indociles toties Phœbus qui vellicat aures,
Non clamatus adeſt, cunctantique improba vindex
Ingerit ingeminatque ſuo convitia Vati:
Quis tandem te torpor habet? quæ plectra retundit
Segnities? Memini, cum non ingrata ſonaret
Principibus nobisque chelys, laudata Camœnis,
Et noſtris audita jugis. Fluxere canenti
Aonii latices: nunc plectra ignava fatiſcunt.
Sunt calami tibi cura leves, argutaque ſiſtra
Increpuiſſe juvat, rebusque aptare minutis;
Seu Paphios celebras vates inglorius ignes,
Seu leſſus fundis, plebeiaque nomina laudes.
Jam majora ſubi votis audacibus orſa,
Et cane digna viris, heroaque plectra reſume.
Nomina ſunt cognata mihi, quæ noſtra merentur
Præmia. Nam nova quod Dux fecerit otia Muſis
Cim-

Cimbricus, æternos illi reddemus honores.
Altera KIELMANNO figatur & æmula laurus,
Quo noſtris tutore ſua eſt reverentia ſacris,
Priſcaque Majeſtas rediit! Tu quod pia nomen
Immortale, ingens, notum ſuper æthera nomen
Efferet, & memori quod Cimbria mente recondet,
Diffunde in ſeros, quanto decet ore, nepotes.

Ergo calens propiore Deo (nam ſentio) totus
In laudes, KIELMANNE, tuas, ſed laudibus impar,
Divino quamvis ruo pectora percitus œſtro.
Jamque ſibi totum rapuit vis enthea vatem,
Ut donet, KIELMANNE, Tibi, tuaque iſta ſerenâ
Attonitam virtus perſultat imagine mentem,
Ipſaque ſe loquitur, noſtræ non indiga vocis.
Nam ſuus hanc monſtrat fulgor. Quis lumina Solis
Pingeret? Ille ſuâ nunquam ſine luce videtur,
Seque ſuis pingit radiis: nos addimus umbram,
Illuſtrem ſplendore tui ſed luminis umbram.
Namque ego laude tuâ laudor, tua gloria ſpretâ
Tollet humo, ſecumque ferens ſuper æthera Vatem,
Sublimem oſtendet populis: neque demetet alas
Cynthius Icarias tua per veſtigia ducto,
Quâ petis aſtriferum famæ talaribus axem.
Auſpiciis fœcunda tuis facundia nobis
Semper erit, neque ſe ſterilem tenuemque queretur,
Ingenio ſublata tuo. Tu nomine ſolo
Vel longum mihi carmen eris. Quæ maxima rerum,
Nunquam major erit verbis, invitaque pro Te
In nobis longo virtus ſermone perorat.

Eſt locus, immenſis quâ clauditur orbita cœli
Orbibus, ac ultra Solis Lunæque labores
Aſtrorumque vias vaſtis diffunditur ingens,

Atque patet late ſpatiis: hîc una ſerenis
Solibus eſt ſine nocte dies, mollesque jocantur
Per campos Zephyri: nullis hîc jura procellis.
Hîc regnat ſecura quies,& flore perenni
Perpetuum Ver veſtit agros: non humida ſiccis,
Frigida non pugnant calidis, injuſſaque fruges
Terra dat, & ſemper ſimilis ſibi parturit annus.
Has habitat Natura domos; ſedet illa virenti
Sublimis ſolio, pulchro cui vere coruſcat
Frons roſeæque genæ; quam maſculus omni
Ore color, plenisque vigor laudabilis annis,
Blandaque magnanimi commendat gratia vultus.
Tempora velarunt frondes, turgentia fonte
Ubera inexhauſto latices jaculantur amicos,
Quos Tellus bibit, & vitalibus ebria ſuccis
Exſudat redditque ſibi: queis paſcitur æther,
Solanturque ſuas languentia ſidera flammas.
Mille operum ſpecies exercent, mille fatigant
Auſa Deam. Nam vel variarum ſemina rerum
In varias verſat facies, & Dædala fingit,
Materiemve jubet veteres dediſcere formas.
Elicit illa ſolo frutices & cortice munit,
Ac ornat foliis, foliorumque auget honores
Fructibus. Illa ſuis inſpirat munera vitæ
Corporibus, pecudumque parens genus omne propagat.
Illa Hominum fingit divino pollice vultus,
Diſtinguitque notis,& adactis omnia nervis
Tendit membra ſuis, compingitque oſſibus oſſa.
Arguit ingenium facies diverſa, nec unum
Omnibus. his puro ſaturantur ſanguine venæ,
Non triſtes pituræ animos; hunc ignea bilis

In

In Martem ſtimulat: flammas huic lentior humor
Exſtinguit tepido: terreſtribus ebria fumis
Mens aliis titubat, vel opacis ſordibus horret.
Sed tamen ante alios Heroum maxima tangit
Cura Deam. Nam qui rebus naſcuntur agendis,
Qui populis leges ponunt & jura Magiſtri,
Regales animi, genus alto â ſanguine Divûm,
Eque ſuo traxere polo, ſtatque omnis in illis
Terrarum fortuna, bonique reſultat imago
Imperiis. Sed nec totam ſe Regibus illa
Indulſiſſe velit, neque ſidere damnet iniquo
Stirpe ſatos humili. Sæpe infelicia magnos
Aſtra ſalutavere Duces, animusque receſſit
Regibus, & fatis hi ſuccubuere malignis.
Sæpius obſcuris ſeſe natalibus abdit
Regia mens, rerum cui ſi permittat habenas,
Non habeat fortuna pares. Hi ſceptra coronant,
Hos Ducibusque Duces, hos Reges Regibus addit;
Cuſtodes Patriæ genios, Patrumque Parentes,
Illis æthereos per pectora dividit ignes,
Arcanosque animos, penetrantesque omnia ſenſus,
Senſibus infundit lucem, quæ nubila rerum
Diſſipet, & certo per cœca pericula calle
Ducat, fulmineoque exhauriat impete curas.
Adſtat & Uranie in partes adſumpta laborum,
Aſtraque diſpenſat genitis. Hos ſanctior afflat
Aura Jovis; ſed & hæc radiis luctatur iniquis
Falcigeri & nebulas ſibi circumfundit honeſtas.
Aſperat his Mavors animos, cui blandior ignes
Diva Paphi (Fabro licet indignante) maritat;
Hinc alios dubio Cyllenius inficit aſtro,
Verſutosque facit; varios mutabile Phœbes
Lumen, & eximios Phœbus largitur honores.

Hæ Te Magne manus nobis KIELMANNE pa-
rarunt;
Hæc Patriæ finxere tuæ & præſentia Cimbris
Fata ſuis: procul hinc ſors inconſulta faceſſat.
Muneris hoc, ô Diva, tui eſt, quæ pectus honeſtum
Exſtruis, anguſtam mirabilis hoſpitis aulam
Conſiliique domum firmo quæ robore magnos
Fulciat ampla Duces. Venis proſcribitur udum
Frigus, vivaces animant præcordia flammæ.
Arridet nato frontemque exporrigit æther
Et Charis ipſa ſuo: magnorum arçana Deorum,
Fatorumque vices, tantarum conſcia rerum
Prodidit Uranie, & ſummos prædixit honores,
Nec vanus tabulis legit cœleſtibus augur.
Tempus erat, quo lux brevior decedere nocti
Incipit, averſum caudâ cum vulnerat annum
Scorpius, & decimo jam lux bis ſeptima menſi
Fluxerat: evectis ſtabat pulcherrimus ordo
Sideribus, Cœlique fores aurora recluſit,
Inſolitos aſtro veluti ductura triumphos:
Hîc primùm portâ Phœbus tibi miſſus Eoâ,
Vitam aperit, vitæ pater omnis origoque puræ
Lucis, honoratos properans Tibi promere vultus.
Sic Cimbris cum Sole tuis, novaque ipſe daturus
Aſtra, oreris, KIELMANNE, tuorum teſte laborum,
Et regale tibi ſidus regalia format
Pectora, & auguſto blandos in corpore mores.
Fallor? an ipſe ſuos è Te præſenſit honores,
Eque tuis nova nata ſibi cunabula cunis
Phœbus, & affini jam tum Tibi ſidere plauſit.
Jamque etiam ille Jovem ſibi fœdere jungit amico,
Jungat ut ille Tibi: ſummo ſublimis honorum

Hîc

Hîc ſedet in ſolio, & toto proſpectat olympo,
Quâ Themis auguſtâ placide ſuſceperat aulâ,
Felicesque Tibi clementior explicat ignes.
Hic recti ſtudium legumque inſpirat amorem,
Et populis dare jura jubet, populique Magiſtros
Conſiliis munire bonis: hic fulmine Suadæ
Mores armavit placidos. Sic cum Jove Phœbus
Regna tenet diviſa Tibi, ſed uterque benignus
Dux conjuratis fortunæ militat armis.
Olli contiguum ſervat Venus aurea templum,
Et roſeo pia fronte nitet, lætosque parenti
Affundens radios multo Jove fœta remittit
Lumina & innocuis nati perlabitur ora
Ignibus. Illa tuos aliis commendat amores,
Atque tuis alios & vincla tenacia firmâ
Nectit amicitiâ. Jamque illa novos hymeneos,
Inque ſuis oritura ſibi nova gaudia Cimbris,
Te ſuaſore, videt, feſtis celebranda per Arcton
Vocibus, & junctos geniali fœdere Reges.
Naſcere, Fortunate Puer, cui mitibus æther
Affulget flammis ſtudiumque operoſa probarunt
Fata ſuum: toto plaudit Natura theatro,
Ipſaque blanditur Fortuna, facesque malignas
Scævaque ſecuris intercipit omina cunis,
Nil cupiens licuiſſe ſibi. Submittere falcem
Nil peccans parat ipſe Senex, noſtroque benignis
Æthere caſurus Mavors proſcribitur aſtris.
Auguriis quam plena tuis, quot turgida votis
Florebit Spes alta! pios quæ cura parentes
De fatis ſecura tenet! quanquam illa futuras
Proſpiciat non certa vias arcanaque Divûm;
Multa tamen toties animis totiesque recurſant

Vix

Vix ſorti ſperanda ſuæ. Jam Cimbria rebus
Præſenſit nova ſecla ſuis, terrâque cadentem
Excepit fovitque ſinu, ter baſia figens,
Ter dulce arridens: novus hic mihi naſcitur infans,
Dixit, & iſta meis florebit gloria Cimbris.
Hic rebus ſpes firma meis, legumque Ducumque
Et decus & moderator erit: neque ſecla tulerunt
Priſca parem, niſi forte parem ventura videbunt.
Dixerat illa, ſoloque caput turrita recondit,
Utque locuta fuit, gravibus nutantia ramis
Saltarunt nemora, & reddi ſibi frondis honores,
Quos raptos doluere, velint, quos ſpargere cunis
Poſſent læta tuis: vellet Tibi plurima quercus
Nunc in civiles decreſcere grata corollas.
Fallor? an & gemino Tibi plauſerit æquore Nereus,
Quæque arat atque facit Marſus ſibi littora nomen
Clamarunt gaviſa tuum; Tibi pinguibus undis
Eidora turgeſcit; ſonuit Tibi Slia, tuumque
Faſſa patrocinium movit Gottorpia culmen.
Hæc Patriæ ſunt vota tuæ. Jam magna ſequuntur
Numina. Stat ſacri Pallas propago cerebri,
Non armata tamen, non ægide tecta, nec hoſti
Quæ metuenda foret: poſitâ ſed caſſide qualis
Manſueſcit miti, quam nunc prætendit, olivâ,
Cum Muſis ſtat juncta ſuis. Huic clauſerat unum
Pax Germana latus, cui palma ſororia dextram
Non gravat, at lævam fœcundo copia cornu
Implet, quâ noſtris facie ſe ſiſtere Muſis
Juſſa velit. Pallas illi virtutis amorem
Ingerit, indubiique animo veſtigia veri
Ducit, & errorum nubes abſtergit opacas.
Hæc ſecum pugnare vetat, ſenſuſque rebelles

Prima domat, ne res turbet ratione gerendas,
Obturbetque alios, aut commoda publica rumpat.
Non illis aberat Prudentia: lumina centum
Invigilant, ſpeculoque objecta reſultat imago.
Majeſtas in fronte ſedet: non oblita fuco
Ora levi pictæque genæ, ſed vividus omni
Parte decor, totoque elucet gratia vultu.
Heic, dum felici diſpenſat ſecula fuſo,
Læta Tibi Lacheſis (Dea nam præſaga futuri eſt)
Ad leviter motas fudiſſe oracula cunas
Dicitur, & tali plaudens Tibi voce locuta:
O ſalve Cimbris pignus memorabile terris!
Salve noſter Amor! namque usque vocabere Noſter,
Et magnum mihi nomen eris. Tibi numine pleno
Tota vacans ſeclis immittam exempla futuris
Spectanda & Patriæ, & totum memoranda per orbem,
Te majora etiam (dentur vel regna) daturo.
Nil Tibi plebeji magno ſub pectore ſerpit
Sanguinis, incuſſam divinâ Mænade mentem
Mox ad ſumma feres, & prævenientia votum
Fata viam invenient, quâ te ſubducere vulgo,
Et Diis miſceri ferrique per æthera poſſis.
Te ſibi diripient Reges, & Cimbricus olim
Jura ſuis reddet Te Princeps Præſide Terris,
Conſiliisque tuis illi reverentia creſcet
Altius, & magnis ſe proferet æmula ſceptris.
Dixerat, ac, illi quæ ſtabat proxima, dictis
Subſcripſit veneranda Themis, lanceſque verendas
Submiſit, gladiumque. Suis Tibi dulcia figit
Oſcula Suada labris, ac omni pectus Hymetto
Imbuit, & jam vagitus audire diſertos
Viſa ſibi, adſtrictæ jam laxat vincula linguæ,
Quæ ſibi non ſurdas olim devinciat aures.

Vix bene prima rudes ætas conſumpſerat annos,
Et patuit vis celſa genî, vis dia, datamque
Servavere fidem Superi. deprenſa notamus
Fata, nec obſcurâ ſeſe ſub nube tenebat
Illa dies animi & vitæ puriſſimus ignis.
Se ſubit ille Ducem, & veſtigia ducta frequentat
Præcipiens præcepta puer. Non otia fracto
Enervant vires animo: neque maſcula virtus
Liquitur in luxum, imbelli tentata veneno.
Primum Thymbræus puero tibi riſit Apollo
Theſpiadumque Chorus: quarum perculſus amore,
Lætus adis ſacra, & colles admiſſus in ipſos
Advena gratus ades: (nam non ignota Dearum
Venturum ſibi Te deſignavere Patronum
Omina) divinos fundit Tibi largior imbres
Pegaſus, & Clariis luſtravit Cynthius undis.
Hinc ſtimuli creſcunt: Tibi ſe facundia primùm
Explicat, illa ſitu nihil incruſtata vetuſto,
Nil rugis ſcabra, aut pictis fœdata venenis;
Sed comi ſpecie, ſed formâ ſimplice ſplendens,
Sed pulchrâ late quæ majeſtate triumphet.
Mille volant circum decora, & mille agmina laudum,
Fama loquax, pictisque nitens Victoria pennis.
Illa docet lectas aptè ſibi jungere voces,
Ne vitium carioſa trahat, nervisque ſolutis
Nutet, & elumbis titubet pede dictio manco.
Hinc, triplices fandi formas Tibi ſedula monſtrat,
Implumis quæ ſerpat humi, quæ nube ſub ipsâ
Fulguret, expanſisque elata Oratio pennis
Cum Jove tela vibret, denſis immiſta procellis;
Quæ media & voces non ambitioſa modeſtas
Admiſſa gravitate premat, ne laxior illam
Ventorum ferat aura levem ſine pondere prædam.

Hos

Hos ſtatuis, certosque caves confundere fines
Eloquii; & rebus bene circumponis agendis.
Non una eſt ſcenæ ſpecies. Inſerviet illi,
Qui prudens Orator erit. Jam diſcis in umbra,
Quæ tetrico dicenda foro, quæ mollior aula
Byſſina verba petat, nullo mordacia dente;
Queis doctus phalerata coloribus ungat Apelles,
In furias quis fervor agat, quas pectore voces
Hauriat arcanus dicens ſuadenda Senator.
Hæc recoquis præcepta, per hæc tentamina ductus
Jam magnum Tibi ſternis iter, fictâque palæſtrâ
Parnaſſo Regum cauſas plaudente peroras.
Non ſecus Elæis abit in certamina campis
Alter Tyndaridum, quondam ſpectata Therapnis:
Oebalio ſeu cedentem premat aëra diſco;
Seu Dictæ certet jaculo, ſeu curſibus auras
Vincat eques; ſolus cunctas abducere palmas
Gaudet ovans, ſolumque parem ſibi Caſtora novit.
Hinc rerum immiſſus latebris, per ſingula mentis
Præcipitas radios, & pulchri ſemina veri,
Per vaſtos diſperſa libros, ſeponis ad uſus
Expendisque tuos. Neque enim Tibi tempora cauto
Nugaces rapuere logi tricæque Sophorum.
Non Te ſpinoſis armata ſophiſtica gerris
Implicuit, non Te farragine tinxit opacâ.
Degeneres hæc cura coquit: ſed honeſta laboris
Utilitas menſura tui eſt, qui vivere ſeclo
Expetis & Patriæ, cui tot conſumere noctes,
Tot jugulare dies jam tum, KIELMANNE, ſolebas.
Quà patet Orbis, abis; pandit ſua ſecula Mundus,
Quem Tu, quantus erat, complexus mente capaci
Perſpicis. Hic variâ ſe plurimus hiſtrio ſcenâ

Exhibet, ac eadem repetito fabula ludo
Diſcitur, & vario ſtrepuere theatra cothurno.
Tu Janus ſpectator ades, vultuque bifronti
Priſca, futura notas, trutina penſata fideli.
Nil fugit hanc aciem. Dudum Tibi lapſa recurrunt
Secula, cumque ſuis rediviva negotia ſeclis.
Graja Tibi pariterque patet Romana vetuſtas,
Totque exempla Virûm famæ cantata triumphis,
Ac omni diffuſa die. Tua cura ſepultos
Arcanis longo revocat de funere Manes
Artibus, ac omnes rimatur mente receſſus,
Et veteres docto libros eviſcerat ungue.
Te pretium hi cenſore ferunt: Tu redderis illis
Doctior, & magnum pariunt tot nomina nomen
Virtuti monſtrata tuæ: quanquam ignibus illa
Paſcitur ingenitis, ſociæ non indiga lucis.
Stant ante ora Viri, quotquot per funera fortes
Projecere animas, quos libertatis avitæ
Urſit amor gravibus colla excusſiſſe tyrannis,
Qui frenis populum primùm adſtrinxere volentem
Invitumque novis. Totus Tibi panditur ordo
Regnorum, variæque vices; quo ſemine ſurgat,
Et queis langueſcens pereat Reſpublica morbis:
Seu ſua fata vocent, quæ per tot ſecla perennem
Fortunam tranſire jubent: ſeu quæ æthere longas
Duxit Olympiadas, jam deſtituentibus aſtris,
Occidat. Inſanâ videas vertigine volvi
Omnia, disjectos populos, nutantia ſceptra,
Conculcata novis: rapuit diademata Medus
Aſſyriis, Medis Perſæ, Perſisque Macedo.
Sedibus excusſit Romana potentia Pœnos,
Hancque furor docuit dediſcere Gothicus, orbis
Eſſe

Eſſe caput. Diſcis, quæ vis effeminet Auſtrum,
Unde mares animos felix Septentrio gignat.
Qui rigidas, ſegnes quinam indignentur habenas,
Qui leges ſine lege colant: quæ commoda jungant
Disjungantque ſuas fatalia jurgia gentes.
Jamque Tibi veteri virtutis imagine ſplendet
Roma ingens meritis, Terrarum maxima Roma.
Hæc Schola magna Tibi eſt, regnandique una figuras
Urbs æterna docet, cupidus quas hauriat orbis,
Inculcentque novi ſemper diſcantque Quirites.
Illa legis repetisque domi, cauſasque malorum
Et rerum momenta notas, vitiisque ſub ipſis
Eruis, illuſtris quo ſe prudentia firmet.
Sic quando ad pictæ convivia dulcia Floræ
Dædala fertur apis, tota hæc complexa pererrat
Camporum ſpatia, & pratorum invadit honores,
Cecropium ſeu illa thymum, ſeu candida circum
Lilia fundatur, canique nivoſa liguſtri
Vellera, felices late ſudantis Olympi
Exſugit lacrymas, divinoque ebria rore
Vertit iter, nihil hellebori nigrantis odores,
Ferales tactu nihil averſata cicutas.
Sic vigili ſemper ſtudio vaſtoque labore,
Antiquum exhauris, illi notisſimus, ævum,
Hasque inter juvenis viſus caneſcere curas,
Hinc Te noſtra vocat, quem priſtina tinxerat, ætas,
Ætatis ſpes magna tuæ: nam ſiſtitur illa,
Quanta eſt, tota Tibi, & variabilis orbita Phœbes,
Quæ modo regna vidit, lunaribus æmula damnis,
Regnorumque duces. Vix jam Tibi Roma tuetur
Nomen, & in triplici miſerè concuſſa coronâ
Creditur, & fraudum mater fœcunda ſacrarum.

At nihil eſt Venetâ quod non miraris in urbe,
Diis habitatâ ipſis, ſeclorum ſpernere leges
Æterno quæ jure queat: jam noſcere curæ eſt,
Queis ſit liligeri firmata potentia Regis
Legibus, adverſo vel quid committat Ibero;
Quo regat hic populos, non uno Sole calentes,
Imperio, quâ mole ruat; quo jure Britannus
Neptunum ſervire velit, quo concita ab aſtro
Gens in ſe generoſa furat: jurata Batavis
Libertas vinclis ut ſtringat fortibus urbes.
Jamque etiam magni prodit ſe laurea victrix
Cæſaris, auguſtis ſemper veneranda coronis.
Jam Tibi jura Ducum & Reges imitata poteſtas
Diſcitur, aularumque ſacri patuere receſſus.
Quas inter frontem explicuit Tibi prima decoram
Cimbrica, cui totas geſtis impendere curas.
Quicquid enim variis hauris è gentibus, uſus
Effluit in patrios. Hûc longo arceſſis ab ævo
Prima rudimenta & populi cunabula priſci,
Ætatique novæ mores componis avitos,
Æqua caſtigans trutinâ. Jam ſemina juſti
Quæris, & æternis leges è fontibus ortas.
Conatus injuſſa tuos Aſtræa ſecundat
Auſpiciisque beat: juvat hâc didiciſſe magiſtrâ
Tot Latii decreta fori, reſponſaque Patrum,
Totque coloratas per ſpiſſa volumina leges,
Et primum meruiſſe decus. Ter ſeptima meſſis
Fluxerat, & primi teſtis dedit ampla laboris
Præmia Jena Tibi, Clario plaudente Senatu,
Jam Cajos æquanti animis priſcosque Sabinos.
Sulpitiosque graves, cui ſe fortuna reorum
Crederet, & dubias ultro permitteret urnas.

Sat

Sat ludo ſtudioque datum. Jam prodit in orbem
Ignea degeneres mens dedignata tenebras,
Et luci donanda ſuæ. Juvat extera regna
Cominus, ac ipſas propius perdiſcere gentes,
Majorique hominum mores ſpectare theatro.
Mollibus hic Batavi ſtudiis cultuque decori,
Ingenio placuere tuo, quos fœdere juſto
Compoſitos orbi fata oſtendêre beati
Exemplum populi. Faciles Tibi Gallia mores
Commendat, celeresque animos quos ingerit æquus
Jupiter, & pulchros agitatis ſubjicit ignes.
Ipſa quoque hoſpitio Magni Te Cæſaris aula
Excipit: ipſa Ducum propius commercia tangunt,
Et Nemetum patuere fores, Themidosque palæſtra
Sanctior exemplis animos præſentibus implet.
Scilicet haud uno ſtabilis prudentia Sole
Excoquitur: non ſola ſuum formarat Ulyſſem
Patria: non varias eduxit Neſtoris artes
Sola Pylos; ſed longa dies, collectaque centum
E populis per muta fuit ſuffragia Virtus.
Jam mihi majores Aganippe indulgeat hauſtus.
Tot ſtadia emenſum metâ propiore fatigat
Cynthius, exactâ dum per tot penſa juventa
Ordior acta Viri. Patrios vix ille penates
Viderat, & votis tum poſcitur omnibus unus.
Ipſa vocant hoc fata caput, rebusque gerendis
Deſignant, aptantque gradus, queis ſcandat honorum
Culmen, & exerta monſtrant veſtigia dextrâ.
Ipſa præit Fortuna vias, & grandibus illa
Se probat auſpiciis. Proceres, illuſtria Cimbrûm
Nomina Conſiliis primum admovêre Senatus,
Ut cauſas Orator agat. Jam promptus in omnes

Se vertit caſus: mores placuêre benigni,
Intemerata fides, & res comitata gerendas
Dexteritas, fortique animoſior impete virtus.
Ingenii has DVX CIMBER opes miratus & artes,
Curarum ſocium & fidum ſibi legit Achatem.
Hæ primæ patuêre fores, tuaque altius ingens
Extulit usque caput virtus: tranquilla modeſti
Perſtat vis animi, firmat conſtantia pectus,
Facundamque movet prudens fiducia linguam.
Aula Schola eſt ludusque Tibi. nam plurima diſcis,
Quæ nec Socraticæ poterant docuiſſe paleſtræ,
Nec tumidæ præcepta Stoæ. Patientia primas
Excubat ante fores placidoque modeſtia vultu,
Et torvæ nil frontis habens. Poſuiſſe tumorem
Pectoris, ac animi celeres ſuſpendere motus,
Virtus prima Viri eſt, magnis quem deſtinat auſis
Aula: quibus tacitos hominum lucramur amores
Artibus & magicos Livori avertimus hirquos.
Spes animos, ſed lenta, fovet, non improba, non quæ
Expugnet violenta moras, ſeque ingerat alto
Turbine; ſed tacitis quæ repat in abdita ſoccis,
Et medias inter Charites dubiumque timorem
Subſidat. Partes Fabius Cunctator in omnes
Proſpicit, atque ſuas rès, tempora, vertit in uſus.
Non etenim fungi ritu durare quod optas,
Gignitur: immenſi damnoſa licentia voti eſt.
Si Fortuna favet, blando ſi ridet ocello,
Hæc timidâ prenſanda manu eſt, ne ludat hiantes
Improba. Qui fatis novit dubitantius uti,
Fortunæ faber ipſe ſuæ eſt: ſibi maximus hoſtis
Quisque ſit, at nullum vel vultu lædat acerbo.
Simplicitas aliquando juvat: ſed & illa nocebit
Sæpius:

Sæpius: interdum dulci miſcebit acetum,
Qui ſapit; at nullâ tinget conſortia bile.
Ad nutus ſe vertat Heri totumque potenti
Det ſeſe arbitrio, captabit mollia fandi
Tempora, ne teneras imprudens verberet aures.
Ad mandata levi ſemper pernicior Euro,
Tardus ad illecebras erit, ad convicia ſurdus,
Offenſam officiis penſabit, amoribus iras.
Ingenium perdiſcet Heri, tacitosque receſſus
Veſtigans alte, formas ſe vertet in omnes.
Nil ſibi permittet, ne forte ſuperbus haberi
Contemptorque queat Domini; liberrima prudens
Solvere nil metuat, ratio cum poſtulat, ora:
Diffidat: ſenſus ſcrutanti multa recondat,
Ac animo ſemper ſua tædia perferat æquo.
His animum imbutus ſtudiis, his artibus aulas,
O KIELMANNE, ſubis, longis quas uſus ab annis
Extudit, & priſci quondam docuere Magiſtri.
Affulſit Magni blandum Tibi Principis aſtrum,
Teque ſuum decus, & dignos ſibi ſervat amores.
Te FRIDERICVS amat, fidam Tibi promit ad aurem
Omnia. Tu certis rationibus omnia libras.
Creverat illa domi, foris hinc Tibi gloria crevit
Altera, dum varias Orator miſſus ad aulas
Magnanimum fers ore Ducem, ſpecieque ſub iſtâ
Te quoque commendas, cui tanta negotia dignè
Crederet ille ſuo felix interprete Princeps.
Cæſareæ plausêre aquilæ, ſtupuitque loquentem
Inclutus ordo Ducum, cum maximus ipſe Senatum
Cæſar & Arctoo ſubſellia panderet orbi.
Non referam Reges, quorum Tu publicus Hermes
Tractaſti ſacra, colloquiis immiſtus amicis.

Quæ Tibi melliſluis ſurgit facundia labris!
Quæ decori certat gravitas! quo fulmine mentes
Vis quatit ingenii! quo flumine perpluit aures!
Sive jubes rigido decedere corde furorem,
Et placidus Tibi ſerpit amor, lenesque figuras
Imperat, aut gravibus Peitho Te regia curis
Admonet, illa animis regnat, ſibique impetrat omnes.
Sic Latio quondam fluxerunt verba Patrono:
Sic Pylius tulit ora ſenex, cum miſcuit armis
Conſilia, & populos linguâ proſtravit & urbes:
Attica ſic quondam fallaci Suada Philippo
Obſtitit, armatoque animoſa pependit ab ore
Libertas populi. Jam tot Tibi didita terris
Fama viget, majusque tuis Tibi ſemper ab auſis
Nomen adeſt. Vidit tantis ſucceſſibus aptum,
Vincentem titulos meritis FRIDERICVS & iſta
Gratus amat, totumque tuo ſe indulget honori,
Accendens ſtudium titulis largisque frequentans
Munera muneribus. Tibi jam penetralia magnus
Pandere nil dubitat, regnique negotia Princeps.
Tu pectus, Tu dextra Ducis, qui gaudia tecum
Partitur ſortisque vices: Tu dotibus ornas
Conſiliisque tuis Cimbri decus usque Parentis.
Nil curas ſuperare tuas, obtundere nullus
Scit labor. Ille ſuum redit indefeſſus in orbem
Usque novus, neſcitque moras, nec hebeſcit agendo.
Nil licet invidiæ, licet ungues illa minaces
Exerat, & tantum caput inſidioſa laceſſat.
Maſcula Te Virtus animat, rabiemque retundit;
Hæc fruſtra furit ignavis edentula verbis.
Non fortuna ferox rerumque adverſa quietum
Turbarunt animum. fuit heu! quando ipſa tenebris
Excita

Excita Tænariis bellorum ſemina Cimbris
Sparſit Tiſiphone, laceratas ſtragibus urbes
Vidimus, & gravidos armato milite campos.
Tu Patriam fulcis, Dominumque potentibus armas
Conſiliis, trepidisque ſagax occurrere gaudes,
Rebus; at hoſtiles iræ, atque immitis Enyus,
Nil poſſunt Furiæ. Tu perdita tempora lenis,
Atque tuis pacem curis reparare laboras.
Hæc inter FRIDERICVS obit, dignusque capesſit
Imperium, fatis ſe convertentibus, Heres,
Cumque novo novus ipſe Duci es, titulisque poteſtas
Adfuit aucta novis, dum magno nomine Præſes
Diceris, atque novo Princeps illuſtrior exit
Præſidio. Tanto ut ſedeat bene pondus Atlanti,
Tu fulcis juvenile latus firmasque lacertos,
Et teneros monitis animos prudentibus imples.
Ille tuis ſeſe & totam virtutibus aulam
Permittit, ſummumque ſibi Te jungit amicum.
Gloria ſalva Duci eſt, tuus at labor omnia verſat,
Atque omnem mens molem agitat: Tu luce refulges.
Illius, Ille tuâ. Solem ſic Phosphorus ipſum
Præcedit, ſignatque vias, ac disjicit umbras
Luminis igne ſui, partes vigil Argus in omnes
Proſpicis, & centum circumfers lumina, centum
Fers operi, KIELMANNE, manus. Si dupla ſedet mens,
Regibus ut docti tradunt præcepta Platonis,
Partitur Dux tecum animas: Tu Ducis in illo,
Inque ſuâ præſens hic ducit imagine vitam.
Et vobis par nomen erit, par ſenſus, & æqua
Virtutem ſubigit ratio. Non diſplicet illi,
Quod Tu cunque probas: æqualis in omnibus ardor.
Ille Tibi quando ſuadenti commoda paret,

Imperat ipſe ſibi: paribus certatur utrinque
Obſequiis: neque enim ſe fit minor ampla poteſtas
Subdita conſiliis: ſibi paret uterque, ſibique
Imperat arcano, quod colligat una voluntas,
Fœdere, qui Patriæ ſervant pro lege ſalutem,
Cuique indefeſsâ junctim virtute laborant.
Non alius Pyrrho Cyneas, Agrippaque quondam
Mæcenasque fuit, populo veneranda Latino,
Nomina & Auguſti curis ingentibus apta.
Tales noſtra tulit Gallis felicibus ætas,
Queis jam fama ſuos faſtis transſcripſit honores.
Summa Tibi rerum eſt Helice ac Cynoſura tuarum,
Quæ bene formandæ PRUDENTIA * regula vitæ,
Sed SINCERA * tamen, qualis Tibi ſemper in ore eſt.
Qualem facta probant. nullo hæc Tibi perlita fuco,
Non cataphracta dolis, qualem nunc peſſima jactant
Secula, & egregiis turpem virtutibus æquant.
Armat verba fides. nullos habet illa receſſus,
Nec mendax varium format ſimulatio vultum.
Fallaci non fronte Sinon, non pectore Ulyſſes
Conditur, aut furias ſub pacis imagine celas.
Circumſpecta tamen retegit ſolertia fraudes,
Exploratque dolos, altoque recondita ſenſu
Arte nova: nam non falli, non fallere noſti.
Inconcuſſa Tibi mens eſt, tranquillaque nullis
Fuſcatur tenebris, vel inani carpitur æſtu,
Cui verum ſine nube patet: Tu pondera libras
Et momenta operum: Tibi nunquam deficis ipſi,
Non aliis. Non eventus Tibi vota fefellit,
Non ſortis fugêre minæ, diſcrimina nullos

Con-

* *alluditur ad ſymbolum Præſidis.* * *PRUDENTER ET SINCERE.*

Conſiliis poſuere obices, induſtria quos non,
Non validis victrix conſtantia fregerit armis.
Te nemo, Tu cuncta capis. Quæ ſumma vocamus,
Illa rudimentum faciunt Tibi: Maxima monſtras,
Sed majora legis. Cum credimus eſſe quietum,
Cuncta moves animo. Te tantum, Provide, neſcis,
Ne poſſis neſcire Ducem, quem diſcere ſemper,
Quemque docere cupis: nos in Te diſcimus illum.
Anticipas facienda, vides, quæ ſecla recondant,
Penè futura facis, penetras arbitria vulgi;
Quid poſſit ſcis, quidque velit, quid denique nolit.
Fautorem Te quisque cupit. Non aſpera fandi
Tempora torvus habes. Tua Te nam dividit unum
Omnibus integritas, vultu furaris amores,
Officiis lucraris, amas populumque Ducemque,
Cunctorum communis amor. Se nemo dolebit
Contemptum, nemoque tuo diſcedet ab ore
Triſtior: utque Tibi ſemper, ſic omnibus idem es.
Æquali ſic luce per hoſpita Cynthius aſtra
Ducitur, atque diem Terris partitur & umbras,
Imparibusque parem ſpatiis diſcriminat annum.
Sollicitudo patrem facit, & vigilantia ſervum.
Immemor Ipſe tui es, quoties Tibi pectora dulcis
Verſat amor Patriæ: non Te tua commoda vincent,
Publica quando vocant, metam Tibi ponit honeſtas;
Hos ultra Te non movere pericula fines,
Non fraudes reſidesque minæ, non mobilis aura
Plebis, & inſanæ rapuère cupidinis æſtus.
Ignoſcis nil Ipſe Tibi, ſed plurima clemens
Ignoſces aliis, niſi cum punire nocentes
Juſta jubet Nemeſis: firmi nam pondera regni
Hinc amor, inde timor pœnæque & præmia librant.

Hæc

Hæc miſces ratione pari, partiris honores
Ingenio, virtute, fide, nec inertia pigrâ
Nomina tollis humo; ſed quos ſapientia vulgo
Eximit, ac aptos ad publica munia reddit.
Non aliena fides, laudes mercede redemptæ
Impoſuêre Tibi: ſoli Tibi fidis & uni.
Ingenio compacta tuo Reſpublica Cimbrum
Tota latet, vitâ corpus vegetatur ab iſtâ,
Hinc decor, agnatos motusque calorque per artus
Spargitur, & ſtabili ſolidantur robore vires.
Agnoſcit tantæ molimina Patria mentis,
Ac operis tot ſigna tui. Præluſtre Theatrum
Hæc eſt, factorum præclara palæſtra tuorum.
Te ſalvum cupit illa ſibi, cum Principe, Cives.
Applaudit Dux Ipſe Tibi, qui detulit ultro
Tot titulos, tot opes, magnæ tot nomina famæ,
Queis placet ipſe ſibi. Tanto regnare miniſtro
Quantum laudis habet! Socium vocat ille laborum,
Tu revereris Herum. Quid Te vetet eſſe ſecundum,
Hic ſi primus erit? Per Te nil perdit honoris,
Nec minor eſſe poteſt, per Te qui maximus audit.
Quæ mihi tantarum penetralia pandere rerum
Diva velit? Quænam hæc dignis facundia verbis
Explicet? Æternis memorent quæ ſecula faſtis,
Ex Cimbris cantanda tuis. Nam plurima laudum,
Plurima factorum ante oculos verſatur imago.
Te teſtor, FRIDERICE PATER, Manesque verendos,
Si qua tui nunc cura gregis Cimbrûmque tuorum
Te, Bone, tangit amor: (nam certe tangit, & olim
Speratis tua nunc intervolat umbra Camœnis:)
Quâ tuus ille fide, quâ ſollicitudine priſcum
Protulerit Cimbris decus, & nova nomina laudum
Addi-

Addiderit. Dubios primùm fruſtraque petitos
RESTAVRAT TITVLOS. nam ſæpe profunda ſub illis
Auſpiciis Fortuna latet. Quæ nomine primùm
Et titulis, vinclo tandem propiore ligantur.
Scilicet his primum lucem metimur ab umbris,
Quâ ſplendet prælustre caput: nec inania rerum
Hæc ſimulachra putes, ſacri quæ pignora juris,
Munimenta domûs. Illo ſuaſore SERENVM
Te Magnus vocitat CÆSAR. Cognomina tanta
Tu primus, FRIDERICE, & Regibus æqua mereris,
Hoc ductore tuo. Vidit Te luce ſerenâ
Illuſtres ſuperare ſuos Germania, tantoque
Aſſurgens decori, Teque illâ voce ſalutans,
Ipſa tuo radios læta à ſplendore reſumpſit,
Et jam virtutum digna argumenta tuarum
Cimbria tota capit, jamque in Rectore Serena eſt
Illa ſuo. Sed & ille Tuo de lumine ſplendet,
Dumque ſerenus eris, tua dum propago ſerena eſt,
(Exſtingui lux illa nequit) vibrabis amicos
Suaſori radios, cui lucis imago ſerenæ
Semper adoptivos à ſole recolligit ignes.
Sic gradibus Tibi crevit honos. Quæ nomine primùm
Conſtitit & titulis, verâ ſe gloria tandem
Obtulit hîc ſpecie: ſceptris ſubjecta poteſtas
Quæ fuerat, juris detrectat vincla ſecundi
Conſiliis, KIELMANNE, tuis. Schleswigia ſoli
Nunc didicit ſervire Duci, juſſumque verendis
Exuit obſequium (invito nec Rege) tiaris.
Quis mihi FRIDRICI ſenſus animosque recludet
Talia ſpectantis? cui tanto in turbine rerum
Effulſit fortuna domûs, ut jura Monarchis
Æmu-

Æmula, & auguſtos Patriæ donârit honores
Primus, & hos ſeri posſint ſperare Nepotes.
Ac ſperent utinam, teneant majora, novisque
Auctior auſpiciis cœlo ſe gloria Cimbrûm
Per titulos titulorum & honorum mille figuras,
Faſces, ſceptra, togas, trabeas, diademata tollat!
Quid non CHRISTIANVS, quid jam non Cimbria ſperet
Auxilio, KIELMANNE, tuo? Quæ præmia debet
Cimbria? quove Tibi devinctus nomine Princeps?
Cum vigiles curæ ac duri pro pace labores
Sollicitum tenuêre (hoc Te meminiſſe juvabit,
Me fas eſt memorare) nec inclementior annus
Magnanimum diſſuaſit iter. Jam ſplendidus Helles
Portitor extremo ſtabulantem in vellere Solem
Dimiſſurus erat, nec vincla tenacia Nereus
Exuerat; quanquam dubias via ſubdola plantas
Falleret. Hæc ſuperas, Vir magne, pericula nec Te
Ulla tuæ tangit, Patriæ ſed cura ſalutis.
Hîc pedibus furaris iter glomerata per undæ
Fragmina, & audaces figis ſuper æquore plantas,
Acris in incepto, & ſtimulis ingentibus actus.
Nam Deus his cœptis, aderat Deus. Improbus ignes
Accendit Boreas: nam quod Te frigus adurat
Ardentem Patriæ pietate? quis occupet horror
Intrepidum, & quævis extrema ſubire paratum?
Tu quoque, qui patriis Patriam virtutibus, HERES
Magne, regis; tantas vel ſponte fatebere curas.
Nam Tibi, cum magni primùm poſt funera Patris
Fata dedêre ſacras, quando tua legibus ætas
(Luſtra etenim Juveni tria tertius auxerat annus)
Nondum juſta fuit, quanquam matura, tiaras;
Adfuit

Adfuit ingenio: Tuus exorare favorem
Cæſaris & legum potuit dictamina Præſes.
Inviſas ſcidit ille moras, ut faſcibus aptus,
Qui dudum fueras animo, modò legibus eſſes,
Solus ut imperium, nec cum conſorte, teneres.
Sed quantas inter turbas, ſeclique procellas,
Et Patriæ clades has Tu moderaris habenas!
OPTIME, quæ Tibi tum placidos ſpectacula, PRINCEPS,
Turbavere animos! mediis Tu in luctibus effers
Lætior ora, tui monitis adjutus & acri
Præſidis ingenio, qui per tot fulmina, nubes,
Cautus in aſſuetum, per totque pericula duxit.
Ille Tibi Palinurus erat, qui pervigil omnes,
Puppe ſedens, ventos, vultu per ſidera ducto,
Præcepit, ſcopulosque mari vitare doloſos
Novit, & obliquis, ſubducere vela procellis.
Viderat hic, eheu! Patriam tot vulnera paſſam,
Vexatam furiis, laceras cum Civibus urbes,
Nutantesque domos, æraria fracta, levesque
Excusſis opibus loculos, nervisque reciſis
Lapſurum imperium, ni providus arte magiſter
Et reſtauret opes, & tabida membra reponat,
Ac vacuas ſaturet vivaci ſanguine venas;
Viribus aucta novis, ut inexſuperabile robur
Induat, & priſcos ſumat ſibi Cimbria vultus.
Tu cenſus reparas, ſine queis Respublica vitam
Exuit, aut fatis ſemper luctatur iniquis;
Sed placidâ, nec quæ cives eviſceret, arte,
Suppliciisque premat: facilis tonſura placebat,
Atque ſupervacuos raptura novacula villos.
Ex agris exſculpis opes, modicisque tributis
Terra-

Terrarumque novis aulam proventibus imples,
Publicaque adjectis auges patrimonia fundis,
Quos furor armorum vel longi injuria ſedi
Immemori abſciderat Patriæ. Tu perdita cuncta
Illi reſtituis, Domino, ſibi denique reddis.
Tu blandâ plus voce potes, cum publica fiſcus
Æra rogat, quam cum ſurdos furibunda poteſtas
Sollicitat loculos, ferroque exenterat aurum.
Te ſuaſore novo creſcunt æraria cenſu,
Cum magna accedunt, Marſo donante, talenta.
Scilicet ille ſuis jus dicit & imperat agris:
Aſt ipſos Tu reddis agros. non parcus egenos
Muneribus Cives Dominus ſolatur opimis:
At Dominos ditare tuum eſt. hæc prima tuentur
Arma tibi Patriam, ſcutatus quando per arcas
Excubat in rerum ſuprema negotia miles,
Totq; Ducum & Regum gladios & ſceptra vibrantum
Præſidio Dux tutus agit. Sed & altera primus
Munimenta paras Patriæ. Quæ tota patebat
Bellorum inſidiis furiisque hoſtilibus olim,
Loricata novis te prodiit auſpice tellus
Aggeribus. Nam quà pinguis lavat Eidora dites
Tonningæ campos, nova propugnacula firmas,
Cognatas patrio ut defendat ceſpite terras.
Hæc glebis Dominum tutata fidelibus urbs eſt,
Indocilesque docet famulari legibus enſes.

Iſta favente velut Cimbris munimina ſurgunt
Gradivo: ſic blanda ſuo Venus æmula Marti
Præſidia inſtituit, te conſultore, facesque
Ventilat, atque toris fulcit Regalibus aulam,
Queis fortuna domus magis eſt, quam milite, tuta,
Ac armis Bellona tuis. Cum mollia, lectos,

Caſtra

Caſtra potens metitur amor, pharetrataque pandit
Agmina; nil rigidas adeò nocuiſſe fariſſas
Vidimus, & triſtes manſueſcere protinus iras,
Et furias cohibere metum, quem publica ſuadent
Fœdera, & arcanis adſtricta potentia nodis.
Scilicet alternis per Te coaleſcere tædis
Incipit, atque novis ſociatur amoribus Arctos.
Nam Venus hinc Gothico ſociatur Cimbrica Marti
HEDWIGIS CAROLO. Thalamos hinc Regia Cimbros
Conſcendit propago: animos FRIDRICA benignos
Inſpirat populis, gentemque maritat utramque,
Conſtringitque ſuis amplexibus, implicat oſclis,
Et Pacis donat nunquam violabile pignus.
Quis fuit ille dies, cum Te, KILEMANNE, reducta eſt
Oratore quies! populorum ô quanta duorum
Gaudia! qui junctis FRIDRICÆ in amoribus ulnis
Conſpirant animisque. Tibi CHRISTIANVS amores
Imputat Ipſe ſuos, melioraque ſecula Civis.
Non iræ aut odiis usquam locus: omnia pacem,
Omnia jam ſpirant, per Te qui crevit, amorem.
Fallor, an heic Fortuna tuis ſe Regia cœptis
Addidit, an hæc eſt Cimbri via regia fati,
Quâ Patriæ ſe tollit apex, quæ proxima ſceptris
Æmula magnorum veſtigia ducit honorum.
Hæc Tibi parta domi: populos iit acta per omnes
Gloria, cum placidis Tu regna perennia Muſis
Condebas, magnæ ſpatioſa lararia famæ,
Majorum cunas operum. Tu ſceptra Jovemque
Concilias, dignisque incendis honoribus artes.
Major Apollineo reverentia naſcitur œſtro.

 Sur-

Surgenteſque novis Cimbri venerantur Athenas
Auſpiciis; nec jam ludunt fallacibus umbris
Amplius Aonii fontes, Parnaſſia rupes.
Hæc Phœbi domus & ſedes non falſa Dearum
Panditur. hîc ingens aliquando in nomen ituris
Proſpicis, atque bonæ donas Te mentis alumnis,
Et Domini partiris opes. Tu prodiga rerum
Materies, omniſque tuo ſe nomine Virtus
Erigit, inque tuis perfectum laudibus inſtar
Quæritur. hîc patriis Tibi plurima laurus in agris
Naſcitur, & memores diſcunt tua nomina ſylvæ.
Ipſa Tibi famulos in vectigalia fluctus
Carmina Phocis agit, totumque effundere fontem
Geſtit ovans, Vatumque ſitim reſtinguit anhelam.
Te ſeris monumenta dabunt illuſtria ſeclis,
Mœcenaſque ſacris Cimber ſpectabere faſtis.

Eſt locus extremo Parnaſſi in culmine montis,
Heic ſtat Semideis habitata frequentibus Ædes,
Plebejis ſecluſa animis. non illa profani
Limina calcavere pedes: quanquam obvia circum
Turba fremat quæratque aditus aſtuta latentes,
Et per præruptæ veſtigia pendula rupis
Sæpe cadat, Clariis debens ludibria Divis.
Longa heic annorum ſeries è marmore muros
Duxit, vocales laquearia picta columnæ
Suſtentant; ſonat usque cavis revolubilis Echo
Rupibus, æratos cuſtodit ferrea poſtes
Janua, victrices inſerpunt undique lauri.
Intus inexhauſtos accendit Cynthius ignes,
Excuſſi abſiſtunt radii: flagrantibus illi
Luctantur gemmis, late quibus obſitus inter
Heroum vultus paries titulosque refulget.

Aoni-

Aonidum hîc colitur Mater grandæva Dearum
Mnemoſyne, rugas ſertis ornata decoras,
Et ſenio non torva ſuo, cui læva tabellam,
Dextra ſtylum gerit, & pedibus protrita recumbunt
Secula, contuſisque jacet mors lurida telis,
Torporque & pulchris inimica oblivia factis.
Heic videas omnes, quos non incognita virtus
Extulit, & lethi ignaros queis donat honores;
Effigie fulgere ſuâ meritisque tenere
Æquales titulos, & laudum nomina mille.
Heic tua Principibus miſcetur imago vetuſtis;
Nomina tanta notat, puroque interlinit auro
Mnemoſyne veſtitque virentibus aurea ramis.
Ipſe quoque Aonidum circumſtans ordo Sororum
In parte eſt operum: cujus pars maxima, cujus
Alter Phœbus eras. Hæc ſculpit nomina cœlo:
Illa laborat acu: virides plicat illa corollas:
Illa docet rigidum vultus ſimulare metallum
Præſidis: hæc vivis æquare coloribus ardet.
Omnes alternas ſolvunt in carmina voces,
Immunemque ſuis properant ſubducere fatis.
At Tibi manſuros promittit Cimbria faſtos
Æternumque decus, meritis quæ computat annos
Diſtinguitque tuis. Stat quælibet ordine Virtus,
Et ſibi ſecla facit, ſtabitque invicta, nec ætas
Deteret hoc curis indelaſſabile pectus,
Quas novus uſque invitat honos, & fama faventi
Commendat Domino: creſcunt ſub pondere vires,
Nec bona deſtituent generoſos ſidera motus.
Qualis ab Elæo miſſus qui carcere palmas
Bellator retulit ſonipes, plauſusque viarum,
Et ſolitas toties animoſior hauſit arenas,

Victori laudatus hero; novus usque relictis
Redditur hinc ſtadiis, & ſe ſuperare laborat:
Sic Tibi perpetuos trudit labor usque labores,
Materies fœcunda ſibi. Tu ſufficis unus
Omnibus, ac alios ſemper revocaris ad uſus,
Usque recens animo, & redeuntibus acrior annis.
Vive volens, ſeroſque Tibi ſecet Atropos annos.
Optamus tria ſecla Tibi. Tu Neſtoris annos
Neſtor habe Cimber: neque ſunt hæc ſtamina vitæ
Virtuti ſatis æqua tuæ ac illuſtribus auſis,
Et minor his meritis iret colus: ipſeque noſter,
Quem Tu tot curis ſemper factisque mereris,
Creſceret auctus amor, votorum creſceret ardor.
Tu tamen his votis, nos Te, KILEMANNE, fruamur,
Et fatis meritisque tuis. Ne deſine nobis
Eſſe Ducique Pater. Titulus decet iſte Senatum,
Et munus, Vir magne, tuum, quem publica talem
Vota vehunt, quo Te ſupplex mea Muſa ſalutat
Nomine, quod neque Dux toties totiesque probatæ
Invidiſſe velit fidei. Sol unicus ardet
Luce ſuâ, qui cum geminum ſibi pingere gaudet,
Majus habet lumen, ſed quod Sol gignit, & idem eſt,
Quem credas duplicem. lucet, cum lucet imago.
Qui tuus eſt, Ducis audit honos, ipſique perennat,
Quâ Tu parte animum verſas, jurata ſequetur,
Et præſens Fortuna tuo ridebit honori.
Sidere tacta tuo: dubiis ne ſubtrahe rebus
Intrepidum, Vir magne, latus. Tu lingua potentis
Interpreſque Ducis cauſas orare clientum
Perge; nec ipſe olim reſpondit certior Ammon,
Quàm Tu, cum cupidi poſcunt oracula Cives.
Illi perpetuos factorum in pectore condunt

Anna-

Annales, quos ſcribit Amor. Tua paſcit imago
Devotos animos, ignesque accendit honeſtos,
Caſtalidum ſeſe penetralia ſponte recludunt.
Tu tutaris eas, pede ne calcata profana
Concidat, & miſeris tabeſcat gloria curis.
Sis felix, & Te Superis ſerum ingere civem,
Ac ſidus fac ipſe novum, quâ candida portis
Emittit recipitque Heroum ſemita mentes
Et ſpiſſis veſtit radiis. Tua Cimbria tandem,
Si tardis ſteterit ſententia ferrea fatis,
Ut vitæ ſatur & magnorum plenus honorum,
Te deſideriis ſubducas illius, æqua
Mente feret, ſi quos virtus tua votaque donant,
Soletur magnis diſpendia triſtia natis.

IN
EIVSDEM
NVMMVM AVREVM,
quem ſuâ imagine inſignitum
mihi donaverat.

NUmme ſerenato gravis & pretioſe metallo,
O nove nunc nummis Sol oriture meis,
O qui blando oculos perſtringis fulgure, quique
Incendis loculos, auree numme, meos,
Numme, ſerena mei quem Præſidis ornat imago,
Cui radio pretium nobiliore facit,
Numme, cui faciles Pindo riſere ſorores,
Numme, cui frondes plectat Apollo ſacras,
Numme, tuo Vates tactus ferveſcit ab aſtro,
Totus & in laudes geſtit abire tuas,
Inque tuas, KILEMANNE, tuo hæc qui munera Vati
Magnificâ donas munificâque manu,

Hic ex aſſe ſuum vocat & Te poſſidet ipſum,
Mutatumque poteſt ſic meminiſſe Jovem.
Sic tenui Tu grande peculium es ipſe Poëtæ
Exiguas inter conſpiciendus opes.
Ne viduæ mihi ſint ſine Mæcenate Camœnæ,
Mæcenas arcâ clauderis ipſe meâ,
Dumque in perpetuo tua durat imago metallo,
Non animo vultus labitur ille meo.
Scilicet illa tui eſt mihi teſſera certa favoris,
Ipſeque Tu Vatis pignus & arrha tui es.
Effigie genius magni mihi vivit in iſtâ
Præſidis & Laribus præſidet ipſe meis,
Suntque Lares loculis nummi magnique penates,
Quos inter magnum Tu mihi numen eris.
Attalicos aliis includant ſcrinia cenſus,
Poſſideatque ipſum fertilis arca Jovem;
Tu rebus modò præſidium es fortunaque noſtris,
Jamque patrocinio eſt tutior arca tuo.
Aureus exiguis ſuccede ô ſedibus hoſpes,
O infer loculis aurea ſecla meis,
Purpureoque meas imple ſplendore tenebras,
Ac aſtro noctis disjice opaca tuo.
Quæ ſterilis quondam raroque diſerta crumena
Tinnitu nomen tinniet aucta tuum,
Et jam vocali ſociantur plectra metallo,
Et carmen miſcet barbitos icta novum.
Hic quoties nummus tinnit, mihi Pegaſus hinnit,
Sollicitatque ſuas æmula Muſa fides.
Qui numeros quondam Vates, nunc congero nummos:
Tuque facis numeris pondus ineſſe meis.
Quod ſi deſtituunt ſegnes mea vota Camœnæ,
Nec ſubit Aonius pectora lenta furor,

Illa

Illa meis oculis ſimul obverſatur imago;
  In numeros ſacro tactus ab igne ferar.
Jam Te, regali quem purpura tingit in auro,
  Conſtituent Regem ſcrinia noſtra ſuum.
Heic habita & Ducibus regna permiſtus avitis.
  Hos inter ſummus Tu mihi Præſes eris.
Ne tamen ærati metuas contagia vulgi,
  Plebs diverſa ſuis conditur iſta locis.
Ne tamen & vacuâ Rector domineris in aulâ,
  Imperio ſuberunt nomina magna tuo.
Tu mihi Primus eris: procerum hinc argenteus ordo,
  Mole graves, annis canitieque ſenes.
Plurimus imperio ſubmittitur Induperator,
  Totque coronatis das nova jura meis.
Aſſurgunt veteres præfrictâ fronte Jochimi,
  Quos corruptorum non tetigêre manus.
Apparent fortes Caroli grandesque Philippi,
  Inclinatque enſes Enſiger ipſe ſuos.
Sunt Sigismundi, Friderici, ſuntque Rudolphi,
  Totque Duces alii, quos memorare mora eſt.
Plurimus hîc ſequitur ſcutatus terga ſatelles,
  Quem modò ſubmittis prodigus ipſe Tibi.
Hinc ſua diſpoſti ſubeunt per ſigna Quirites,
  Inque ſuas ſeries juſta tributa tribus:
Sunt ſolidi, ſunt qui denarI munere gaudent:
  Hinc aſſes, oboli, turba minuta, ſedent:
Hi, ni forte aliò Tu juſſeris ire colonos,
  Te Regem obſervant ſuppliciterque colunt.
Quæ pecudum titulos Regina pecunia jactat,
  Te Duce nunc loculis nubet amica meis.
Sobria nec mihi jam marcebit aluta, ſed usque
  Viſceribus magnæ paſta Parentis erit.

 Non

Non illa Æolios poſt hæc imitabitur utres,
Queis implet laxos largior aura ſinus.
Hic immortalis clauſâ mihi ſemper in arcâ
Excubias miles nec fugitivus aget.
Te Duce nummorum ſalva eſt Reſpublica Vati,
Ordoque Te Procerum Præſide ſalvus erit.
Non mihi conſcriptos Patres proſcribet egeſtas.
Sæpe tamen vertet turba minuta ſolum,
Fiet & eximii pars non obſcura Senatus
Civibus illa locum ſæpè datura novis.
Sed tamen haud iſtâ civis peregrinus in aulâ,
Aut alienum iſtis æs mihi regnet agris.
Vos etiam â loculis oculi procul eſte profani.
Hæc mihi ſacrilegas arcet imago manus.
At mihi quàm blandè tua, Maxime Præſes, imago
Arridet! Vatem quo ferit igne ſuum!
Illa manus noſtras non dedignata laresque,
Quæ pia Morhof I. baſia ſæpe feret.
Quàm mihi quàm pulchrè nunc ad regale metallum
Damnaris! placido quæ micat ore Charis!
Vivere quin ipſo, KILEMANNE, videris in auro
Aureaque attonito fundere verba mihi.
Dicite, materies an formâ dignior illâ
Formaque materie dignior eſſe queat?
Quam benè ſincero virtus flagrat aurea in auro,
Et radios ſplendor jungit uterque ſuos!
Non tamen imbelli ſibi imago ſuperſtes in auro
Durat & ætatem ſeclaque ſera feret:
Hæc chartis commiſſa fidelibus atque ſuorum
Mentibus æternis ducitur in tabulis.
His tua Te Virtus, KILEMANNE, inſcribet; in illis
Te Vatis pinget non peritura manus.

IN
EJUSDEM
TORQVEM AVREVM
Regium Munus.

PRÆFATIO.

DUm Tibi gemmato præfulgent colla metallo,
Ac humeros onerant Regia vincla tuos,
Non ea nunc tacito ſpectantur munera Vati:
Sollicitant tenues hæc mihi vincla fides.
Jam Phryxæa tuo poſtponere vellera torqui,
Jamque vel æthereâ ponere ſede velim.
Magna Tibi, PRÆSES, debemus nomina,& omnes
Gratâ quæ poſſunt munera mente ferunt:
REX Tibi dat torques, dant laurea ſerta Camœnæ,
Querna dabit capiti Patria grata tuo.

* * * * * *

TOrques auree, ponderoſe torques,
Torques penſilibus decore gemmis,
Vicinum quibus invidet metallum
Scintillantibus igne puriori,
Et vinci radios dolens minores
Preſſo ſpiſſius erubeſcit igne;
Quale quod tegitur calente prunâ
Igneo ſaturum eſt rubore ferrum:
Torques auree, ponderoſe torques,
Magni munus & arrha FRIDERICI,
Quem ceu Gnoſiacâ tegit coronâ
Arctos atque ſuis revincit aſtris;
Sic miſſis alios ligat catenis,

Et ſuo meritos revincit auro,
Et ſui fovet hos favoris aſtro.
Namque uti manus eſſe longa Regi
Dicitur, manibus parantur illis
Longæ, quæ ſubeant manus catenæ,
Quêis mentes ſibi vinciat propinquas:
Torques auree, ponderoſe torques,
Quem dantis modo ponderoſiorem
Majeſtas facit & ſacro replevit
Totum numine Regioque cenſu
Exornavit & elegante cultu,
Quem ſimul capientis alta Virtus
Dignitasque verenda digniorem,
Ac auro magis aureum, & vel ipſas
Has gemmas facit eſſe pulchriores,
Tantorum pretium ferens laborum,
Ipſis quæ magis æſtimanda gemmis,
Ac omni eſt pretioſior metallo:
Torques auree, ponderoſe torques,
Quis te Dædaleâ peritus arte
Tortili faber implicavit auro?
An finxit Siculis calens caminis
Deorum faber & Deus fabrorum?
Non Te, non Veneris maritus, aut qui
In furvo fabricant Cyclopes antro
Extudêre: ſed ipſa Gratiarum,
Ipſa Te Veneris dat officina
Spiſſo nectaris imbre delibutum.
Nam quot hîc teneri volant Amores
Igne, quem Paphiæ dedere tædæ,
Quem motis pia turba perflat alis,
Diductum bene malleo metallum
Incen-

Incendunt ſubiguntque molliuntque,
Annulosque manu trahunt ſequaces,
Connectuntque ſacris monile nodis,
Cimbricoque opus exhibent Monarchæ,
Ut iſtis ſibi maximum catenis
Obſtringatque ligetque KILEMANNVM,
Qui Cimbros adamantinis Amores
Arctè junxerat anteà catenis.
Quam pulchre meritis locare tantis
Summe præmia, FRIDERICE, noſti!
Quam pulchrè veneraris aureisque
Virtutem premis auream catenis!
Hoc quæ pondere preſſa, ſed benigno
Erigit caput atque FRIDERICI
Evecta auſpiciis perenne nomen
Tanto à Nomine gloriamque ſumit,
Ut quæ nunc rutilo reſplendet àuro
Æterno ſolidetur ære Virtus.
Torquis aurea, ponderoſa torquis,
Ergo Præſidis illa KILEMANNI
Involа mihi colla, colla magni
Succollantia Principis lacertis,
Orbibusque reducta tortuoſis,
Rectum corripe pectus illud, illam
Sublimis ſapientiæ officinam,
Mentis judiciique promicondam,
Regiæque ſcientiæ magiſtram,
Vaſtum Principis incluti ſacellum,
Curarum tumulum graviſſimarum,
Conſilique uterum, penumque rerum,
Publicæque ſacrarium ſalutis,
Fortunæque reconditæ theatrum,

Tempo-

Temporumque fugacium ſtateram,
Et arcem fidei, & ſtatumen aulæ,
Auguſtum Themidos tribunal illud,
In quo præſidet imperatque Virtus,
Et totum ſibi colligit Senatum,
Ac oracula fundit ipſe Phœbus,
Et pulchri generoſa vis honeſti
Spirat ingenuis adacta fibris,
Patriæque amor excubat regendæ.
Heic metire tot occupaque dotes
Immenſas variasque vividasque,
Aureosque nota ſub his latentes
Delubris penetralibusque mores.
Heic regna ægiſonæ obſide Minervæ,
Et his limitibus profunda rerum
Arcanas preme cogitationes,
Quin totam modo Cimbriam reconde.

Torquis aurea, tortuoſa torquis,
Quæ gyris redeuntibus remenſa
Magni pectora, colla KILEMANNI,
Annulis glomerata complicatis,
Et nusquam pereuntibus rotata
Orbibus variè hinc & hinc citatos
Ætheris ſimulas ruentis orbes:
Torquis aurea, tortuoſa torquis,
Quæ magni ſpeciem æmularis anguis,
Cui ſtruxit famulas Canopus aras,
In veſtigia molliter relapſo,
Qui volumina magna circinantem,
Suo principio redintegratam
Prodigus vorat improbo ore caudam
Immenſæ effigies perennitatis,

Hæc

Hæc ô omina confer & perenni
Necte ſecula longa KILEMANNO,
Et quot volveris annulis, tot annos
In longæ ſeriem retexe vitæ,
Et novo malè firma fila vitæ
Muni robore Gordiiſque nodis,
Ut gemmis cataphracta ſint & auro,
Et Parcæ reprimant hiantis ungues,
Forficesque potentius retundant.
At Tu, Regia dextra quam coronat,
O Cervix Capiti propinqua Cimbro,
Macte hoc munere macte KILEMANNE!
Qui ſacro radias ſerenus auro,
Et Solis mihi lumen & Deorum
Exhibes faciem micante nimbo,
Et lucem tibi ſpargis & Poëtæ,
Cui præſtringitur hoc ocellus igne.
Macte hoc pignore Regii favoris!
Aureosque merere porro torques,
Et his usque volubilis catenis
Fortunæ religa rotam & relaxa.
Sed noſtræ, KILEMANNE, dum gravatum
Accendit tibi torquis unca collum,
Plectunt non peritura ſerta Muſæ,
Tortileſque hederas piaſque laurus
Implicant rutilantibus catenis,
Et dignum gravibus vocant catenis,
Qui ceu Gallicus Hercules amicis
Omnes & ligat & trahit catenis,
Qui fidelibus omnium ſaluti
Se obſtrictum propè mancipat catenis.
At tuus modo Rege major ipſo

Et

Et Regem Tibi dona largientem,
Et vinclis, KILEMANNE, Te revinctum
Sua in vincula conjicit, ſed & te,
Torques auree, ponderoſe torques,
Stringit compedibus ſuis Poëta.

NÆNIA
FVNERALIS
IN
ANNVM cIↃ IↃC LXVIII
EXSPIRANTEM
LVSVS EPIGRAPHICVS
AD EVNDEM
PRÆFATIO.

ANnus obit, KIELMANNE, ſuisque involvitur umbris,
Muſaque defuncto præfica noſtra fuit,
Dumque iſtum tumulo vivi componimus annum,
Te quoque ad exequias præfica Muſa vocat,
Qui toties tumulas meritis illuſtribus annos
Virtuti ſtatuens tot monumenta tuæ,
Qui tot diſpenſas rerum momenta vicesque,
Diſtinguisque ſuis ſingula temporibus.
Nil Tibi decreſcit cum decreſcentibus annis.
Per mortes creſcunt tempora ducta ſuas.
Qui periit, Phœnicis more renaſcitur annus
Exequias ultus ſcilicet ipſe ſuas.
Quin obeunt horæ, luces, cum menſibus anni,
Maxime ne poſſis *Præſes* obire diem.
Perge triumphatum tua ſub juga mittere tempus.
Nil ætas in te prodiga juris habet.

At

At Tibi quot pereunt repetitis mortibus anni,
Tot Tibi poſteritas ſecula ſera dabit.

* *
*

Extremum hodie diem obit Annus
ſupra milleſimum ſexcenteſimum
octavus & ſexageſimus,
à gradu ſuo extremo dejectus,
dum Caper in Aquarii amphorâ ſubmergitur.
Exequias quibus commodum eſt ire hem tempus eſt!
Ollus ecfertur,
qui multos vitæ intulit, multos extulit.
Tumulate annum
Infantes anniculi vagientibus næniis, ipſi
vobis præficæ,
Pueri vel inter ipſa crepundia decrepiti,
Juvenes in ipſo ætatis flore deflorandi,
Viri in ipſo ætatis robore enervandi,
Senes fruſtra vel annum unum exſpectantes,
fruſtra priores jactantes,
Qui licet omnes congerantur,
In magno tamen anno vix eſtis ἡμερέβιοι,
Tumulate annum Theologi,
Anni Platonici vix unum momentum,
Æternitatis partem nullam,
ut nova nobis ſecula reſurgant,
nunquam moritura.
Tumulate annum Juriſconſulti,
quibus experiundo dies & anni utiles pereunt,
ut hujus anni præſcriptione
lites exſtinguantur,
ne mortalibus illæ ſint immortales.

Tumu-

Tumulate annum Medici & Philoſophi
cumque eo morbos corporum, temporum,
animorum,
ut ſana dehinc mens ſit in ſano corpore,
& à fine hujus anni auſpicia capiamus infiniti.
Adeſte vos Veſpillones Temporum,
Quotquot cum Lucullo tempora abliguritis,
Temporum helluones & victimæ;
Quotquot cum Menandro ſaltationibus eis inſultatis,
Temporum rapti vertigine;
Quotquot cum Bia orbem pervagando tempora
fugitis & fugatis,
orbis ludis Circenſibus acti,
Fortunæ rotâ nonnunquam vecti,
nonnunquam concuſſi;
Quotquot cum Scipione in regnorum everſionibus
tempora evertitis,
Ipſi eorum ſpolia;
Quotquot cum Ißnii diſcipulis ſomno integros annos
ſepelitis,
Ipſi temporum ſomnia & viva orbis cadavera;
Quotquot inter intervalla & ſpiramenta temporum
altum ſpiratis,
uno difflandi ſpiritu;
Quotquot per ſingula Signiferi ſigna
ſuſtuliſtis in perniciem temporum;
Quotquot
ſub Aquarii amphorâ Bachi amphoras exhauritis,
ſub Piſcibus natantibus fluxa profunditis tempora,
ſub Ariete dies & horas propellitis,
ſub Tauro littus aratis;

ſub

ſub Geminis animos duplices fovetis,
ſub Cancro eſtis retrogradi,
ſub Leone ungues in prædam acuitis,
ſub Virgine inter mulierum amplexus caletis,
ſub Librâ nulli ſuum tribuitis,
ſub Scorpio tempora veneno inficitis, ipſi Scorpii,
ſub Sagittario à ſcopo aberratis,
ſub Capro tenebroſo inter noctes & tenebras latitatis.

Adeſte
Omnium horarum homines,
quibus omnes pereunt
extremâ hâc horâ, extremo
hoc momento.

Adeſte
Temporum mancipia,
Qui tempori inſervitis,
ab anno præterito manumiſſi,
futuro iterum mancipandi.

Adeſte
Qui poſitis in fœnore nummis & tempora
& annos venditis,
quibus ſingula annorum funera perpetua dant fœnera.

Adeſte Debitores,
qui immortalem annum optaretis,
ad Græcas Kalendas ſoluturi.

Adeſte
Quotquot vivitis in diem,
nec conſulitis in longitudinem,
Quotquot in totâ Vitâ de tempore efferendo eſtis
ſolliciti,
Quotquot non dies ſolum, ſed integros etiam annos
comburitis,

hunc quoque ferali rogo componite.
Adeſte Mortales omnes,
qui à cunis ad curas damnati
quotidianis mortibus vivitis,
continuisque exſpirationibus & perſpirationibus
ſpiratis,
quibus ad ſingulos arteriarum pulſus
vitæ pars propellitur,
quibus ſingula momenta quædam ſunt
mortalitatis monumenta.
Nec anni tantum Climacterici exſpectandi:
Quot enim gradus ſol conficit, tot ad mortem
κλιμακτῆρας ſtruit.
Tumulate cum anno
Omnium temporum tempeſtates & injurias,
Omnes parentes & novercas dies,
Omnes feſtos dies & infeſtos,
tot vaniſſimarum cogitationum ephemerides,
tot de futuris conſiliorum annales,
ante annum finiendos.
Clavo annali & annum & curas configite.
Qui fuiſtis fures temporum
vel manifeſti, vel nec manifeſti,
quantum de anno præterito aliis ſubtraxiſtis,
ejus vel duplum vel quadruplum vobis ſubtrahitur de
futuro.
Qui exegiſtis annum
vel male, vel nihil, vel aliud agendo,
cum lacrymis tumulate, & ſtultorum voto:
O mihi præteritum referat ſi Jupiter annum!
Qui bene exegiſtis,
Inter riſus & gaudia Thracico more
ejus celebrate exequias.

Vos

Vos Temporum
Temperatores & obtemperatores Politici,
Magiſtri & Diſcipuli Hiſtorici,
Diribitores & Quæſtores Mathematici,
Deſignatores & notatores Grammatici,
extremum Anno perſolvite officium,
inque magnâ Temporum ſpelunca,
Annorum tumulo & utero,
inter tot ſeculorum, Olympiadum, Epocharum
reliquias recondite
Annum hunc
Ferrei ſeculi partem rubiginoſisſimam.
Conclamate
VALE. VALE. VALE.
ANNE
NOS TE CVM FILIIS ET NEPOTIBVS
SEQVEMVR
ANNE VALE.

AD
EVNDEM
E GAMBRIVIIS AD CIMBROS
REDVCEM.

O SALVE noſtris nomen venerabile terris,
Dulce decus Domini, præſidiumque Tui,
SALVE, qui patriis ſuccedis ſedibus Hoſpes,
Quasque Tibi mentes pandimus hoſpes adi.
SALVE Hoſpes, jam non(ſic ſpe præcepimus)Hoſpes,
Quem cupidi Noſtrum dicimus; Aula Suum.
Quem cupit ipſaSalus, quemDux, quem Patria ſalvum,
Altera Spes populi, Cura, Salusque tui.

O SALVE Domino, Cimbris, qui mille ſalutes
Mille redux dotes poſt tua terga trahis.
Fallor, an ipſa vocat cœli clementior aura
Floraque, jucundum quæ Tibi ſternit iter?
Fallor, an, ut Cimbro redeant ſua ſidera cœlo,
Arridet facie candidiore dies?
Quo Dominum ſolet ore ſuum, Te ſylva ſalutat
Omnis, & arcani conſcia rura boni.
Læta recognoſcit venerandos Patria vultus,
Et quod facundo ſpargitur ore decus.
Digna tuis, PRÆSES, ſervamus honoribus omnes
Gaudia, & affectu præmia digna tuo.
Illa oculi ſpargunt, oris teſtatur imago,
Pes, manus, abſcondunt pectora, lingua ſonat.
Hæc meritis manſura tuis monumenta reponet
Mens bona, mens ſemper plena memorque tui.
Sponte ſuâ veniunt faciles ad carmina Muſæ,
Et numeros afflat promptior aura meos.
Sed leve Carmen erit. Majoribus aula triumphis
Te feret. heic laudum tanta theatra patent.
Quam cupidè Dux ipſe tuis immergitur ulnis,
Et ſibi dilecti pendet ab ore Viri!
Quam volupe eſt notas audire & reddere voces,
Et grave conſiliis pectus habere domi!
Heic Te magnarum per tot molimina rerum
Aſtra ſuper noto Gloria calle vehet.
Æternæ ſtabunt tua circum tempora frondes
Seu Jove nate tuæ; ſeu Pater ipſe tuæ.
Redde Duci, Patriæ, PRÆSES, Te, Maxime, totum;
Patria ſic, ſic Dux redditur ipſe ſibi:
Nec noſtri Te cura prius, quam vita, relinquat;
Aut modò præ curis otia feſſus ames.
Quin

Quin cupidis potius tua da bonus otia Cimbris.
Utilis eſt nobis ipſa futura quies.
Hæc velit, hæc magni mercetur Patria, Princeps
Otia, quæ facilis, credo, nec ipſe neges:
Otia, difficiles ſed diſſimulantia curas,
Sed quæ perpetui plena laboris erunt.
Quid refert, an illa domi ſectere, forisne?
Quæ, quo non credas, ſunt operoſa loco.
Nunquam ſolus eris, fugiens aulamque forumque.
Aula Tibi mens eſt, mensque ſenatus erit.
Hæc ſemper partes ſeſe dum verſat in omnes
Provida, vel quod agat, quo vel agatur, habet.
Fulmina ſic agiles ſervant, ſic flumina motus,
Fluctibus hæc; flammis illa vibrata ſuis.
Fors Tibi ſunt, aliis quæ magna negotia, ludi:
Forſitan ipſa quies irrequieta foret.
Ergo Te precibus tandem permitte tuorum,
Ac operi ſuetas fortiter adde manus.
Sis Noſter, maneasque, regit dum ſpiritus artus.
Id Dominus, Populus, Pindus & Aula petunt.
Si quid vota valent, ſi quid pia carmina poſſunt:
Injicient validas illa vel illa moras.
Et votis tamen eſt pulchrum parere modeſtis.
Inducent pedibus carmina vincla tuis;
Carmina, quæ cœlo poſſunt deducere lunam,
Stare jubent fontes, ſidera, ſolis equos.
Quo Te læta tulit naſcentem Cimbria primùm,
Hoc tenet, hoc nunquam Tu rapiere ſinu.
Illa Viri curas toties experta fideles
Solari vegeti ſe cupit ore Senis.
Illa Tibi ſtabili firmabit robore pectus,
Ut mentita ſenem priſca juventa fluat.

Jam, reor, ipſa Tibi, quâ veſcere, fabricat auram,
  Qualis erat, primam quam Tibi blanda dedit.
Hanc fovet igne ſacro, fumis felicibus armat;
  Hanc locuplete Tibi ſufficit usque penu.
Tu modò ne dubita noſtris Te reddere habenis,
  Ut ſit noſtra tuâ ſalva ſalute ſalus.
Sollicitæ numeremus ut otia longa ſenectæ,
  Da vitæ, quantum reſtat, habere tuæ.
Sic Tibi, quam nobis impendis, Numina curam
  Impendant! faveant, quam bonus ipſe faves!
Sic, nobis quot forte dies conſumis & horas,
  Ducere longævo tot Tibi ſecla velint!
Sic, poſtquam feſſum meritis exhauſeris ævum,
  Natorum ſpectent altera ſecla decus!
Quos longi referant, ſpes Gentis Herique, Nepotes:
  Tres unum ut referunt mente fideque Patrem.

AD

EUNDEM

De reſtituta Valetudine

Gratulatio

Scripta alieno nomine.

O Magna Gentis Gloria Cimbricæ,
KIELMANNE, Magni Præſidium Ducis,
  Cui ipſe Pæan, cui Camœnæ
    Supplicibus famulantur aris,
SALVE! ſonoris addita plauſibus
Audi diſertæ jubila Patriæ,
  Et geſtientis vota Pindi
    Sollicitis animoſa fatis.

SAL-

SALVE! minorum me quoque gentium,
Nullo crepantem carmina ſpiritu,
Audi Poëtam, tinnientes
Dum pepulit manus unca chordas.
SALVE tuorum ſpes pia Civium,
Quo ſalva ſalvo patria Præſide
Poſt triſtis expugnata morbi
Semina nunc nova ſumit ora.
Heu quis paventi vultus Apollini?
Quis ora ſqualor, pectora quis ſtupor
Hauſit, Tibi dum per rebelles
Vis furit inſidioſa venas?
Idem propinquæ viſcera patriæ
Pervadit horror, idem agitat dolor.
Tecum laborat publicarum
Cura ſalus requieſque rerum.
Cum Te Caduci deſtituunt pedes,
Non ipſa talis Cimbria ſtat ſuis;
Cum Tu recumbis, tota fuſo
Sternitur emoritura collo.
Afflicta mœret Curia Principis;
Nec iſte vivax legibus eſt color;
Gemunt Cathedræ, fervidisque
Excutiunt ſuperos querelis.
Non ipſe vectigalibus abfuit
Apollo plectris; ipſe ſacros Tibi
Propinat hauſtus, & potentes
Temperat exacuitque ſuccos.
Omnes ſaluti vota ferunt tuæ.
Sæpe ipſe, duram exoret ut Atropon,
Exile plebejumque carmen
Aoniis Tibi ſtringo nodis.

 Evax,

Evax, Quirites! ejicitur pio
Morbus flagello, pellitur improbus
Fugamque nunc tortor capeſſit
Non ſolido rediturus ævo.
Jam nube pulsâ vicimus horridum
Injurioſi turbinis impetum.
Subducta ventorum furori
Navis avi volitat ſecundâ.
Clavo Magiſter maximus adſidet.
Et jam recentis conſcia gaudii
Stant littora, & latè ſonantes
Fama volat ſubitura campos.
Vivis (benigno gratia ſit Deo!)
Vivis, renatæ Gloria Cimbriæ,
KIELMANNE, veſceriſque porro
Æthereâ renovatus aurâ.
O vive, Neſtor noſter, & Optimi
Columna princeps Principis, & latus
Suppone robuſtum gravato
Herculeosque humeros Atlanti.
Immenſa grati præmia Te Ducis
Semper manebunt, Muſaque tinnulo
Loquetur auro: Te tuorum
Docta cohors recinet Quiritum.
Jam laureatus Rumor eburneis
Te tollit alis, atque ſequacibus
Horas Tibi frenat curules,
Ut glomerent nova ſecla, loris.
KIELMANNE VIVES. Hæc Tibi liberis
Acclamat omnis Cimbria plauſibus:
Hæc fata, concordesque Divi:
Hæc cupidi voluere Cives.

AD

AD

EVNDEM

De Inſcriptione Monumenti funeralis adornandâ me compellentem.

ERgo quod annales, calamos & ſecla fatiget,
Claudendum anguſto marmore nomen erit?
An capiant tabulæ, quod nec monumenta loquantur
Mille, loquax vivo quæ Tibi fama ſtruit?
Heic juſſis, KIELMANNE, tuis parere recuſem,
Ars mea ne meritis fiat iniqua tuis.
Herculei nequeunt compendia ferre labores:
Ilias exiguam nec ſubit illa nucem:
Deprecor, ô PRÆSES, Te permittente, Poëtæ
Hoc de Te nolim nunc licuiſſe ſcelus.

AD

PERILLVSTREM ET EXCELLENTISSIMVM

DOMINVM,

DN. FRIDERICVM CHRISTIANVM KIELMANNVM à KIELMANSECK,

Strena Kal. Jan. Anni cIↃ IↃc LXXIV.

DUm novus auſpiciis felicibus incipit annus,
Solis & emenſo vertitur orbe labor:
Dum rigidi pereunt caperatâ fronte Decembres,
Submergitque pigrum mobilis urna caprum:
Votorum toto tempeſtas fervet in orbe,
Omniaque ominibus perſtrepuêre novis:

Ipſaque quæ vultu radiat Natura ſereno,
  Excutit indignas nunc rediviva nives:
Et ſibi naſcentem compellat Tityrus annum,
  Fœcundum largâ quem ſibi meſſe cupit.
Hunc multo gravidum ſibi fœnore providus optat
  Inſtitor, ut ſterili ſubtrahat æra moræ.
Sollicitæ veniunt illi fugiuntque Kalendæ,
  Et vacuum labi vel dolet ille diem.
Magna aliquis dederit pauperrimus ipſe talenta,
  Attalicas animi parturientis opes.
Illa domos aliis promiſerit & nova regna:
  Hic cœlos: ipſum ſpondeat ille Jovem.
Arceſſant alii votis felicibus annos,
  Et fauſtos jubeant ire redire dies.
Illos, Magna Patris Magni, KIELMANNE, propago,
  Auſpicio pandis proſperiore Tibi:
Ipſe DVCI pandis, Magno ſucceſſor Atlanti
  Herculeum promptu ſuppoſuiſſe latus:
Utque animos, ſic vota rapis: quæ ſumma volentes
  Fundimus, & numeris uberiora damus.
En ſtudiis gens tota ſuis certare laborat!
  Reſpondet genti DVX pius ipſe ſuæ.
TE Domino impendis totum: ſeſe ipſe rependit.
  Ut benè Tu populo; ſic cupit ipſe Tibi.
Ipſa Salus veſtra eſt. Magnis cum Fratribus ipſa
  Te ſalvum, & Magno cum Genitore cupit.
Quos ætas adimit, de noſtris addimus annos:
  Elapſos reddis Tu tamen ipſe Tibi.
Ipſe novos meritis novus immortalibus annos
  Sufficis; illa Tibi nomina longa dabunt:
Et faſtos pandent, Virtutis regna paternæ,
  Virtutis quondam regna futura tuæ.

Nunc cum Sole Tibi redeat labor actus in orbem,
Quo potes ign: vos vincere teſte dies.
Vince dies annosque! tuum eſt cum grandibus aſtris,
Cum DVCE partiri ſecula, cumque PATRE.

IN
FASCES ACADEMICOS
ERICI MAVRITII.

SPlendida ſurgenti ſurgant nunc ſidera Pindo,
Purpureo feſtus rideat ore dies.
Muſæ agitent ſacram per dulcia carmina lucem,
Mille agitent fidibus barbita, mille lyras.
Aonii ſplendent MAVRITI nomine faſces.
Spargantur flores votaque mille ſonent.
Ingreditur ſummo Rector ſublimis honore,
Perque vias vulgi lumina prona trahit.
Jamque novum Themidos noſtras diadema Camœnas
Protegit & Sceptro vindice Phœbus ovat.
Myſtaque jam Themidos faſces MAVRITIVS ornat,
Inſignes inter gloria ſumma viros.
In quo ſummus honos doctrinæ & vivida virtus
Purpureæ lucent tam bene juncta togæ.
Caſtaliæ ſcatet hic fons diviniſſimus undæ.
Fronte ſub hâc Pindus Cyrrhaque tota latet.
Nam quas non agitat curis felicibus artes?
Quæ non ingenii continet ille ſinu?
Quod ſi jus dicat doceatque, Oracula Divam
Ore putes ſancto fundere ſancta Themin.
Macte novis laudum titulis, Vir maxime, macte.
Creſcet tot donis gloria noſtra tuis.

Nil

Nil licet invidiæ: Te nulla calumnia lædet
 Aſpergens maculis candida quæque nigris,
Tu nunc ingenti libratus in aëra pennâ
 Major humo ſuperas inter agêre plagas.
Cum virtute Tibi creſcet tua gloria. tradunt
 Se fortunæ alii; traditur illa Tibi.

AD
CHRISTOPHORVM FRANCKIVM
cum Sceptra Academica illi traderet.

ET nunc pono meos, ſed non invitus, honores,
 Inque humeros volvo nunc onus omne tuos.
Inſuaves mihi ſunt, & turbant otia, curæ,
 Præ quibus ipſa lubens ſpernere regna velim.
Odi amplos titulos & ovantis ſyrmata famæ.
 Res aliis placeat magna, ſit arcta mihi.
Me Bona Mens regno, ſed Regem, ſubdat herili.
 Ipſe meus, mihi cum ſervio, Cæſar ero.
Me juvet eſſe meum: partes ne ſcindar in omnes,
 Integer ipſe mihi ſim, ſociusque mei.
Heic ego degenerem poſt terga relinquere mundum
 Et mihi, quantus ero, vivere totus amem.
Ipſe mihi Muſisque canam, lapſosque per annos
 Antevolans animo ſecla futura legam.
Ipſa tamen fallunt præſentia: fallimus ipſi
 Tempora, & in patrium pellimus illa nihil:
Cumque ſui ſpolium rapitur, rapit omnia ſecum,
 Omnia tempus edit; ſe quoque tempus edet.
Hæc ego præcipiens animo mecumque revolvens,
 Nil ebur & faſces (nomina vana) moror.
Mecum habitem, ſimque ipſe mei, ſine lege tyrannus:
 Incola ſit orbis, non minor orbe, ferar.

Te nunc ergo habeat poſt me, FRANCKI, iſta ſecundum
PVRPVRA: nunc humeris ſplendeat illa tuis.
Virtutis ſaturata tuæ nam fulgure, quò plus
Lucis adoptivæ, plus habet illa ſuæ.
Disjiciat noſtras lux illa ſerenior umbras,
Pulchrior ut nobis, Te Duce, ſurgat honos.
Purpureis niteas fortunæ filius albæ
Veſtibus: æra aliis cum triplicata ſedent.
Non ego vel trabeas, vel pallia poſco: ſat eſto
Intra pelliculam poſſe latêre ſuam.

SCEPTRA tene! ſed quæ Regum dominantia ſceptris
Plus decoris, regni plus geminata notant.
Sunt etiam Clariis ſua regna ſororibus: illa
Dant populis Reges regna, docentque datos.
His trabeæ ſubſunt, faſces, diademata, ſceptris.
Gentibus hæç leges regna dedere ſuas.
Partem aliquam Reges: totum Sapientia mundum
Occupat, & regnat latius illa domi.
Arctius his regnum eſt: Tu ſceptra capeſſe, nec illis
Rex minor: hæc quoniam ſpernere regna potes.

Ne noſtri lateant modò Te myſteria Regni,
Quos tradam, LIBER heic unus & alter adeſt.
Hic Cives notat: heic habitant cum Conſule Rhetor,
Præſul, Eques, Medicus, Myſta, Ducumque Duces.
Integra ab hoc nobis Reſpublica ſemine ſurgit:
Hoc utinam numerus nemo ſit in numero!
Alter habet placidas, regni munimina, leges.
Lex ſuprà leges vivere ſumma foret.
Optimus eſt nobis, & erit ſibi Civis, honeſtâ
Spernere qui leges ambitione poteſt. Tu

Tu quoque, quæ vanâ nunc ludis imagine ſenſus,
  Aurea PAX, noſtris teſſera rebus ades.
Hæc oculos paſcant noſtros INSIGNIA: nam vel
  Grata, licet fugias, nominis umbra tui eſt.
Ipſa jaces; ſtat imago, & divite copia cornu,
  Hei mihi! nunc lateri non benè juncta tuo.
DIVA veni, noſtriſque redux illabere ſignis:
  Nec patere hoc nobis nomen inane coli.
DIVA veni, venies (ſic auguror) utque laceſſunt
  Te tua ſigna, novum ſponte ſequêre Ducem.
(VES:
Hæc quoque nunc dantur geminæ tibi, pignora, CLA-
  Ergo velis noſtris JANVS adeſſe ſacris.
Pande novos nobis, & te novus ingere faſtis,
  Ut poſt bis ſenos nunc novus annus eat.
Ut tecum veniant placidi poſt nubila ſoles,
  Promittantque hilares aſtra ſerena dies.
Heic tibi ſi, BONA MENS, ſi, VIRTVS, ponimus ædem,
  Contiguusque illi limina ſervat HONOR;
Tu portas aperi: dignis penetralia pande:
  Exulet indoctum, Te prohibente, pecus.

En Tibi nunc ipſam, quæ tadidit omnia, dextram!
  Hâc ſpondente, tuum me Tibi munus habe.
Nunc curas cum verſo meas, cum denique totum
  Me permitto mihi: me quoque dedo Tibi.
Quò Tu cumque vocas, faciles tua ſigna ſequemur:
  Ut ſit in obſequio gloria tota meo.
Ecce tibi ſacræ ſonuerunt plauſibus ædes:
  Et facilem ſpondent tot tibi vota DEUM!
Circumſtant miſcentque tui pia murmura Cives,
  Et ſtudii properant edere ſigna ſui.

VI-

VIVE! novo tua ſe Virtus ſpectanda theatro
Efferat, & plenum carpat honoris iter.
Purpura, Sceptra, Libri, Claves, Inſignia, FRANCKI,
Oſtendent nobis Te; facis ipſe Virum.

IN
DN. JOHANNIS NICOLAI PECHLINI,
Faſces Acad.

HOlſatico ſalve lux ô gratisſima Pindo,
Et meritò feſtos inter habenda dies!
Cujus ad exortum ter movit Delia laurûs
Culmina, ter fremitum Caſtalis unda dedit.
Quem Citharæ plauſu, quem ſacrô carmine Phœbus,
Et totô celebrant ex Helicone DEÆ.
Sic favet inque Tuos, Vir Maxime, fervet honores
Pierii paſſim dedita turba Chori.
Te Fratrem agnoſcunt doctæ, PECHLINE, Sorores,
Auſpiciisque petunt noſtra Lycéa Tuis.
Ergò age, jam meritas, Daphnëia munera, laurus,
Aoniæque libens ſceptra capeſſe Domûs.
Cernis ut hinc facili plauſu votisque Juventus
Æſtuet, ad nutus officioſa Tuos.
Ipſa Tibi ſiſtit ſe turba novena Dearum,
Et triplici meritum veſtit honore Caput.
Prima decet Medicum, decet altera Laurea Vatem,
Tertia laurigeri dat Tibi jura DEI.
Sic annos Virtute Tibi, ſic ſecula texis,
Nec ſinis hibernos frigora ferre dies.
Alter ad Auſtrales abiit Sol devius oras,
Et fugit averſô limina noſtra pede.

Alter

Alter ab Arctoi Regis complexibus exit,
Quem recipit votis Cimbria noſtra ſuis,
Et nunc lætus adeſt, membriſque animôque refectis
Ad ſua mox Atlas munia grata redit.
Ne tamen innumeri creſcant ſub mole labores,
Has Tecum curas dividit Ipſe ſuas.

IN
ADAMI TRIBBECHOVII
Honores Doctorales.

GRatuler an doleam? Quid non Tibi ſcribat Amico
Noſter amor, dum Tu culmen honoris adis?
Si ſcribo bona verba; ipſis in faucibus hærent:
Turbat enim ex aliâ gaudia parte dolor.
Scindimur officiis: dolor hinc Te luget ademptum:
Hinc totus ſeſe in jubila ſoluit Amor.
Ergo quid faciam me nunc divulſus ab ipſo?
Scribere cum cupiam plurima; malo nihil.

ADAMO TRIBBECHOVIO,
Gotham ad munus Conſiliarii Eccleſiaſtici capeſſendum abeunti.

SI mihi fœcundis ferveſceret imbribus Aon,
Si fureret toto mens habitata Deo,
Funderer in numeros dulci laudator Amico,
Et ferrem, atque pari ferrer ad aſtra gradu:
Nunc inconcinnò mihi perſtrepit icta tumultu
Barbitos, & láſſis deficit ægra ſonis.
Ergo reluctantes jungam malè fœdere chordas:
Namque dolor lacerat, quas modò jungit amor,

Has-

Haſque mihi rumpi fas eſt, Chariſſime, dum Tu
Theſëi rumpis vincla ſodalitii,
Quæ ſincera fides à tot mihi nexuit annis,
Quæ cuperem nullo diſſoluënda die.
Illa tuos primùm mihi conciliavit amores;
Illa meos potuit conciliare Tibi;
Ne memorem innumeras in amico pectore dotes,
Et fœtum variis artibus ingenium.
Illa domi mihi nota, foris memorata loquuntur
Pulpita, totque animi pignora pulchra tui.
Ipſe ſuos per Te ſibi creſcere vidit honores
Pindus, & eximium Cimbria faſſa decus.
Nunc decus hoc illis rapiunt, mihi gaudia, rebus
Fata benigna Tuis, inſidioſa meis.
Ibis, Amice, ſacri pars nunc præclara Senatus,
Quò pia divini Principis aula vocat.
I Bone, ſi noſtras ſpernis refugisque querelas,
I Bone: Vive mei tempus in omne memor:
Ipſe Tuus, ſpatiis quamquam diviſus, habebor,
Dulceque, dum vivo, Tu mihi nomen eris.
Sed quid verba juvat bona, mollia, perdere? cum nil
Durius extremâ ſit mihi voce: VALE!

CASPARI MARCHIO,
Berolinum ad Conſiliarii & Archiatri munus capeſſendum abeunti.

ITe leves Elegi, quales & pectore puro.
Et trepido incompti ſurgitis ore mihi,
Vocali quos non aſperſit Pegaſus imbre,
Nulla Charis tinxit nectare, nulla Venus.
Ite tamen, noſtris dum ſe modo *Marchius* ulnis
Surripit, ille ſui gloria magna chori.

Ille mihi multis charus, venerabilis usque
Nominibus, fidâ junctus amicitiâ.
Cujus ego nullo ſatis effero carmine dotes,
Quin laudes poſſint hæ ſuperare meas:
Cujus in ære meæ (juvat hoc meminiſſe) Camœnæ,
Donec Parca mihi tempora nebit, erunt.
Ite leves Elegi: fidos nec enim ille ſodales
Spernere, cum Domino non licet ire, volet.
Ille quidem lateri comes indivulſus ad omnes
Ire plagas, illo ſed præeunte, velit,
Nunc animus tantum veſtigia ducta ſequetur,
Et fauſtum votis eſſe jubebit iter.
At Tu perge tuis, ô Amice, inſiſtere cœptis.
Quo fortuna vocat Te tua, verte pedem.
Si nullæ valuere preces, ſi nulla morantur
Vota, ſubi felix, quod meditaris, iter.
Sume novos Tibi quos offert FRIDERICVS honores,
Quem Tu conſiliis promptus & arte juves.
Huic nova Tu ſolers Hygieiæ oracula pande.
Huic animi doctas prome ſagacis opes.
Vive, memorque mei felicibus utere fatis.
Ipſe tui vivam tempus in omne memor.
Nomen & abſentis referam queribundus Amici,
Et deſiderii pars eris ampla mei.
Vive! Vale (quid enim votis nunc amplius addam?)
Conſpirent votis fata benigna meis.

AD

CASPAREM SWARTZKOPFIVM
ET
CASPAREM VOIGTIVM,
In ordinem Conſulum Viſmariæ cooptatos.

NObile Par Patrum, quorum ſe credit habenis
Patria, nunc per vos reddita tota ſibi:
SWARTZKOPFI, cujus toties Themis ore locuta eſt
Civibus & ſummo jura probata foro:
Suada cui voces; prudentia temperat artes;
Blanda Charis mores ornat, & auſa fides.
Tuque ô complures propius mihi juncte per annos,
Pieridum, VOIGTI, noſter & urbis amor,
Qui meritis ultrà titulorum ſyrmata pridem
Surgis doctrinæ fuſus in omne genus:
Nec levis Aſtrææ fugientis gloria: magnum
Addite nunc patriæ rebus uterque decus:
Ambo animis, ætate pares; virtutibus ambo;
Ambo nominibus muneribusque pares:
Par precor ô geminos fortuna ſecundet honores;
Ut modò virtuti par comes ivit honos.
Par latus, atque pares oneri præſtare lacertos,
Quos Patriæ Atlantes par modò junxit amor;
Utque pares eſtis vobis; ita faſcibus eſte.
Non gravat hic junctos mente operâque labor.
Aſt ego, cum paribus deberem aſſurgere plectris,
Imparibus dico nunc bona verba modis:
Sera quidem, ſed vera tamen, ſed neſcia fuci,
Quæ veſter, Patriæ quæ mihi dictat amor.

Vos parili, dum vivo, fide conſtanter, & illam
(Diî date, ne patriæ pars inhonora) colam.
Huic mea nunc veſtros pietas gratatur honores.
Patria Vos; Patriam veſter at ornat honos.
Sic geminis fulget Pollux cum Caſtore flammis,
Solantur dubiam cum pia ſigna ratem.
Sed Vos officium ſeræ ne ſpernite Muſæ.
Claudicat alterno tardior illa pede.
Non hæc tarda tamen, dum publica commoda durant;
Hoc ſerum, quando cauſa perennis, erit.
Gaudia nec mihi ſunt horaria; creſcit in horas
Dum trahitur pietas lentior, inque dies.
Quæ ſeros Patriæ memoranda ſuperſtes in annos,
Tarda nec eſt pietas, nec mihi ſera dies.
Quin properent alii fugitivos edere plauſus:
Pondus habet, tardo quæ pede Muſa venit.
Qui procul à patria vobis bonus optima Cives
Unus poſt omnes nunc cupit, ille cupit.

IN

ABRAHAMI HINCKELMANNI

Honores Theologicos.

QUos Tibi non fontes, quæ non Tibi plectra cierem?
Noſter amor, Pindi Pieridumque decus,
HINCKELMANNE, ſacro qui dudum percitus œſtro
Tot Sophies animo colligis unus opes:
Seu illa ore novo cunis procedat Eois;
Heſperiis redeat ſive rehata plagis.

Nunc tenues Tibi ſcribo, merenti maxima, verſus;
Nunc bona verba, mei munus amoris, habe.
His ego felices jubeo, quos ſumis, honores:
His ego ſucceſſus apprecor usque novos.
Lenta Tibi crevit gradibus fortuna modeſtis,
Quæ Tibi ſecurum ſtravit honoris iter.
Explorare tuos primum voluere lacertos,
Nunc latus Herculeum Fata humerosque probant.
Et Deus hoc Te calle, per hæc veſtigia, duxit;
Ut ſpatiis ires lætior usque novis.
Tu teneros primum paviſti ſedulus agnos,
Credita cum curæ chara juventa tuæ:
Seu illam ætherei ſaturares munere lactis,
Aonidum ſeu Tu paſcua plena dares.
Vidit grata pios meminitque Lubeca labores,
Et doluit raptum, Te fugiente, decus.
Hinc vigil ad majora vocaris ovilia paſtor,
Gambriviæque Ducem ſponte ſequuntur oves.
Sic Tibi cum curis ſuccrevit adultior ætas:
Agnos prima dedit; ſed dedit altera oves.
Tertia nunc ipſos Tibi ſubjicit ecce! Magiſtros,
Et nunc Paſtorum Tu quoque Paſtor eris.
Ipſeque Doctorem Te Doctorum ordo ſalutat,
Conſtituitque Ducem Dux pius ipſe ſuum.
Nos Tibi nunc titulos ſuſpendimus atque tiaras,
Candoremque notat purpura noſtra tuum.
Purpura, quæ tinctum Tibi ſanguine nunciet AGNUM
Nempe color mentes ornat uterque pias.
At ſanctum Tu paſce pecus, pecorisque magiſtros,
Et quo Te ducit ſignifer AGNUS, abi.
Crede, Tuos olim ſolabitur ille labores,
Cum grege Paſtorem paſcet & ipſe ſuum.

AD

NICOLAVM ALARDVM

ipſo Bonifacii die Theologiæ Doctorem renunciatum.

EUge BONVM FACTVM! Doctor Bonus audit ALARDVS,
Qui faciens bona fit nunc opus ipſe bonum.
Sacra bono tantos lux omine ſignat honores:
His dicenda bono ſunt bona verba die.
Cum Pater omnipotens rerum genus omne crearet,
Fecit opus, vidit tùm, Bonus ipſe, bonum.
Qui modò Doctorem Te ritè creavit, ALARDE,
Fecit opus, vidit nunc, Bonus ipſe, bonum.
Et videt ille bonum, benè qui facit omnia, qui fons
Ipſe boni eſt, veniens ad ſua ſacra DEVS.
Panditur hoc Orbis magno Schola magna Magiſtro.
Sunt bona, ſuntque boni: ſunt mala, ſuntque mali.
Illa fac, & patere hæc: ſequere illos, hos fuge: Nullus
Major ab exemplo Te mihi Doctor erit.

JOHANNI DIECMANNO

pro ſummis in Theologiâ honoribus

DE

NATVRALISMO

diſputanti.

DIECMANNE, Aonidum decus Sororum,
Quem linguis tot & artibus ſubactum
Optat ſanctior Herculem palæſtra.
Nunc pulchrâ redimitus ora lauru,
A noſtris cape præmium Camœnis.
Omnes plaudimus uni, & eruditis,
Quos de gente profanâ agis, triumphis.

Hæc

Hæc Te bella vocant: quid ad minutas
Pugnataſque juvat redire pugnas?
Hæc fortes ſibi flagitant lacertos.
Cum victos alii inſequantur hoſtes,
Et cauſis levioribus triumphent;
Ipſos qui jugulum petunt, cruentos
Tu telo jugulas ſuo latrones.
Vulpes illaqueant luposque multi:
Sed ſolus necat Hercules Leones.

SAMVELEM SCHVLTZIVM

poſt Diſputationem

DE

HODOMORIA MVHAMMEDANA

SS. Theologiæ Doctorem renunciatum.

SOla VIA eſt nobis, ſolus SAPIENTIA Chriſtus,
Quam gens ſtultitiæ nomine ſtulta notat.
Diſcite ſtultitiam hanc populi! Sapientia prima eſt
Sic inter Sanctos deſipuiſſe Sophos.
Altera Stultorum via devia ducit ad orcum.
Hanc docto Præſul SCHVLTZIVS ore notat.
Stultitiam cujus Sapientia vincit inanem,
Cum Mahumedanæ conterit arma Scholæ.
Ille ſibi ſapiat furor. Hunc Sapientia, quamquam
Stulta foris, celsâ ridet ab arce domi. (a)

(a) Boët. de Conſ. Philoſoph. lib. 1. Proſ. 3. *Stultorum numeroſus eſt exercitus, ſpernendus tamen eſt, quoniam nullo duce regitur, ſed errore tantum temerè ac paſſim lymphante raptatur. Qui ſi quando contra nos aciem ſtruens valentior incubuerit; noſtra quidem dux copias ſuas in arcem contrahit. Illi vero circa deripiendas inutiles ſarcinulas occupantur. At nos deſuper irridemus viliſſima rerum quæq; ſapientes, ſecuri totius furioſi tumultus, eoq; vallo muniti, quo graſſanti ſtultitiæ adſpirare fas non ſit.*

AD

BARTHOLDVM KEMPIVM,

poſt diſputationem

DE

RELIGIONE RATIONALI

Summis in Theologiâ Honoribus
Ornatum.

PUgnaſti KEMPI: nunc ornat tempora laurus,
Quam Ratio victrix, quam Tibi victa dedit.
Pugnet & impugnet, vincat, vincatur: ab omni
Parte Tibi Laurus cum Ratione venit.

AD

GEORGIVM LINDENBERGIVM

poſt inauguralem

DE

TITVLO COLORATO

Diſputationem
Summis in Jure honoribus ornatum.

DUcta eſt linea. Prodeunt colores,
Permixti titulis ſuis colores,
Pictarum novus elegansque Legum
Quos LINDENBERGIVS edidit, ſupremâ
Tollens de tabulâ manus Apelles.
Quænam hæc ars nova? numquid hîc ſuorum
Judex cæca ſedet Themis colorum?
Ne rebus periiſſe quis colores,
Aut fronti putet. An docet colores?

Quæ

Quæ jam decolor & ruboris orbâ:
Ni quis ſanguine tingat, aut maligno
Incautæ oblinat ora honeſta fuco.
Pictorum nova numquid exhibetur
Nobis pergula, imaginumque ſcena?
Quæ pingat ſua fingat & refingat,
Ut pictor ſimulacra vana, jura,
Cervicem capiti virili equinam,
Et Diis jungat Hydras, Boves, Chimæras,
Nigra in candida vertat, alba in atra.
Sint noſtris procul hæc profana ſacris.
Non fumos Dea vendit atque fucos.
Lucis filia non amat tenebras,
Quamquam cœca: ſed his tamen tenebris
Lux immiſta novos parit colores.
Sed quos lux ſua detegit colores.
At Tu, cui TITVLVS COLORQVE dignam
Pandit nobilis ingenI officinam,
O Macte hoc titulo, colore! namque
Ut Leges titulo tuæ rubeſcunt,
Sic Tu purpureâ rubes tiarâ
Lex viva, & ſolido, gravi, decoro
Spectatum omnibus, omnibus colendum,
Et virtutibus artibusque tinctum
Te monſtras titulo, colore pingis.

Πρὸς τὸν εὐκλεέστατον
ΟΘΩΝΑ ΤΟΝ ΣΠΕΡΛΙΓΓΙΟΝ,
τῆς νομικῆς τέχνης διδάσκαλον ἀναῤῥηθέντα.

ΕΙσὶ δοκησίσοφοι, δυσχείμεροι, ὀφρυόεντες,
Καὶ μεγαλόλαλοι, καὶ περιαυτολόγοι,

Τοῖς μέν τοι Ἀςραῖα ἐνὶ ςήθεσι φίλοισι,
  Οἵη ἐν οὐρανίοις δώμασι, ναιετάει.
Οἱ μὲν ἀεὶ δοκέουσιν ὑπείροχοι ἔμμεναι ἄλλων,
  Τῆς ἀνυπερβλήτου ςερρὰ θέμεθλα δίκης·
Μοῦσαι δ' οὔτε λόγου τινὸς ἄξιοι, οὔτ' ἀριθμηταί,
  Μουσάων τ' ἱερῆες εἰσὶν ἀτιμόταται.
Σοὶ δὲ, φίλε, ζεὺς σοὶ φρέν' ἀρείονα ἐγγυάλιξεν,
  Ἀσπάσιον Θέμιδι καὶ χαρίτεσι κάρη.
Καὶ σὺ κλέος μούσαισι καὶ ἄμβροτον ἔπλεο κῦδος,
  Καὶ θαλερὸν κλεινῆς ἔρνος εὐπρεπίης,
ᾧ ἐνὶ ἀρχαίης πυθμὴν ἱδρείας ὑπάρχει,
  Καὶ ἄνθος πειθοῦς χείλεσιν ἐκχλοάει.
Καὶ μὴν πυθμένοθεν τὸ δίκαιον δωδεκάκρουνον
  Ἤφυσας ἀκλεέος νῆις ἀεργοσύνης.
Σοὶ γοῦν σῆς ἀρετῆς λαμπρὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.
  Σοὶ γὰρ νῦν ςέφανος πλέξεται ἀΐδιος.
Ἠνίδε σοὶ λαμπῆρσι φαινόμενον αἰθομένῃσι,
  Καὶ σὺ δίκης φέγγος φραδμοσύνης τε πέλεις,
Καὶ φρενὸς ἄμμι τεῆς φάος ἐν ὁδὸν ἡγεμονεύσει
  Τῆς λαβυρινθώδους, δυσβάτου εὐδικίης.
Ἔμψυχον σε νόμων αἱ βίβλοι βιβλιοθήκην
  Δεικνῦσι κλειςαὶ καὶ ἀναπεπταμέναι.
Χρύσεα χεῖρ' εἴλιξ κάζει, κεφαλῆφι δ' ὕπερθεν,
  Πῖλον ἔχεις, ἀρετῆς σήματα, πορφύρεον.
Σήματα σὺ ςέλλεις, ἄλλους σημεῖα γεραίρει.
  Πολλάκις εἵματ' ἀνήρ, αὐτόματος σὺ δ' ἀνήρ.

DAVI-

AD

DAVIDEM FREDEKINGIVM

pro ſummis in Jurisprudentiâ honoribus

DE

MONTE PIETATIS

diſputantem.

Quos Tu nunc loqueris montes, FREDEKINGE, beatos?
Queis habitet Pietas & Jove nata fides?
Deſeruere illos, abduntur vallibus imis,
Totaque nunc pietas, tota ſepulta fides.
Exceſsêre illis Charites, pia Numina, Nymphæ,
Et Satyri regnant cum Satyrisque Lupi.
Namque alios Montes, ſoboles terrena, Gigantes
Per technas cumulant, fœnora, furta, dolos.
His faciles ducunt aliorum ex ære fodinas,
Impoſitisque ſtudent montibus ire polo.
O quot in his Tityis ſua carpit viſcera vultur!
Quot latitant Cacis antra habitata ſuis!
His quoties Hermes pecus omne doloſus abegit!
Cum fruſtra Battus prodere furta cupit:
Montibus, inquit, erant, & erant ſub montibus illis:
Hic abit in ſilicem: ſed rapit ille pecus.
Illic credideris forſan Jovis omnia plena,
Lapſus ut in Danaën aureus ille fuit:
Admiſſus propius; quantum eſt in rebus inane!
Exclames: quam ſunt omnia plena luto!
Fœnora cum ſperes gravidis de montibus, exit
Muſculus, & ſortem terra vorago rapit.

Æolus

Æolus hic reſidet: Ventis plena omnia, & ignis
  Suppoſitus cineri ſubdolus illa ſuo eſt;
Omnia qui lentis depaſcit litibus, aut qui
  Immenſis magnas rictibus haurit opes.
At vos à nobis Montes procul eſte profani!
  Digna nec ingenio cura ſit illo tuo.
Ille Sionæis, FREDEKINGE, in collibus hoſpes,
  Innocuas quisquis tendit ad aſtra manus:
Qui non injuſto corraſit fœnore: qui non
  Ex áliis raptas accumulavit opes.
Viſceribus quisquis miſerorum & ſanguine Cyclops
  Paſcitur, ille ſacris collibus exul eat.
At Te pro miſeris qui fœnora juſta tueris,
  Et Mammona pium nunc, FREDEKINGE, doces,
Monte ſuo Clariæ dignum ſtatuêre Sorores:
  Omnem, quo regnant, illæ Helicona movent:
(Si regnat, ſi non expulſa è montibus altis
  In trivio repit pulverulenta cohors)
Extruit ipſa Tibi Montes Themis almaque Virtus:
  Ipſe theatra tibi maxima pandit Honor.
Heic habita, ſpectans populos; ſpectandus & illis:
  Ut tua Te Virtus; ſic tuus ornat Honos.

FORTVNA VITREA
AD
JACOBVM Hoffmann/
Opticorum artificiorum peritisſimum,
Roſtochio ad munus Scholaſticum
abeuntem.

DOcte Vir, & noſtris magnum decus addite Muſis,
  URANIÆ cujus floruit arte thronus.

Qui

Qui liquidas gradiens, ſpretâ tellure, per auras
Fixa ſuis coram ſedibus aſtra vides.
Qui totum radiis ſolers metiris Olympum,
Exiguoque tenes ſidera clauſa vitro.
VITREA Te FORTVNA premit. Levis illa gravisque eſt,
Cumque tuo toties frangitur illa vitro.
Illa quidem ſplendet; ſplendent quoque ſidera: At illa
Frangitur, & tenebras lux habet iſta meras.
Non alit Artificem nunc Ars, necat illa, negatque
Vel tenuem, ut poſſit ſe tolerare, cibum.
Officit Officium, nec habet ſua munera munus,
Spartaque Spartanum ventrem animumque petit.
Cum famâ ſociata fames inhonora, ſoletque
Ingenio ſi quis nunc valet, eſſe miſer,
Obvia qui vidit ſpeculo phantaſmata veſtro,
Hic aliquid putat hoc, quod patet eſſe nihil:
Jam videt ante pedes, quod longâ ſede remotum eſt,
Corporaque appoſito turgidiora vitro.
Sic quoque nos tituli, ſic orbis gloria fallit.
Nil ſolidi vitrum, nil leve nomen habet.
Ampla foris ſpecies nitet, eſt anguſta domi res,
Quodque foris ſplendet, pulvis & umbra domi eſt.
Veſper adeſt Orbis, Res deficit, Umbraque creſcit,
Umbra ſecuturâ jam prope nocte minor.
Et Tibi, quem illuſtrem voco Lucis in arte, ſubinde
Involvit Lucem ſpiſſior umbra tuam.
Scilicet æthereos quis Cœli permeet orbes,
Et notet aſtra ſuis ducta reducta viis?
Nî ſciat errantes arcâ cohibere Planetas,
Et locet in loculis ſidera fixa ſuis.

Scili-

Scilicet adſpectus hos appellabo ſecundos,
Chemica quos loculis Lunaque Solque dabit
Carmina de cœlo poterant deducere Lunam,
Perque vitrum veſtri nunc rapuêre tubi.
Finge tubum, qualem non Cyclops bajulet ipſe,
Ex arcâ Lunam non trahet ille ſacrâ.
Te tamen ingeniti delectat gloria cœli,
Et deamas artes vel ſine dote tuas.
Mutuus hic labor eſt: nam quà deſcendit ab aſtris
Lumen, eâ regredi tu potes ipſe viâ.
Nectuntur radii, quos mittit ocellus & æther,
Et nodo vitrum jam propiore ligat.
His ducibus præſens Laribus ſuccedis amatis,
Æthereusque poli regna viator adis.
Aſtrorum ſic Rector eris, lateque tyrannus
Per totum quaties vitrea ſceptra polum.
Sive Jovi junctos properes deprendere ephebos;
Anſatumve petas per tua vitra ſenem;
Seu Phœbus maculas; Venus aut ſua cornua monſtret:
Cornua Vulcano ſed magis apta ſuo.
Seu Tu per Lunæ rapiaris opaca, notesque
Interfuſa ſuo flumina vaſta ſolo.
Heîc nitidi colles: ibi depreſſæ convalles:
Heîc varias ſparſum Cycladas æquor habet.
Sed tamen hâc oculi tantum dominantur in aulâ,
Amoto pereunt ſplendida regna vitro.
Illa quidem tenuis radius poſſedit Ocelli,
Sed nil, quod caperet dextera pinguis, erat.
Plurimus heic auro forſan mons turget: At illud
Non radii potuit radere lima tui.
Si Leo Lunari cecidit Nemeæus ab orbe,
Cur non hinc auri fulgida fruſta cadunt?

Si pluvio quondam deſcendit Juppiter auro,
Cur non & veſtros imbuit ille ſinus?
Si placet, in mediis lucem captare tenebris,
Et ſpecies intus condere mille potes.
Apparent turres, homines, fora, compita, vici,
Littora, aves, naves, prædia, rura, domus.
Sic tenebræ lucem produnt, cœcumque cubile,
Omnes quæ cernunt ſingula, cuncta videt.
Contrahit exiguum res in compendia vitrum,
Inque umbris rerum parva theatra patent.
Tu pictas miraris opes agileſque figuras:
Tollo vitrum, ac oculis ſubtraho cuncta tuis.
Si vis, è minimâ lapidem producis arenâ,
Et Lucam gignit muſca minuta bovem.
Mica parit panem, vermiſque minuſculus anguem.
Pone obulum, ac ingens mox tibi nummus erit.
Auget opes oculus vitro ſuppoſtus, & iſto
Judice, non vano fœnore dives eris.
Si poſſes oculos hominum his munire ſpecillis,
Tunc aliis dives forſan & eſſe queas.
Parturiunt radii; ſed inanis naſcitur aura:
Optica nec cuivis illa moneta placet.
Heîc oculi fallunt: ſed tum quoque dextera ſolers
Ponderat, & multis eſt oculata manus.
Sic Fortuna tuis obſiſtit vitrea cœptis!
Ars ſolida eſt, ſed opes vitrea fracta tuæ.
Scilicet æthereas quis Terræ filius artes
Æſtimet, aut dignô quis locet iſta gradu?
Sunt ventres, numeri, balatrones & fatuum frit,
Et fruges tantum perdere nata cohors.
Hi, quia non ſtomachos radius macer implet hiantes,
Ingenii ſpernunt nobilioris opus.

Sunt

Sunt quibus illuſtres mens non comprendit opaca
Artes,& damnant, quas capere illa nequit.
Hæc Artem vexant contraria fata decoram,
Et fragili fragilis ſors tua nexa vitro.
Sed ſpera. HOFMANNI nomen ſperare jubebit,
Præcipuumque bonæ nunc caput eſto ſpei.
Si Fortuna Tibi fuit hactenus invida, ſpera.
Aurea, quæ fuerat vitrea, forſan erit.
Scilicet Invidiam quodam quaſi jure mereris.
Invidet atque tubus pervidet omne tuus.
Hinc quia cuncta vides,ipſamque videre laboras
Fortunam, vitro eſt invida facta tuo.
At limos Tibi quæ Fortuna obvertit ocellos,
Mitia præbebit lumina deinde Tibi
Quæ jam intervallis ſerpit tibi tarda *minutis*
Gloria, majores quæret eundo *gradus.*
Nam licet æthereis diſcedas ſedibus, inter
Limina repturus pulverulenta Scholæ;
Ille tamen fœcundus erit præ luce vel umbra
Pulvis, & hoc lucem è pulvere forte dabis.
Gratuler an doleam? Creſcenti gratulor auro,
Quod doleo, labor eſt plumbeus ille tuus.
Scilicet infauſtas ſuperat labor ille triremes,
Morteque damnatum liberet ille caput!
Heîc reſides longo metuendus fuſte Magiſter,
Proque tubo dextram trux tibi Virga premit:
Virga, vagabundas quali Cyllenius umbras
Corripit, & clavâ ſævior Herculeâ.
Armiger heîc inter totas, HOFMANNE, phalanges,
Inculto dictas horrida jura gregi.
Qualia vel Minos turbæ dixiſſe ſilenti
Creditur, aut quales Æacus ipſe minas.

Hæc

Hæc tibi ſceptra manus, hæc arma Scholaſtica jactant.
Hinc ego nunc Vates Arma Virumque cano.
Plorantes adſtant Cathedræ, lamentaque crebra
Ac lacrymas inter labitur hora, dies.
Non Euclidéos ſignat tibi litera ſulcos:
Ignavo tantum fracta erit illa ſono.
Hic boat, hic reboat, gradiensque remurmurat Echo,
Vocaliſque ſtrepit per ſua ſcamna puer.
Quis queat ingratas audire & reddere voces,
Alphaque vel toto dicere beta die?
Hæc repetenda tibi toties recoquendaque crambe eſt.
Ingenio queat hoc figere theta meo!
Illa tui reſonant vaga tintinnabula ludi.
O miſerum, ſi quis non capit illa puer!
Hannibal ad portas! ferulâque ſonante ſoporem
Excutis, & toti fit jocus ille Scholæ.
Pœnaque Grammatica eſt, non is Tibi litera pendet
Longa; ſed ad ſcamnum litera curva jacet.
Prima tamen tenui latet hoc ſapientia fonte,
Hoc eſt, quo ſurgunt dogmata cuncta, chaos.
Ex hoc nempe luto Criticus finxiſſe Prometheus
Cuncta poteſt, Criticum hoc ille tribunal habet.
Hinc ſæpe ingentes abeunt in ſecula rixæ,
Quas ſpatiis genuit litera lapſa ſuis.
Heic tu Præſes eris liteſque ſecabis acutas;
Imperio ſubſunt nomina tanta tuo.
A, B, C, D, juſtoque ſequentes ordine fratres,
Seu Cadmi malis dicere filiolas.
Tolle has, elingues erimus, neque ſchemata Rhetor
Invenit, & ſua non verba patronus habet.
Turpe erimus pigrumque pecus ſine lege vel arte,
Æternumque premet nomina noſtra chaos.

Judæus cœlo legit hæc elementa Magiſter.
Cœleſtes potes hos dicere Grammaticos.
Ipſum elementa Deum claudunt, quid majus? & iſte
Eſt tuus. Alpha ſit hic O mega ſitque tuum.
Si tamen interea multum labor iſte gravabit,
Ipſe tuo genium lumine paſce tuum.
Hæc animi medicina tui eſt, tetricumque Magiſtrum
Mitigat, & leve ſit ſic Tibi ſemper onus.
Sic grato quondam minuit ſibi carmine curas,
Paſtor ubi Æmonium pavit Apollo gregem.
Sed Tibi jam radium MAGNI clementia mittit
PRINCIPIS, & nubes diſcutit ille tuas.
Sol erit ille tuus, pretioſaque lumina ſparget,
Sed vitro aut oculo non capienda tuo,
Seu fluat hic rectus radius Tibi, ſive reflexus;
Semper erit radio firmior ille tuo.

HENRICO MVHLIO,
LIPSIAM ITVRO.

FLos juvenum, MVHLI, vulgi quem ſorte remotum
Plenior ad montes Aonas aura vehit,
Quid dudum antevolas alis pernicibus annos,
Unde ſibi ſperant ſecula noſtra decus.
Vixiſti Cimbris gratisſimus hoſpes Athenis,
Et mea Te junxit menſa domusque mihi.
Nunc aliò raperis: doctorum magna virorum
Caſtalidumque parens LIPSIA namque vocat:
LIPSIA, cui ſoli meus haud invidit amicum,
Quæ tot cara mihi nomina ſervat, amor.
Heic etiam, MVHLI, (cupient nam jungere dextras)
Eximium tantis Te decus adde Viris.

MEN-

MENCKENIO multam die, FELLEROQVE ſalutem,
Et memorem officii me refer eſſe mei.
Cum domus excipiet Te RECHENBERGIA: Noſtrum
Hunc quoque, mutato nunc Lare, crede Tuum.
Ut noſtris pereant conſortia dulcia Muſis;
Non tamen hæc illâ ſorte perire querar.
Te novus exſpectat Muſarum hic campus Achillem:
Nec facit ad laudes una palæſtra tuas.
Nec Tu diſcentum tumidus ſubſellia ſpernis,
Qui poteras cathedris digna Virisque loqui.
Quicquid Eoa ſacri gens, quicquid lingua recondit,
Entheus ut retegas pectora fervor agit.
Nam neque ſola animum paſcunt Tibi verba: ſed ultra
Grammaticas rerum quæris opaca tribus.
Scilicet his in agris doctrinæ uberrima meſſis,
Si non mens nobis læva fuiſſet, erat.
Hæc ſequeris, MVHLI, hæc veſtigia pronus adoras,
Et ſpolia è latebris eruis illa ſuis.
Te nec Abysſini fugiunt, Arabumque receſſus.
(LVDOLPHVS tacitæ Dux fuit ipſe viæ.)
Ne tamen & Grajis ſis barbarus atque Latinis,
Te celebrat civem Pindus uterque ſuum.
Te Latiæ decorat majeſtas aurea Linguæ,
Et mollis Tibi vox, & ſine fæce fluit.
Nil vulgare ſonas, cum condis amabile carmen,
Cui frondes Phœbus non neget ipſe ſuas.
His animum incenſo ſtudiis quæ gloria deſit?
Quò non ingenii Te ferat ala tui?
Tu quoque Principibus miſcebere, & inter honora,
Quæ veniunt ſeclo, nomina nomen eris.
Tu Buxtorffiadas, Reuchlinos, Hacſpaniosque,
Tu Golios nobis Pocokiosque dabis.

At Tu vive memor quocunque ſub æthere noſtri,
Et famam meritis usque tuere novis.
Sic Tu majori ſpectaberis usque theatro:
(Is mihi nam de Te ſenſus, id omen erit.)
Eoum, Heſperium cum lingua colligis Orbem,
Quâ patet, ingenio ſubjacet ille tuo.

AD
EVNDEM
de collatis in Lipſ. Acad.
HONORIBVS PHILOSOPHICIS.

QUos dudum poteras, nunc demum ſumis honores,
O titulis major nobiliorque tuis,
O noſtris quondam, MVHLI, decus, Optime Muſis!
Sed quem nunc ſervat LIPSIA culta ſuum.
Illa tuo decori ſuſpendit præmia, Lauros.
Sed decus ipſe tuum TU, decoriſque decus.

JOHANNI POLZIO,
Lycéi Luneburgenſis ConRectori.

IN primis qui dignus eras conſiſtere POLZI,
Tertia nunc ſapiens ſive ſecunda tenes.
Immo tenes mihi prima, Scholæ qui regna capesſis.
Rex eſt, qui juvenes ad nova regna vocat.
Alcides erit ille mihi, qui monſtra retundat:
Qui foriis animos, ut ſtabula ille, levet;
Quique homines limo fingat meliore, Prometheus;
Quique novâ natos procreet arte, Pater.
Sed noſtro illorum mesſis rarisſima ſeclo eſt,
Qui recto juvenes ducere calle queant:
Vix

Vix ſunt, quot portæ Thebarum, aut oſtia Nili.
Barbaries aditus clauſtraque cuncta tenet.
Non Grajæ ſuus eſt linguæ decor, atque Latinæ:
Hellade vel Latio nunc pudet eſſe domi.
Totus Apollo ſilet, Maro, Tullius, Afraque Siren.
Omnem nunc Satyri penè Helicona tenent.
Impurum ſtreperumque genus, cornuque petulcum,
Ejice furcillis, ejice turpe pecus!
Excute barbariem, quantum potes, excute, POLZI!
Nam ſatis ingenii, nam ſatis oris habes:
Redde decus Latio, veteremque recollige Romam,
Aureolo Tullî qualis ab ore nitet.
Bella illi facies, ſine fuco, florida, vivax:
Non pallor, macies, non ſedet ore tumor.
Scilicet hæc curæ Tibi ſit Venus, atque Juventæ.
Hanc tuus ante mihi pinxerat ipſe Pater.
Ille etenim Grajos mihi fontes, ille Latinos
Oſtendit puero, duxit & ipſe manu.
Nam memini, & meminiſſe juvat, gratesque rependo.
Hunc iſtâ poteris Tu ſuperare viâ.
Gloria non minor hinc Tibi, quam ſi dicere cauſas
Abrotonumque ægro ſis dare doctus, erit.
Non arbor, non hortus erit, non vinea, ni ſit,
Qui foveat plantas, inſitione juvet.
Deme animis cultum, Cyclopum regna reſurgunt,
Unus Centauris eſt aſinisque locus.
Eſt aliquid Patriæ validos generare nepotes;
Major erit cives Laus generare bonos.
Sint Nati natorum, & qui naſcuntur ab illis,
Hos natura docet gignere bruta Patres.
Tu patriæ Cives gignis cathedrisque Magiſtros,
Et Patriæ, Patrum nunc pater ipſe, Patres.

IN
ADAMI HEROLDI
Lauream Philoſophicam.

PLaudite Pierides! jam culmina montis HEROLDVS
Scandit, & à vobis præmia digna capit.
Plaudite Pierides, docto dum laurea ſurgit
Vertice. Miſcemus jubila, vota, preces.
Sic juvat Aoniis usque impalleſcere chartis:
Pallorem ſequitur purpura læta ſuum.
Sic juvat ô totas ſtudiis conſumere noctes:
Lux etenim doctis noctibus ampla venit.
Quos ô Herolde animos, quot ad omnia pondera nervos
Exeris! Ingenio quàm rapis alta tuo!
Te veterum paſcunt præclara inventa Sophorum;
Eoæ paſcunt dogmata ſancta ſcholæ.
Quicquid & externis memorabile gentibus ortum eſt,
Colligis: Ingenii fundus id omne tui eſt,
Viderat inſignes Parnaſſius ordo labores,
Et votis æquum ſe dedit ille tuis.
Ipſa tuos properat laurus veſtire capillos,
Ambit & ipſa tuum prompta tiara caput.
Ipſa faces SOPHIE Tibi nunc accendit & auro
Ornat, in amplexus hinc ruitura tuos.
Illa Tibi libros, ſapientum pabula, pandit:
Illa jubet memori claudere mente libros.
Illa Tuos ſignant, quos Tu præſtabis, honores:
Optimus illorum Tu potes eſſe Faber.

STRE-

STRENA AD PARENTEM
nomine alieno ſcripta.

ERgo iterum veterem vivi nunc claudimus annum,
Et novus, Alme Parens, ad ſua vota redit.
Ille redit, redeunt mores cum tempore priſci,
Et ſtrenis fervent carminibusque dies.
Quisque ſuo dicit lætus bona verba Patrono.
Et mihi nunc aures vellicat iſta dies.
Illa mihi ſanctos in pectore ſuſcitat ignes,
Et monet, ut fauſtos comprecer ipſe dies.
Hæc Tibi mille, Pater chariſſime, ferre ſalutes,
Et tua quæ ſuperent, dicere vota jubet.
Si celebrant alii multo convivia Baccho;
Ipſe feram genio thura merumque Tuo.
Si veteres quondam tauri cruor imbuit aras;
Ipſe ſacris ſtabo victima viva Tuis.
Compita ſi votis, ſi votis templa ſonabant;
Me meliora Patri ſolvere vota juvet.
Optime vive Parens, quem PRINCEPS, quem pia vi-(vum,
Cimbria, quem ſalvum vel cupit ipſa Salus,
Quem Patrem proles, conjux dilecta Maritum,
Præſidiumque domus vivere tota cupit.
Ipſe Deus vires, cum viribus augeat annos,
Cumque Tuis annis augeat usque decus,
Utque novos novus usque mihi naſcare per annos,
De noſtris auctos dent Tibi fata dies.
Hæ Tibi ſint noſtræ, nati pia munera, ſtrenæ.
Non alia iſta poteſt munera ferre manus.
Si debent majora dari, pro munere totum,
Omnia qui dederas, me Tibi reddo Patri.

IN
LAUREAM PHILOSOPHICAM
FRATRUM
NICOLAI ET PETRI BRANDIORUM.

Cum ſitis ſimiles uterque vobis,
Et pares animis, amore, fratres,
Et pares ſtudiis, & arte fratres,
Vos rectè Obalios vocabo fratres.
Tu Caſtor mihi ſis, & ille Pollux.
Sed quanquam ſimiles uterque vobis,
Ac illis ſimiles; tamen vel uno
Eſtis diſſimiles uterque: nam cum
Non eſſet ſibi ſingulis perennis
Alternam ſibi reddidere vitam;
At Vos, ut ſolidas uterque dotes,
Singuli ſolidas tenetis artes:
Sic famam quoque ſinguli perennem.

AD
JOH. GUIL. SCHMIDIUM,
DE
GUTTA SERENA
diſputantem.

Qui donas oculis lucem, dicèris Hygeiæ
Lynceus; inque oculis Te feret illa ſuis.

AD

JOH. GEORGIVM WASMVTHVM,

poſt diſputationem de Jejuniis Hebræorum laureâ philoſophicâ ornatum.

QUi Judæorum nobis jejunia prodis,
Aonias ponis Deipnopſophiſta dapes.
Latrantem ſtomachum & genium jejunia fraudant:
Sed ſaturant illæ pectora docta dapes.
Omnes ingenii pulchram laudamus orexin,
Si ſolidò Sophies ſit ſaturata cibo.
Sic noſtri ſaturant foetum Tibi pectus honores;
Exemplo poteris ſic ſatur eſſe Patris.

AD

NICOLAVM MARTINI

Cauſam Chriſti adverſus Pontium Pilatum agentem.

CAuſa agitur Chriſti: Cauſam malè judicat iſtam
Pontius; intentat flagra, reumque negat.
Inſontem malè lota manus declarat Jeſum:
Obtulit infami ſed tamen ipſa neci.
Falleris o Ponti: cum lingua & dextera juſtum;
Te faciunt animus, lex, facinusque reum.
Non, mihi crede, latex fontis tibi crimen honeſti
Diluet, ille novis unde lavandus aquis?
Deſtituunt communem hominum ſua jura Patronum,
Subque ſuo gemit heu! ille cliente reus.
Tu malè deciſam revocas ad prælia litem,
Et ſua Romanum diſcere jura jubes.

Tu, MARTINE, paras, invicta ſed arma: triumphat
Te (favet ille Tibi) Judice, Cauſa DEI.
Quanta eſt hæc pietas! quanta eſt habuiſſe clientem
Gloria! Patronum gratia quanta DEVM!

AD
Virum Celeberrimum,
JOHANNEM DANIELEM MAJOREM,

De Nummis eorumque Ærugine commentantem, inque illâ Diſſertatione, Illuſtri Viro EZECHIELI SPANHEIMIO inſcripta, æquè Illuſtris Viri ERICI MAVRITII ἐυςοχίαν Nummariam ſollicitantem.

QUid Tibi cum Nummis, proles Phœbeia, MAJOR?
An, velut eſt Juno, Muſa Moneta Tibi eſt?
An alium neſcis Nummus quem præbeat uſum,
Quam Tibi qui ſterili proditus arte venit?
Quid juvat, in vacuâ cantat cum gryllus alutâ,
Tinnula de nummis caſſaque verba loqui,
Pictasque in chartis populis oſtendere gazas?
Non ſaturant illæ mobile pectus opes.
Jam dudum Muſis fundo ſuſpirat in imo
Nummus, & hei Vacui triſtis imago ſubit.
Has obulos videas; alios ſibi ferre talenta.
Immò obulos quis non invidet atque rapit?
Quicquid agis, rem quære! (ad ravim hoc Euclio cla-
Ad reſtim, Bone, ſi res tibi deſit, abi! (mat.)
Tu nummos nummorum & qui naſcuntur ab illis
In tabulas diſcas ritè referre tuas.

Con-

Conficiant miſeras jejunia triſtia Muſas;
Tu fuge mendicum natus ad alta gregem.
Mercurius largitur opes, patrimonia, fundos,
Quatenus hic technis, quatenus ungue valet.
Ipſa quoque Euſebie, quam purpura veſtit & aurum,
Præmia, & Aſtrææ juncta Laverna dabit.
Unxerit & multo loculos Podalirius auro:
Magnarum heic meſſis, ſi mihi credis, opum eſt:
Tu quoque, ne fruſtrà numeros tot in arte triumphos,
Diſce cavas ægris ſuppoſuiſſe manus.
Sed nunc attritis nummorum in vultibus hæres,
Solaque Te facies, pondera nulla juvant.
Quam tibi Tu plaudis, cum contemplaris avitos
Terrarum Dominos quos tenet arca Joves!
Nec ſolum in titulis, ſed in ipſâ ærugine ſudas.
Illa Tibi, MAJOR, docta ſed illa, placet.
Mangones aliâ mentes ærugine tinctas
(Omnia Mangonum ſunt modò plena) trahant.
Mango foris multus, regnis dominatur in ipſis,
Eſtque ſuus templis Mango, ſuusque toris.
His aurum, his dulci rident ærugine Nummi:
Tu nunc ex illis ſecula priſca doces.
Judicet hæc veteris SPANHEIMIUS arbiter ævi
MAURITIUSQUE, ævi gloria uterque ſui.
Quæ placet his, placeat noſtris ſententia Muſis,
Una fuit cunctis, & (reor) illa fuit:
Virtutem ò Cives poſt Nummos quærite: MAJOR
Virtutem in Nummis ingeniumque probat.

IN
Atlanticam
OLAI RUDBECKII.

QUam præclara tuæ pandis myſteria terræ!
Quod tibi Cimmerió ſurgit ab orbe jubar!
E tumulo patriam totamque recolligis orbem:
Illa ſuæ luci redditur; ille ſuæ.
Ipsâ pene manu Tibi ſe palpabile verum
Exhibet, atque tuos ſiſtitur ante pedes:
Cum magnæ veteres inquiris Matris in annos,
Ætatem nigrâ, quæ cute faſſa ſuam:
Cum rugas terræ metiris, OLAE, ſeniles,
Et ſua ſubdigitis creſcere ſecla vides.
Fingere dediſcit te fabula priſca Magiſtro,
Se mirata novam teſte patere fidem.
E nihilo terras Deus; & Jove non minor illam
Terrarum è nihilo perficis hiſtoriam.
Priſca Jovem fama eſt cerebro genuiſſe Minervam;
Mens tua tot patriæ parturit una Deos.
Hi tibi Gentiles: hæc in cunabula Divûm,
Et Diis regnati nunc patuere lares.
Querna data eſt quondam ſervato cive corolla;
Laurea, cum cæſo victor ab hoſte redit.
Sideream meruit: Tuque hanc ô, OLAE, mereris,
Qui patriæ ouras reſtituiſſe Deos.

IN
JOHANNIS BRUNSMANNI
Mactæ funeratum & reviviſcens.

QUis ille Grammaticus rogo ſuo Phœnix,
Quis in Latino Virbius novus regno
Exſur-

Exſurgit, ô Brvnsmanne? qui peremtarum
Veſpillo vocum reddis integras vitæ.
Criticusne virgam nunc novam expetis Hermes?
Quæ trudat orco, rurſus evocet voces.
Funus paratur. MACTE nunc datum letho eſt.
Effertur. exequias quis ibit? hem tempus!
Morare ſed viator. Id reviviſcit.
Percuſſor idem & ſoſpitator in vitam
Reducit. Ore MACTE nunc novo vivit,
Sata rore qualis textili ſolet mergi
Eruca buſto, & his volucris exſurgit
Papilio cunis. Vivit illa vox, vivit,
Latè patenti mota hominum regno,
Potentium ſodalis inde verborum.
Quod Priſcianus ergo, quod verendorum
Decernat omnis ordo literatorum!
Brvnsmanne, præmium laboris hoc eſto:
Quod MACTE perdit nomen, id tibi cedit,
Perenne famæ nominisque magmentum:
Et tu tibi ſuperſtes usque manſurâ,
Vivente per te MACTE, macte ſis vitâ.

Ad eundem in particularum recenſione aſſiduum.

SI Romana ſuis, Brvnsmanne, oratio conſtat
Partibus, & ſolido corpore ſtructa nitet,
Si membris viget & firmis movet illa lacertis,
Si bonus ingenuo floret in ore color.
Si vegetus vivam cum ſanguine ſpiritus armas,
Eſt aliquis, nexus qui venit arte, decor.
Hanc limo quisquis fingit meliore Prometheus,
Mirum Dædaleæ fabricat artis opus.

Non

Non ſatis eſt rudibus partiri corpora membris,
　Ignavâ ſtreperos condere mole ſonos,
Si ſucco turgent intercute, ſi color ori
　Nullus, & exſangui fucus adhæret iners,
Luxatus turpi ſi ſermo fatiſcit hiatu,
　Simaciem inviſam corneus ille trahit.
Scilicet ut validi ſubtendunt corpora nervi:
　Sic moveat nervis ſe quoque ſermo ſuis.
Illis membra ſibi conſpirant ſingula vinclis
　(Particulas, artem hanc qui docuere, vocant.)
Tu modo poſt alios hunc qui, BRUNSMANNE, laborem
　Suſcipis, in minimis his mihi magnus eris.
MACTE tuum, Critico non aſpernanda palato
　Mactea, quid ſapiat, pagina docta probat,
Et quia Romanam Venerem intus & in cute noſti,
　Cujus rimanti nunc patuere ſinus,
Particulis textura ſui ſe corporis, & ſe
　Particulis ſermo prodit, ut ungue leo.
Tam doctâ tibi quantus honor, BRUNSMANNE, palæſtra,
　Siquis Ariſtarcho judice certet erit.
Te penes eloquii Romani eſt tota facultas.
　Particulas ejus qui tenet, omne tenet.

In
Odas ſacras
è Danicis KINGONIS *in Germanicam Linguam*
à BRANDIO *converſas.*

KINGO ſuis cecinit divina poëmata Cimbris:
　Teutonico docet hæc BRANDIUS ore loqui.
O fauſto vobis ſurgat labor omine! Vatis
　Hic opera Aſcræi provocat atque dies.

Ut

Ut redit orbe dies, pietas redit acta per orbem,
Poſtque dies anni ſeclaque ſancta fluunt.
Procedunt nulli veſtro ſine carmine ſoles,
Nec vaga nocturnum luna frequentat iter.
Sanctus amor vobis cœli prælucet ad ignes
Phosphorus Eoos, Heſperus Occiduos.
Fallor? an ipſa ſacris reſpondent cantibus aſtra,
(Matutina Deo jubila & illa ſonant)
Hos didicere patres: prona bibit aure juventus:
Hos videas matres, hos recitare nurus.
Si canitis noctes, redolet labor ille lucernam,
Et quâ longa operi doctaque cura venit,
Et quali vigiles ſponſo placuere puellæ,
Et qualem in mentes intulit ipſe Deus. *
Dædala nocturnam cœlo deducite lunam
Carmina, Fulmineos ſiſtite ſolis equos.
Plus eſt ſolſtitio mentes donare beato:
Plus eſt de cœlo ducere voce Deum.

* *Proverbiorum XX. v. XXVII.*

IN

NICOLAI OWMANNI

Honores Philoſophicos.

QUid juvat aſſiduis animos convellere curis,
Tot noctes illis, tot tumulaſſe dies?
Quid veterum volviſſe juvat monumenta librorum,
Ingenioque cruces figere ſæpe ſuo?
Præmia ni noſtros ſolentur certa labores,
Ni ſit, qui moveat, qui juvet, ornet, honor.
Naturæ latebras penetramus & abdita rerum,
Ipſa per immenſos prendimus aſtra polos.

Tel-

Tellurem ingenio metimur, regnaque terræ,
  Terrarum dominos noſcimus, & populos.
Nîl non ingenio tandem ſuperabile noſtro,
  Si mens, quod ſatis eſt, diſcere noſtra velit.
Inter tantorum teſtes, OWMANNE, laborum
  Tu quoque, Parnaſſo judice, teſtis eris.
Prima tibi teneros virtus formaverat annos:
  Illa bonæ ſemper ſemina mentis erant.
Hinc patuere tibi rerum Sophiæque receſſus.
  Volviſti intrepidâ mente manuque libros,
Quâ circumducti nos circumducimus orbem,
  Exacto ut redeat ſemper ab orbe labor.
Vidimus hinc vigiles te tot conſumere noctes,
  Totque ſuis ſocios noctibus ire dies.
Nunc poſt ſudatas toties cum laude palæſtras,
  Palma tuo capiti digna, decora venit.
Nos tibi tam fauſtos proni gratamur honores,
  Dicimus atque bono nunc bona verba die.
Sis felix OWMANNE! tibi bona cuncta precamur,
  Atque tibi cupimus, quod cupis ipſe tibi.
Hic tibi creſcat honos ſeſe fœcundus, & iſtam,
  Qua ſplendes, mitram ſacra tiara tegat.

IN

MAGNI WEDDERKOPFII

Quæſtiones Imperatoriâ deciſione dignas.

NOdorum ſatis eſt in arte juris,
Præſtans legiferæ Deæ ſacerdos,
Sunt magni veteresque, ſunt minuti,
In lævi ſibi quos ſubinde ſcirpo
Tricator vafer & Sophiſta quærit.

Deci-

Decidit bene, qui recidit illos.
Gordios retegens at ipſe nodos
Ipſis irreſolubiles Magiſtris,
Hinc inſigne refers, Amice, nomen,
Et quos Tu calamo notas ſagaci,
Pellæi Ducis inſtar, Imperator
Aſtrææ ſecat unus enſe nodos.

IN
OTTONIS NICOLAI LIND-HOLTZEN
Diſputationem de Capitulatione Regni Germanici.

QUeis ſtet Regia finibus poteſtas,
Quas leges ſibi ſcribat ipſa: quæ ſint
Regum mutua civiumque pacta,
Illa pignora publicæ ſalutis,
Qua ſervanda fide, tuenda lege,
Doctis colligis explicasque chartis,
Præclarum Themidi dature nomen,
LINDHOLTZI, Clariisque amate Divis.
Digna eſt illa tuis palæſtra pugnis
Et laudem meritum fatemur amplam.
Plusquam regia namque, crede, res eſt:
Ut Cives habeant bonos Magiſtros,
Ipſos diſcipulos habere Reges.

IN
ADOLPHI CONRADI LAN-GELOTTI
Diſputationem de Fabrica & uſu Cordis.

O Magna Magni ſpes Parentis, & noſtris
Amate Muſis, ac amande, nunc cordis

Eviſcerator docte, quæ tibi mentem
Amice, verſat cura? quidve moliris?
Fruſtra feneſtram pectori daret Momus:
Jam Dædala illa, LANGELOTTE, ſe totam
Tibi ſiſtit officina Cordis & Vitæ.
Quâ prima Parcis fila texta ſunt vitæ
Retexis, & veſtigia alta rimaris,
Dignus, feras cui ponat ungulas Parca.
Tibi Diva magnum Hygéa deſtinat nomen:
Et tu Saluti, & eſt Salus Tibi cordi:
Teque ipſe Corculum ſuum vocat Phœbus:
Omnes & una voce, mente teſtamur,
Dum mentis igne opaca Cordis illuſtras,
Diſertaque iſtis ora ſolvis arcanis,
Sat diſputanti cordis eſſe, ſat linguæ,
Et mutuis ut iſta juncta ſunt nervis,
Suum eſſe Cordi linguam, & eſſe Cor linguæ.

AD

RVDOLPHVM LANGIVM

De traditionibus non ſcriptis diſputantem.

Qualis inexhauſtis ſol aureus ignibus ardens;
Talis ab æterno quæ venit ore fides.
Qualis & aſpectu fatuus perit ignis in ipſo;
Talis ab humano quæ venit ore fides.
Hæc abit in turpes per opaca incendia fumos,
Et pereunt hominum, nomen inane, logi.
Tu lucem æternam, LANGI, aſſeris: hique caducam:
Illis plus fumi; plus tibi lucis erit.

AD

CHRISTIANVM VON EITZEN

de jure arbitrario diſputantem.

REctè quidem doctèque jura diſputas,
Æterna qui diſtinguis arbitrariis.
Sed jura nunc tot inter arbitraria,
Quo plus in orbe juris eſt, hoc eſt minus.

IN

CHRISTIANI von Stöcken

Diſputationem inauguralem de virga Aaronis.

QUi Virgulta pius ſacrata cædis,
Qui nunc Virgam Aaronis explicatam
Ramis, fructibus atque flore multo
Pingis ingenii colore docto,
Quis Te, quis neget, erudite STOCKI,
Virgâ virgine laureaque dignum?
Quis non dixerit hos tuos honores
Divina tibi virgula paratos?

AD

FRANCISCVM HESPORNIVM

Poſt inauguralem de Podagra diſputationem ſummis in Medicina honoribus ornatum.

CUi poſt diſcuſſam lautus modo ſumpta podagram,
An venit infirmo gloria fulta pede?
Illa venit certo: nam ſtat pede firma vel uno,
Stat, talo nunquam quæ titubante cadet:

Si non illa volet pennis ſuper æthera motis,
Vel claudo poterit nunc pede ſumma ſequi.
Emenſis operoſa brevis compendia mundi
In pede ſuprema eſt figere cura pedem.
Hoc iter ingreſſum Te nemo negaverit artem
A capite ad calcem perdidiciſſe tuam.
Si ſe quisque ſuo metiri debet, honeſtum eſt
Metiri titulos te pede poſſe tuo.
Noſcere ſi ſummo fas eſt ex ungue Leonem,
Ex pede Doctorem quid modo noſſe vetat?
Novimus HESPORNVM. Pater huic imberbis honori
Barbatusque Patris Filius ipſe favet.
Hunc & Hygéa lubens manibus pedibusque ſecundet,
Et tibi det promptos ad tua ſacra pedes!
His opus eſt Medico. nodoſa podagra faceſſat,
Ne ſit Doctori cauſa pudenda ſuo.
Nunc res ſalva pedi eſt: Tibi præmia. Debuit illam
Veſtro Pes capiti; ſed caput illa Pedi.

AD
JOHANNEM CLAVSSENIVM
Theologice diſputantem.

QUalis futuris deſtinans ſe præliis
Miles lacertos librat, artus explicat,
Fictisque primas in palæſtrâ laureas
Expugnat armis: Talis acer ingenI
Robur, CLASENI, prodis & vires tuis
Dum ſacrate palæſtra jam quarto videt
Pugnare, forti ſtrenuum Duce, prælio.
Quas ergo nobis (auguror) pugnas dabis?

Quæ

Quæ te tropéa, laureæ ducem manent;
Cum tanta miles auferas præconia?
O Macte cœptis, ac Parentis optimi
Implere vota perge! Sufficit Deo
DVCIQVE Maximo, DVCISQVE PRÆSIDI,
(Quo digna Muſis Arbitro ſunt præmia;
Decusque conſtat) Sufficit Doctoribus
Virisque doctis; ſufficit ſodalibus
Probaſſe cauſſam, diligentiam, fidem.
Quod Te decus manebit? Illi maximo
Favore proſequentur atque præmiis:
Hi debitis te proſequentur plauſibus.

IN
BALTHASARIS HELDII
Inauguralem de Dominio Plurium diſputationem.

HELDI, qui plures cuperes perrumpere Pindos,
Helluo doctorum non ſatiande librûm,
Qui toties noſtris exercitus ante palæſtris
Committi pugnâ nunc propiore cupis.
Hæc tibi inexhauſti cape præmia digna laboris,
Quæ tibi munifica dat Themis alma manu,
Cum dominis fundos, cenſus patrimonia, jure
Pluribus æquali poſſe ſubeſſe probas.
Te quoque nunc plures Divæ petiêre, nec inter
Tot tu rivales Phyllida ſolus habes.
Jungitur imperio Pallas, Themis. Utraque Civem
Adſcribit pleno Te ſibi jure ſuum.
At Tu rem dominis permittens pluribus unam,
Vivere conſilio diſce Monarcha tuo.

Qui Rex ipſe ſibi eſt unus, ſibi præficit ille
Se Dominum famulo, ſe ſibi ſubdit Hero.

AD
GERHARDVM SALE-MANNVM
de Pœnitentia diſputantem.

QUi noſter hactenus, ſacrisque Te noſtris
Totum dediſti, & illud unice egiſti,
Ne temporis te pœniteret impenſi,
Nunc, SALEMANNE, Pœnitentiam, qualem
Hebræa gens olim profeſſa, Muſarum
Siſtis theatro diſputator, invictæ
Non-pœnitendum diligentiæ pignus,
Non-pœnitendas ingenî exercens dotes.
O macte cœptis! nam (quod auguror) Curæ
Non-pœnitendus Patriæ, feres olim,
Hâc teſte, & ipſo teſte, cui placet, cœlo
Non-pœnitendos Pœnitentiæ fructus.

AD
CHRISTIANVM GSELHOF-FERVM
De Condictione Indebiti inauguraliter diſputantem.

SI meritis ſuperi debent ſua præmia; curis
GSELHOFERE, Themis debet & ipſa tuis.
Sæpe quidem indignis indebita ſolvit alumnis,
Qui male diſpenſat, quas Dea ſervat, opes.
Hos tua ſi feriat condictio, quot mala vobis
Nomina! quam tenui in re miſerâque forent!

For-

Forſan & hic veterem moveat cornicula riſum,
Ceu plumis, titulis diſpoliata ſuis.
Sed Tibi, quæ dudum meruiſti præmia, ſolvit,
Et juſtâ tribuit nunc Themis ipſa manu,
Et quo plura tibi majoraque præmia ſolvet,
Debendi invenies hoc magis usque ream.

AD

SAMVELEM RACHELIVM

Cum ad Tractatus Noviomagenſes ablegatus Otium ſuum Noviomagenſe ederet.

QUæ tua, quo fertur Virtus ſpectanda theatro!
Quo tua, RACHELI, culmine fama volat!
Heic ubi tot coëunt in mutua fœdera Gentes,
Jura doces, nulli quæ magis apta foro.
Qui foris horriſonus dubiis Mars errat in armis,
Heic poſitum caſtris ille tribunal adit.
Illic enſe ſecat: trutina penſata fideli
Dividit heic populis jura fidemque Themis.
Tu quoque Principibus permiſtus, & orbis in ipſâ
Luce Scholâque novas pandis habesque Scholas.
Nam nunc, conſiliis Magni Pax alma Senatus
Quando, Deo mentes ſollicitante, venit,
Hæc cum Pace novâ tua Gentibus otia ſurgunt:
Quæ, reor, ipſa tuo fudit ab ore Themis.
Tu tua das, Illi ſua munera: at Otia nobis
Hæc feciſſe DEVM dicimus: illa DEAM.

AD

JOHANNEM NICOLAUM PECHLINUM

Poſt Anatomen Æthiopiſſæ de habitu & colore Æthiopum commentantem.

O PECHLINE, tuis decus Batavis;
Nunc noſtris decus ô amorque Cimbris:
Quem totum ſibi Apollo, quem novenæ,
Quantus eſt, ſibi vindicant Sorores:
Quem Machaoniæ ſacræque Vatum,
Omnesque ingenii ſagacis artes
Oſtendunt populis, ſuperſtitemque
Transmittent memoris per ora ſecli.
O PECHLINE meis amate Muſis;
Quem circumvolitant joci, ſalesque,
Lepores, Veneresque, Gratiæque
Gallicæ, Batavæ, Atticæ, Latinæ,
Quis te nunc furor ingenI calentis
Monſtrorum in Patriam relegat? aut quid
Formarum Africa parturit novarum?
Provocare tuos ut auſit ignes,
Formarum, niſi fallor, elegantis
Spectatique ſatis, ſatisque cauti
Spectatoris. Inauſpicata non eſt
Mauræ forma tibi nec ominoſa?
An quæ nocte ſata, umbra viva quondam,
Sodalis lemurum, ipſa nox diurna,
Cum non pallida mors, ſed atra nigram
Vel luci eripuit ſuæ, vel umbris
Vindicat profugam, tuos Cadaver

Non

Non horrore quatit rapitque ſenſus?
Hanc tractare manu, ſecare cultris
Et rimari oculis nihil vereris.
Hæ nunc deliciæ, ſed Africanæ
Barbaræque placent: nec his venuſtas,
Vel te judice, gratiæque deſunt.
En ut ſe reſupina tendit! en ut
Albis dentibus illa ridet albos,
Si pellem videas, ſed intus atros!
Quæ nunquam erubuiſſe viva viſa eſt,
Non jam mortua nudaque erubeſcit,
Intra pelliculam, ſinusque cunctos,
Intra pectora, viſcerumque gyros,
Totam tradere ſe tibi videndam.
Nunc ergo, indice te, docemur albis
Quid diſtet niger, & quod ater, albus
Neſcit hactenus, album uterque & atrum
Se Te noſcere nunc poteſt Magiſtro.
Nam qua ſumma cutem tegit propinquam
Nobis pellicula, & rubore tinctus
Translucet per eburna texta candor,
Fuligo ſedet his, cutisque fibris
Exſudans oleoſa, cuncta latè,
Interfuſa nigro linit colore,
Membranæque ſubuculam reponit;
Quæ tranſire vetans opaca lucem,
Hac Mauros facie exhibet videndos.
Hæc dum tu vegetæ calore mentis
Scrutator penetras, colore noctis
Nunc tinctam ingenii colore tingis,
Ut quam non habet ipſa Maura lucem,
Quam non repperit ipſa viva lucem,

Nunc te mortua phoſphoro reportet,
Gentileſque tibi exuat tenebras.
Hæc qui nunc memoras, notaſque chartis
Cultis, (Juppiter!) & laborioſis,
Quanquam Afram, tamen unica n, venuſtam,
Quæ nullis imitanda penicillis,
Pinxiſti Venerem unus hanc Apelles.
O PECHLINE, meis amate Muſis;
Quæ nunc præmia (nam mereris illa)
Pulchros nobilis ingenî manebunt
In monſtro, ſed amabili, labores?
Si ſententia nunc roganda Divûm eſt,
Phœbo judice, candidiſque Muſis,
Candidâ Venere, omnibuſque Divis.
(ÆSCVLAPIVS & probet BATAVUS)
Qui noſti intus & in cute, & retexis,
Mauras candidus arbiter puellas
Dulcem (Dî faciatis!) & venuſtam
Dulcis, Candidus ipſe, Candidamque
Solus Phyllida, ſolus ipſe habeto.

AD

MICHAELEM FREVDIVM,

De bonis Eccleſiaſticis eorumque uſu & abuſu commentantem.

HIc quoque dignus erat, FREVDI, te vindice nodus,
Cui toties magni eſt cauſa peracta Dei!
Scilicet in fauſtis vel cœlum invadimus armis,
Autolycique ſacras ſollicitamus opes.

Nulla

Nulla DEO jam jura manent, ſcelus omnia noſtrum
Tentat, & inſanis diripit illa modis.
Nos propugnatas olim male prodimus aras,
Quisque ſuis aras cedere cogit haris.
Degeneres rapimus Patrum pia dona Nepotes,
Quos, ſerò ut ſapiant, perge docere Phryges,
Tu monitos, iterum, FREUDI, meliora monebis:
Diſcite, mortales, diſcite jura Dei!
Diſcite! ſola focis quæ militat, eripit aris
Dextra, ſuos aucto deſtruit igne focos.
Hæc tu dum ſurdo præco clamoſior Orbi
Ingeris, & nomen ſpargitur Orbe tuum.
Si pius eſt, Domino ſua qui tribuiſſe laborat;
Bis pius eſt, quisquis reddere rapta docet.

IN
IVARI GERRITZI
Diſputationem inauguralem de Collatione bonorum.

QUi bona nunc conferre doces, teſtaris Amice,
Quot tibi contulerit, conferet, alma Themis.

IN
SEBASTIANI SCHMIDII
Orationes ſacras.

SCHMIDI, cui liquido fertur vox æmula cœlo,
Quam non præcipitat turbo, procella premit,
Macte tua pietate! DEO qui digna locutus,
Nunc quoque digna DEO ſcribere verba paras.

Non

Non criſtata Tibi Peitho phalerisque ſuperba eſt,
  Sed pia ſed purâ ſindone tecta nitet.
Non picturatæ pavo Tibi ſyrmate caudæ;
  Candida ſed placido corde columba placet.
Barbaricæ procul eſte dapes! Memphitica ſordet
  Olla, cibo paſci ſimplice gaudet ovis.
Divinam ſaturat vitæ ſi panis orexin,
  Pura ſitim fontis ſi levat unda, ſat eſt.
Non ſuccum pecori, non lac ſubduxeris agnis;
  Nec paleis illos quisquiliisque reples.
Sic tu paſcis oves. VERBVM te paſcit & agnus,
  Grex utriusque frui voce ciboque cupit.
Unius ſaturet mentem ſapientia VERBI:
  Farciri longis non volet illa logis.
Ergo alios ſylvas jubeas errare per omnes:
  Tu vincta tui cæde miniſter Heri.
Delphinum ſylvis appingere, fluctibus aprum
  Quid juvat? antiquum quid ſimulaſſe chaos?
Quid color hîc ſcenæ, nebulæque in pariete pictæ?
  Pinge animis ipſum voce, colore, DEVM.
Ipſaque ſe pingit lux, & vox mentibus ipſa
  Ingeret æthereos, qua data porta, ſonos.
Sculpe, novas divina ut ducat imago figuras,
  Inque novum ſurgat viribus aucta decus,
Et loquere, & nobis arcanos erue ſenſus.
  Namque potes nobis multa tacendo loqui.
Et loquere, & verbi ſemper ſis unius Echo.
  Hoc præeunte potes non niſi vera loqui.
Sic ô aureoli, SCHMIDI, Chryſoſtomus oris;
  Sic Faber ipſe aliis; ſic Polycarpus eris.

PRO-

PROGRAMMA IN BALTHASARIS HELDII

Orationem de Cultura Populorum.

QUid lætas faciat ſegetes, quibus arva domanda
Uſibus, altiſono nos docet ore Maro.
Hæc coluiſſe parum eſt, & condere farris acervos,
Nî colat & mentem, qui ſua rura colit.
Quid juvat impreſſo terram proſcindere aratro?
Si rigidis animi ſentibus horret ager.
Heic morum præcepta tenaci condite fundo,
Ut ſegetes virtus educet alma ſuas.
Has juvenis quando tradit cultisſimus artes,
Ingenii pandens nobilioris opes.
O animis omnes linguisque favete, ſerena
Vocibus ut faciles molliat aura vias.
Qui tam pulchra bonæ ſpargit modo ſemina mentis
HELDIVS, ille bonæ, dicite, frugis homo eſt.
Hoc lætæ venient aliquando è germine meſſes:
Nec malus hinc populis ille colonus erit.
Diſcipulis ponant populis ſua jura Magiſtri:
Noſter diſcipulos hos quoque ludus habet.

AD MICHAELEM FVCHSIVM

De Rege temporario diſputantem.

QUi vixti noſtris gratisſimus hoſpes Athenis,
Flos juvenum, FVCHSI, Pieridumque decus,

Cui

Cui ego ſexcentos cum vellem fundere verſus,
Nunc tenue hoc noſtri pignus amoris habe.
Dum Cimbris abiturus agris hæc pulpita ſcandis,
Unde ſonant oris verba diſerta tui,
Te bonus omnis amat, cui virtus ignea fibras
Vellicat, ingenuum cui ſedet ore decus;
Cui animus faciles generoſo incoxit honeſto
Aſtræa, atartis pandit opaca ſuæ.
Conſpirant junctæ Tibi amico fœdere Muſæ,
Te ſibi dilectum quæ petiere caput.
Jamque tibi exercet doctas ars Regia curas,
Majeſtasque tuum ſumma tribunal adit.
Heic tu regna tenes, illa dominaris in aula,
Accipiunt leges ſceptra vel ipſa tuas.
Nos te nunc animo complexum ſumma feremus
Laudibus: auſpicium res habet illa ſuum.
Devia ſectantur multi & longinqua viarum,
Regia, qua tu nunc tendis, amice, via eſt.

IN
AVGVSTI GIESII
Librum de Eleemoſynis.

EXacto dum ſurda tument æraria Cenſu,
Et Mavors omnes improbus haurit opes,
Dum tondere pecus quivis & glubere mavult,
Et nemo nudas veſtiat unus oves.
Te ſacra paupertinæ, AVGVSTE, æraria turbæ
Pandere nunc pietas principe digna jubet.
His poſitos ſervire ſagax in fœnore nummos
Quæſtor, & his rectè diſtribuiſſe doces.
Si pius eſt, uno qui munere ditat egenum,
Diſtenditque cavas ære ciboque manus;

Quam

Quam bonus eſt quoties dici pius ille meretur;
Omnes qui miſeros tempus in omne juvat.
Ergo manus inopum largis ſementibus imple;
Et nunquam mendax hic tibi fundus erit.
Dent obulos alii: tu plus quam regia donas
Munera & ingenii tota talenta tui.
Dat DEUS illa tibi; miſeris Tu reddis & illi,
Fœnore non poterant hæc meliore dari.

IN
JOHANNIS CRUSII
Diſputationem Medicam de Aurea Catena Jovis Cœlo dimiſſa.

HUmana filo quando pendent omnia
Sumusque νευρόσπαστα, quæ levis furor
Vagusque pellit huc & illuc impetus,
Quid tu catenis illigas nos aureis?
Non iſta, CRUSI, vivimus nunc ſecula.
Nulli aureis trahunt catenis nos Joves;
Nos plumbeos trahemus aureis Joves.
Te, ſi æquus aureusque amarit Jupiter,
Suoque Phœbus, auro & ore affulſerit,
Nec abnuat barba Æſculapius aureâ,
Vinctis ligabunt aureis adamantinis,
Ut CRUSIUS ſit intus, extus aureus.

AD
ANDREAM PLOMANNUM
Poſt diſputationem Inauguralem de Paradoxis Senſuum Laurea Philoſophica ornatum.

QUi ſenſus paradoxa doces, PLOMANNE, doceri
Ipſe nova à nobis nunc paradoxa potes.

Cun-

Cuncta prius ſenſu, ſed & hinc quoque mente teneri,
Una Sophis vox eſt, & Schola noſtra docet.
Eſt prior in ſenſu, poſtremus in intellectu
Multis, qui titulus fulget inanis, honor.
Ultimus in ſenſu, ſed primus in intellectu
Eſt, PLOMANNE, tuus qui tibi ſurgit honor.
Te dudum nobis peperit mens docta Magiſtrum:
Nunc titulos tantum & nomina nuda damus.
Et quia mitra caput, digitos novus annulus ornat,
Tangitur ipſe Tibi jamque videtur honor.

AD
HENRICUM FRISIUM
De Purgatorio diſputantem.

SIc vel cum larvis, FRISI, pugnare decorum eſt,
Quæ fatuâ Manes relligione gravant.
Roma putat flammis exuri crimina: Sed Te
Judice nullus ab hoc Manibus igne metus:
Tu tamen & ficto nobis ſpectaberis igne,
Et tibi plus lucis, quo minus ignis, erit.

AD
JUSTUM THEODORUM VOLCMARUM
De jure Optionis diſputantem.

SI, VOLCKMARE, tuo (nec hic ſilendum eſt)
Si ſcribi bona verba vis honori,
Si fundi Tibi vota, diſputatæ
Dum Tu jura revolvis Optionis,
Ac optata Tibi hinc capis tropea,
Nil opto Tibi, quod nec ipſus optes.

Tua

Tua eſt optio: ſcribe milie vota:
Subſcribam Tibi Vota tot petenti.

Ad eundem
Poſt Senatoriam in patria urbe dignitatem.
J. U. LICENT.
renunciatam.

DUm majora Tibi laudes, VOLCMARE, theatra
Parturiunt, Themidos dum tibi palma venit:
Approperant lætumque canunt Pæana Camœnæ:
Ipſe novis magnus ſurgit Apollo ſacris.
Ipſa Tuis Aſtræa fugax illabitur ulnis,
Prenſarique Tua geſtit anhela manu.
Illa Tibi titulos, magno præeunte Magiſtro,
Æternumque ſua ſpondet ab arte decus.
Illa faces accendit, & hac TU luce refulges:
Annulus in digitis, purpura fronte micat.
Sic tacita adrepit lento Tibi gloria paſſu,
Et tibi cauſa novi gliſcit honoris honos.
Ipſa ſuo fortuna ſinu Te fovit alumnum,
Tychopolis cum Te nominat alma Patrem:
Nunc nova Romani pariunt conſulta ſenatus
Præmia, quæ patrii robora certa fori.
Quam bene Patriciæ nunc jungitur infula abollæ!
Hæc tegit, illa ornat, Tu facis ipſe Virum.

IN
JOHANNIS FVCHSII
Introductionem in proceſſum Holſaticum.

IPſa Themis cæca eſt. Si Dux ſit cœcus ad illam,
Si lippus, luſcus; non via recta fori eſt.

Cœcus enim cœcum ducit per opaca clientem,
  Cui pes, mens, lingua eſt cœca ; oculata manus.
Sed cœcis oculos, lippis collyria confert
  FVCHSIVS, & cauſis invigilare docet.
Qui nunc ergo oculis oculatos pluribus armat,
  Cœcos eſſe Duces, qui vetat, Argus erit.

AD

NICOLAVM NICOLAI

Cui pro Caſcis piſciculos fumo coctos miſeram.

EIdora quem preſſit, quem ſtercore tinxit ovillo
  Caſeus, ô gratum quam mihi munus adeſt!
Qui lac concretum Geta ſanguine miſcet equino,
  Hinc eat; & ſoli prandeat ille ſibi.
Hæc ſaturent Martis crudelia pabula pullos;
  Innocuas lacti ſtercora miſta gulas.
Non male conſpirant cognato ſtercora lacti:
  Nam coëunt lacti juncta elementa ſuo.
Nempe ſuperfuſo pingueſcunt ſtercore glebæ;
  Et pecori ſuus eſt hinc hominique cibus.
Stercore paſta Ceres noſtram quoque paſcit orexin,
  Et patrio creſcunt corpora noſtra luto.
Sed nunc mitto tibi ſapidos pro ſtercore fumos:
  Irritant ſegnes hi quoque, crede, gulas.
Par opus eſt, ſi quis (nam miſcuit utile dulci)
  Piſciculos fumis, ſtercora lacte linit.
Si natale ſolum mira dulcedine multos
  Traxit; & illa ſolo quæ cecidere, trahent,
Et gratum eſt, & dulce (trahit ſua quemque voluptas)
  Stercorea è patriis prandia ferre caſis.

Si

Si toties patriis ſemoti finibus optant
Fumos de patriis poſſe videre focis:
Te patriâ juvet in mediâ, cultisſime Vates,
Fumos de patriis poſſe vocare focis.

IN
GEORGII MARTINI TATTERI
Inauguralem de Epilepſia diſputationem.

HErculeum domuiſſe malum quæ gloria? nulla
Tetrior eſt illâ perditiorve lues.
Herculeos æquare potes, TATTERE, labores:
Hoc mihi ſi doctâ viceris arte malum.
Sic felix perſtet morbi Tua fama Caduci!
Sic ægris veniat te veniente Salus!

IN
JOHANNIS CHRISTIANI TRALLESII
Diſputationem de Malaciâ.

TRALLESI, infamem ſtomachi larantis orexin
Qui memoras chartis penſiculasque tuis,
Laudandam ingenii nobis oſtendis orexin,
Et ſolido ſaturas pectora docta cibo.
Fœmineo placeant obſonia ſtulta palato;
His abſurda gula eſt: mens tibi ſana ſapit.

IN

GEORGII HANNÆI

De

Rore Marino librum.

HANNÆE, palmam Ros MARINVS cui novam
Suſpendit euge! macte cœptis! explica
Natura Mater quas ei dotes dedit;
Speratаque ægris exhibe ſolatia.
Apollo Laurus ipſe ſubmittit ſuas;
Tuis Corollas miſcet ille frondibus;
Sibique ſerta ponit, & ponit Tibi,
Qui nunc MARINVM RORE perfundit ſuo,
Quem fudit ales ungue rupto Pegaſus,
Decus tuorum ut creſcat ille Temporum
Et Diis amatus, amatus & Tibi Frutex,
Ceu ramo ab uno Sylva crevit Laurea,
Marti datura Vatibusque præmia.
Utrique late ſpargitur fragrans Odor;
Utrique ſemper integer durat Viror.
Seu ROSMARINVS, ſive LAVRVS Te vocet;
Bonus ille Famæ ſpirat hinc & hinc Odor,
Novus ille Laudum vivit hinc & hinc Viror.

AD

JOH. SCHWENCKIUM

Juris Profeſſorem Doctoris titulo ornatum.

NAm Tibi quid ſcribam, SCHWENCKI, qui jura docebas,
Doctor eras. Nihil hôc fit, neque ſcribo, novi.

AD

AD

OTTONEM LINDHOLZIUM

Conſulem

Cum illi Virgilium Ruæi donarem.

DIvini æternum tibi dono poëma Maronis,
Omnia quod vicit ſecula, vincet opus.
Nec meliora Tibi, dederit licet aurea, Vates
Munera, non tanti nominis umbra daret.
Nam ſeclo Phœnix unus ſi naſcitur uno;
Ille datus ſeclis omnibus unus erat.
Hunc nos ſtipamus Regem vaga turba volucrum
Diverſum patriâ, voce, colore, genus.
Has inter doctus paſſis circumvolat alis,
Gallica quem dederat terra, Ruæus, aves.
Hîc & adoptivis cornicula turgida plumis,
Pſittacus hîc riſum & pica jocoſa monet.
Si quis in his poterit locus eſſe, minuriat illo
Morhoficis paſſer, triniſet hirundo choro.
Sed Tu plebeji munus tam nobile vatis
Accipe, nec dantis reſpice, Amice, manum.
Si nequit ille ſuo placuiſſe; placere Maronis
Ille tamen genio conciliante cupit.

IN

JOHANNIS FRIDERICI MAYERI

Librum de Electione Pontificis Romani.

ROmanos rerum dominos, gentemque togatam
Priſca celebrarunt ſecula, noſtra ſtupent.
Hi regere imperio populos, hi vincere ſueti
Jurare in leges hos docuêre ſuas.

Sublimes ſonuêre aquilæ plaudentibus alis,
Cæſareus latè cum graderetur apex.
Maxima ſed poſtquam ruit alto à culmine Roma,
Salvaque non armîs amplius illa fuit,
Viribus occultis revocata potentia currit,
Per mentes regnum nunc habitura novum.
Hâc graſſata viâ furiis majoribus arſit,
Inque caput Regum ſæva tyrannis iit.
Tu, MEYERE, ſacri pandis myſteria Regni,
Arbitriumque ſubit maxima Roma tuum.
Quam tua nunc fertur ſpatioſo fama theatro!
Nam quod inire queas majus honoris iter?
Roma Tibi petitur, caput orbis, & auſpice Româ
Nunc Tibi in hoc majus nomine nomen erit.
Fama Tibi incedet majoribus edita grallis
Pontifices inter purpureosque patres.
Cum Tu principibus Cenſor permiſtus Achivis
Multa ſagax calamo vindice digna notas.
Orbem tot potuit ſacra vincere Roma triumphis;
Quis tuus in Romam, prome, triumphus erit?

IN
HONORES CONSVLARES MATTHÆI Liebherren/
JCti, & Regii quondam Conſiliarii,
Roſtochii feliciter ſuſceptos.

O REGUM, nunc noſter Amor, Vir Maxime! Quid Te
Ad Nos de tanto culmine traxit? AMOR!
Roſtochii Te traxit Amor vultusque tuorum.
Omnia vincat Amor! vinciat unus Amor!

Tu

Tu regum Cyneas magnis Te ſubtrahis aulis,
Et titulo dici ſponte minore cupis.
Sed fallor: Neque enim minor hinc Tibi gloria ſurget,
Quò minor eſſe voles, hoc mihi major eris.
Quam facile eſt Regis dici, LIEBHERRE, miniſtrum?
Rex utinam potius quilibet eſſe velit!
Namque alios quicunque regit, Legumque miniſter
Se regit, & Regum ſpernit honore frui,
Altior huic mens eſt; non Regius ille miniſter
Sed Rex & Regum hic ipſe Magiſter erit.

AD
MARTINVM BüTZERUM
Philoſophicos Honores capientem.

SI Tibi ſexcentis ſolvam nunc vocibus ora,
Mens tamen hoc unum diceret: EUGE! BENE!

IN
FRANC. QVARLES
Enchiridion ad ſuos in Linguæ Angliæ exercitio auditores.

HÆc ſunt cecropiæ, Juvenes, Bellaria menſæ,
Illa peregrini cortice tecta ſoni.
Illa ſuis primum vates Quarleſius Anglis,
Nunc etiam nobis grata futura, dedit.
Si ſunt illa nuces, vos eſſe queatis ut illas,
Has ego vos doceo frangere poſſe nuces.

AD
JOHANNEM ERNESTUM Pfuel/
poſt habitam de Confeſſione Chriſti, *diſputationem ſummis in Theologiâ honoribus ornatum.*

QUuæ tua, quam pulchrâ Virtus ſpectata palæſtrâ!
Vidimus egregias mentis & oris opes.

Jamque tuis veniunt laurus palmæque Triumphis,
  Et meritis dudum præmia danda tuis.
Amplior his veniet, PFUELI, cum tempore merces.
  Æternamque Deus, quem colis ore, dabit.

AD
JOH. CHRISTOPH. DöLERUM,
cum ſummos illi in Philoſophia honores conferret.

INſula cum titulo, liber, annulus, oſcula, tædæ,
  Virtutis, *Bone* ſunt ſigna DOLERE, tuæ.
Signa tamen rerum tu præſtas pondera, namque
  Appendix tituli non Vir, at ille Viri eſt.
Qui non ſecum habitat miſer, & cui curta ſupellex,
  In titulis amplè ſæpe habitare cupit.
Tu, quanquam dignè titulis ornabere noſtris,
  Ornabis titulos nunc magis ipſe tuos.

AD
JOHANNEM SCHULZIUM,
iterum,
& nunc quidem Hamburgi,
Rectorem Scholæ.

QUi Cimbris (meminiſſe juvat!) formatus Athenis,
  Et noſtri, SCHULZI, cura laboris eras:
Nunc age Gambriviæ totum Te trade juventæ,
  Ac Pindi hunc itidem limine paſce gregem.
Artibus hunc effinge bonis, & moribus orna,
  Spectari officio non meliore potes.
Sufficiant Cives Patriæ generentque Nepotes:
  Cura Tua eſt Patriæ progeneraſſe Patres.

IN

IN

DN. PETRI ANTONII BVRCHARDI

THESES E MINVCIO FELICE *contractas.*

BURCHARDE noſter, quem novem ſibi Deæ,
Et ipſa alumnum poſcit Euſebie ſuum,
Felix tibi hic labor ſit in Felicio!
Quem nunc putatis hinc & hinc ambagibus
In utiles brevesque ſenſus contrahens,
Doctum minutal promis è Minucio,
Tuis ut ille denuo laboribus,
Ut eſt minutior, ſit hoc felicior,
Et diſputatam diſputas cauſam Dei.
O macte nunc, BVRCHARDE, macte his auſibus!
Sic illa floreat Tibi vis ingenI,
Ut illa per Minucium ſit auctior,
Felicioque hoc usque ſit felicior!

IN

HENRICI OLTER

De difficultatibus & Fructibus Studiorum Orationem.

MUlta tulit fecitque, bonis ſua tempora Muſis
Qui dicat, & rigidâ tendit ad aſtra via.
Præmia tot tua ſunt, quot ſunt, OLTERE, labores:
Hos quicunque tulit fortiter, illa ferat.

AD

MATTHIAM GEORGIUM MOESLING,

De Circumventione inter contrahentes licita pro ſummis in jure honoribus Kilonii diſputantem.

VEnditor Emtorem circumvenit artibus: illas
Tu, MOESLINGE, probas: nec Tua jura vetant.
Sed dolus omnis abeſt, & fraus injuſta Patrono:
Nec Themidi imponis, nec Themis ipſa Tibi.
Attamen imponet: ſed Phœbi munera, laurus:
Illa bonâ imponet pilea digna fide.
Et circumveniet: cupidis ſed prona lacertis,
Totaque in amplexus irruet illa Tuos.
Tu quoque nam ſuave eſt, iſti ſuccumbere culpæ,
Inque bonâ dolus eſt indole (crede) bonus.
Tu circumvenies dulcem (ſic opto) puellam;
Imponique à Te non neget illa ſibi.

Ad orationem

O De AURO

invitatio.

CRas AURUM, (Cives laudanti plaudite!) laudo,
Quod laudare levis, non dare Suada poteſt.
Non hoc nos Auri & Vatum Pater unxit Apollo:
[illegible] uno proles nata parente ſumus.
[illegible] ent Auro ſub Rege. Sed ipſe
[illegible] reſon[illegible] Nympha jocoſa: DABO.
Fallis

Fallis inepta! Aurumne dabis, quæ ventus & aura es?
Ut mala reſpondent nomina, verba dabis.
Non implent loculos, ut hiantia carbaſa, venti;
Non arcas, quicquid tinniat ille, ſonus.
Vos date nunc nobis aures Aurove benignas,
Et ſi non noſtri; ſaltem amor hujus agat.
Aurum prima ſonat Peitho, ſumma exit in aurum.
Aurum ego, non lapides hirtaque verba loquor.
Ergo verba dabo, meliore ſed uncta metallo.
Aurea ſi dederim, non malè verba dedi.

IN
NUMMUM AUREUM
in memoriam exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis, à Sereniſſimo & Potentisſimo Electore JOHANNE GEORGIO II. ſignatum, hac inſcriptione:
CONFESS. LUTHER. AUG. EXHIBITÆ SECULUM:
à
Viro Nobiliſſimo & Ampliſſimo
FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO
oblatum
in Orationis noſtræ de Auro ἀντίδωρον.

QUis novus hic loculis hoſpes ſucceſſit & arcis
Aureus, & ſecli Nummus imago ſacri?
CARPZOVI hæc mihi chara manus pro laudibus auri
*Præ*mia, pro verbis ſplendida dona dedit.

Hunc

Hunc (reor) ipſa Charis procudit, & aurea nummum
  Euſebie radiis imbuit ipſa ſuis.
Quæ quondam fulvo prodibat purior auro
  Relligio auſpiciis, maxime Saxo, tuis,
Tot ſpectata annis, ſpectatur ut ignibus aurum;
  Hanc auro ſignas, poſtume Saxo, tuo,
Teſtis ut hic magni Nummum moliminis extet,
  Et memor illa legat nunc monumenta nepos.
O redeant illi ſeclo vertente triumphi
  Semper, & ille ſacris aureus extet honos!
Hæc ô enſe ſacro ſemper tueatur, & auro
  Enſiger hæc ſignet ſecula Saxo ſuo!
At tu qui noſtras ditaſti munere Muſas,
  Quo tua, CARPZOVI, carmine dona feram?
Nam Tu, qui dono pius & qui largus eodem es,
  Auro compenſas tinnula verba ſacro.
Ergo, tuum quia nunc illis appenditur aurum,
  Nunc dicam nugas pondus habere meas,
Teque, tuo qui, CARPZOVI, magis aureus auro es,
  Inferre in loculos aurea ſecla meos.

VENERES.

LIBER I.

Perilluſtri & Excellentiſſimo Domino,

DOMINO

JOHANNI ADOLPHO KIELMANNO à KIEL-MANSECK,

Domino in Satrupholm & Obdorff, Collegii Canonici, quod Hamburgi eſt, Præpoſito, Præfecto in Reinbeck, Trittovv, Moorkirch & Dolrad. Sereniſſ. Sleſvvic. & Holſat. Ducis Conſiliario Intimo, Regiminis Præſidi, & Aulæ Cancellario &c.

Domino & Mæcenati ſuo Maximo,

pro Strena Veneres

D. D. D.

I.

MUſarum communis Amor, Lux, Gloria Cimbrûm,
Quæ Tibi nunc iſto tempore dona feram?
Tu Muſir nobisque tuos largiris amores:
Ut redamet, noſter reddit Amor *Veneres*.

II.

QVas nobis *Præſes* genuiſti *Maxime* Muſas,
Hæ Veneres iterum nunc genuêre novas.
Creditur orta mari Venus: aſt Heliconiæ in undis
Caſtaliis Veneres has genuere ſuas.
Ergò uti Te Muſæ celebrant, *Kielmanne*, *Parentem*,
Hæ *Magnum* neptes Te venerentur *Avum*.

Ex-

Excellentiſſimis & Generoſiſſimis

DOMINIS,

DN. JOHANNI HENRICO KIELMANNO à KIELMANSECK,

Domino in Satrupholm &c. Sereniſſ. Sleſvvic. & Holſat. Ducis Conſiliario Provinciali & Præfecto Diœceſeos Gottorpienſis Digniſſimo, Præpoſito Cœnobii Divi Johannis, quod eſt Sleſvvigæ & Canonico Capituli Sleſvvicenſis &c.

DN. FRIDERICO CHRISTIANO KIELMANNO à KIELMANSECK,

Domino in Satrupholm &c. Sereniſſ. Sleſvv. & Holſat. Ducis intimo & Cameræ Conſiliario primario, & Canonico Capituli Lubecenſis &c.

DN. JOHANNI ADOLPHO KIELMANNO à KIELMANSECK,

Domino in Satrupholm &c. Sereniſſ. Sleſvv. & Holſat. Ducis ArchiCamerario &c.

Magni Parentis Magnis Filiis,

Dominis & Patronis ſuis ſummè colendis,

eaſdem Veneres

D. D. D.

Quos

QVos PATRI, Vobis etiam debemus Amores,
KIELMANNI, Magni Nomina Magna PATRIS.
Quæ divina Venus felici fœdere junxit,
Nunc Veneres jungant nomina tanta meæ,
Ut quas non mereor, Veneres mereantur amores,
Quos ſibi concilient concilientque mihi.
Forſan & hæc animos Venerum vis inſita veſtros
Faſcinat, incomptæ ſint licet atque rudes.
Invita Veneres natas obtrudo Minervâ;
Deformi genitas à Patre filiolas,
Has ſiſto nudas & veſtra veſte tegendas,
Queis decus & genium gratia veſtra dabit.
Quas genui, non tollo Parens, aut educo natas,
Ni veſtri præſens aura favoris alat.
Trado meas Veneres, queis vos venerabor Atlantes,
Hiſce meis veſtras fœnerer ut Veneres.

VENUS PISCATRIX.
Amoribus,
Viri Nobiliſſimi, & Ampliſſimi:
DN. DANIELIS. FISCHERI.
Sereniſſimo Principi Brunſvicenſi & Lune-
burgenſi à Conſiliis
&
Nobiliſſimæ Elegantiſſimæque Virginis
ELISABETÆ. SOPHIÆ.
BOKELIÆ.
dicata.
*
* *
VENERI. PISCATRICI.
MARINÆ. AFHROGENIÆ. SAGACISSIMÆ.
CVI. VOTIVAM. TABULAM. SUSPENDVNT.
AMORIS. RETIBVS. IRRETITI. DVO.
DANIEL. FISCHERVS.
ET
ELISABETA. SOPHIA.
BOKELIA.
PAR. NOBILISSIMVM.
INESCAVIT. CVPIDO.
IRRETIVIT. RETI. AN. VULCANIO,
AN. AVREO. NERONIANO.
E. SAGITTARIO. FACTVS. RETIARIVS.
MIRVS. PISCATOR. CVPIDO. EST.
PISCATVR. IN. AERE. VENATVR. RETI.
IACVLO. IN. MEDIO. MARI.
IRRETITVS. EST. IPSE. PISCATOR.
DVM. E. NASSA. VENERIS. ESCAM. PETIT.
CONSTRICTVS. EST. IN. PVTEO.
NON. TAMEN. ARGENTEO.

Jamque tuis veniunt laurus palmæque Triumphis,
Et meritis dudum præmia danda tuis.
Amplior his veniet, PFUELI, cum tempore merces.
Æternamque Deus, quem colis ore, dabit.

AD

JOH. CHRISTOPH. DöLERUM,

cum ſummos illi in Philoſophia honores conferret.

INfula cum titulo, liber, annulus, oſcula, tædæ,
Virtutis, *Bone* ſunt ſigna DOLERE, tuæ.
Signa tamen rerum tu præſtas pondera, namque
Appendix tituli non Vir, at ille Viri eſt.
Qui non ſecum habitat miſer, & cui curta ſupellex,
In titulis amplè ſæpe habitare cupit.
Tu, quanquam dignè titulis ornabere noſtris,
Ornabis titulos nunc magis ipſe tuos.

AD

JOHANNEM SCHULZIUM,

iterum,

& nunc quidem Hamburgi,

Rectorem Scholæ.

QUi Cimbris (meminiſſe juvat!) formatus Athenis,
Et noſtri, SCHULZI, cura laboris eras:
Nunc age Gambriviæ totum Te trade juventæ,
Ac Pindi hunc itidem limine paſce gregem.
Artibus hunc effinge bonis, & moribus orna,
Spectari officio non meliore potes.
Sufficiant Cives Patriæ generentque Nepotes:
Cura Tua eſt Patriæ progeneraſſe Patres.

IN

IN

DN. PETRI ANTONII BVRCHARDI

THESES E MINVCIO FELICE
contractas.

BURCHARDE noſter, quem novem ſibi Deæ,
Et ipſa alumnum poſcit Euſebie ſuum,
Felix tibi hic labor ſit in Felicio!
Quem nunc putatis hinc & hinc ambagibus
In utiles breveſque ſenſus contrahens,
Doctum minutal promis è Minucio,
Tuis ut ille denuo laboribus,
Ut eſt minutior, ſit hoc felicior,
Et diſputatam diſputas cauſam Dei.
O macte nunc, BVRCHARDE, macte his auſibus!
Sic illa floreat Tibi vis ingenI,
Ut illa per Minucium ſit auctior,
Felicioque hoc usque ſit felicior!

IN

HENRICI OLTER

De difficultatibus & Fructibus Studiorum Orationem.

MUlta tulit fecitque, bonis ſua tempora Muſis
Qui dicat, & rigidâ tendit ad aſtra via.
Præmia tot tua ſunt, quot ſunt, OLTERE, labores:
Hos quicunque tulit fortiter, illa ferat.

AD

MATTHIAM GEORGIUM MOESLING,

De Circumventione inter contrahentes licita pro ſummis in jure honoribus Kilonii diſputantem.

VEnditor Emtorem circumvenit artibus: illas
Tu, MOESLINGE, probas: nec Tua jura vetant.
Sed dolus omnis abeſt, & fraus injuſta Patrono:
Nec Themidi imponis, nec Themis ipſa Tibi.
Attamen imponet: ſed Phœbi munera, laurus:
Illa bonâ imponet pilea digna fide.
Et circumveniet: cupidis ſed prona lacertis,
Totaque in amplexus irruet illa Tuos.
Tu quoque nam ſuave eſt, iſti ſuccumbere culpæ,
Inque bonâ dolus eſt indole (crede) bonus.
Tu circumvenies dulcem (ſic opto) puellam;
Imponique à Te non neget illa ſibi.

Ad orationem

O De

A V R O

invitatio.

CRas AVRVM, (Cives laudanti plaudite!) laudo,
Quod laudare levis, non dare Suada poteſt.
Non hoc nos Auri & Vatum Pater unxit Apollo:
Quanquam uno proles nata parente ſumus.
Hoc Reges donent Auro ſub Rege. Sed ipſe
LAVDABO: reſonat Nympha jocoſa: DABO.

Fallis

Fallis inepta! Aurumne dabis, quæ ventus & aura es?
Ut mala reſpondent nomina, verba dabis.
Non implent loculos, ut hiantia carbaſa, venti;
Non arcas, quicquid tinniat ille, ſonus.
Vos date nunc nobis aures Aurove benignas,
Et ſi non noſtri; ſaltem amor hujus agat.
Aurum prima ſonat Peitho, ſumma exit in aurum.
Aurum ego, non lapides hirtaque verba loquor.
Ergo verba dabo, meliore ſed uncta metallo.
Aurea ſi dederim, non malè verba dedi.

IN
NUMMUM AUREUM
in memoriam exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis, à Sereniſſimo & Potentiſſimo Electore JOHANNE GEORGIO II. ſignatum, hac inſcriptione:
CONFESS. LUTHER. AUG. EXHIBITÆ SECULUM.
à
Viro Nobiliſſimo & Ampliſſimo
FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO
oblatum
in Orationis noſtræ de Auro ἀντίδωρον.

QUis novus hic loculis hoſpes ſucceſſit & arcis
Aureus, & ſecli Nummus imago ſacri?
CARPZOVI hæc mihi chara manus pro laudibus auri
Præmia, pro verbis ſplendida dona dedit.

Hunc

Hunc (reor) ipſa Charis procudit, & aurea nummum
 Euſebie radiis imbuit ipſa ſuis.
Quæ quondam fulvo prodibat purior auro
 Relligio auſpiciis, maxime Saxo, tuis,
Tot ſpectata annis, ſpectatur ut ignibus aurum;
 Hanc auro ſignas, poſtume Saxo, tuo,
Teſtis ut hic magni Nummum moliminis extet,
 Et memor illa legat nunc monumenta nepos.
O redeant illi ſeclo vertente triumphi
 Semper, & ille ſacris aureus extet honos!
Hæc ô enſe ſacro ſemper tueatur, & auro
 Enſiger hæc ſignet ſecula Saxo ſuo!
At tu qui noſtras ditaſti munere Muſas,
 Quo tua, CARPZOVI, carmine dona feram?
Nam Tu, qui dono pius & qui largus eodem es,
 Auro compenſas tinnula verba ſacro.
Ergo, tuum quia nunc illis appenditur aurum,
 Nunc dicam nugas pondus habere meas,
Teque, tuo qui, CARPZOVI, magis aureus auro es,
 Inferre in loculos aurea ſecla meos.

VE-

VENERES.

LIBER I.

Perilluſtri & Excellentiſſimo Domino,
DOMINO
JOHANNI ADOLPHO KIELMANNO à KIEL-MANSECK,
Domino in Satrupholm & Obdorff, Collegii Canonici, quod Hamburgi eſt, Præpoſito, Præfecto in Reinbeck, Trittovv, Moorkirch & Dolrad. Sereniſſ. Sleſvvic. & Holſat. Ducis Conſiliario Intimo, Regiminis Præſidi, & Aulæ Cancellario &c.
Domino & Mæcenati ſuo Maximo,
pro Strena Veneres
D. D. D.

I.

MUſarum communis Amor, Lux, Gloria Cimbrûm,
Quæ Tibi nunc iſto tempore dona feram?
Tu Muſir nobisque tuos largiris amores:
Ut redamet, noſter reddit Amor *Veneres*.

II.

QVas nobis *Præſes* genuiſti *Maxime* Muſas,
Hæ Veneres iterum nunc genuêre novas.
Creditur orta mari Venus: aſt Heliconiæ in undis
Caſtaliis Veneres has genuere ſuas.
Ergò uti Te Muſæ celebrant, *Kielmanne*, *Parentem*,
Hæ *Magnum* neptes Te venerentur *Avum*.

Ex-

Excellentiſſimis & Generoſiſſimis

DOMINIS,

DN. JOHANNI HENRICO
KIELMANNO à KIELMANSECK,
Domino in Satrupholm &c. Sereniſſ. Sleſvvic. & Holſat. Ducis Conſiliario Provinciali & Præfecto Diœceſeos Gottorpienſis Digniſſimo, Præpoſito Cœnobii Divi Johannis, quod eſt Sleſvvigæ & Canonico Capituli Sleſvvicenſis &c.

DN. FRIDERICO CHRISTIANO KIELMANNO à KIELMANSECK,
Domino in Satrupholm &c. Sereniſſ. Sleſvv. & Holſat. Ducis intimo & Cameræ Conſiliario primario, & Canonico Capituli Lubecenſis &c.

DN. JOHANNI ADOLPHO KIELMANNO à KIELMANSECK,
Domino in Satrupholm &c. Sereniſſ. Sleſvv. & Holſat. Ducis ArchiCamerario &c.

Magni Parentis Magnis Filiis,

Dominis & Patronis ſuis ſummè colendis,

easdem Veneres

D. D. D.

Quos

QVos PATRI, Vobis etiam debemus Amores,
KIELMANNI, Magni Nomina Magna PATRIS.
Quæ divina Venus felici fœdere junxit,
Nunc Veneres jungant nomina tanta meæ,
Ut quas non mereor, Veneres mereantur amores,
Quos ſibi concilient concilientque mihi.
Forſan & hæc animos Venerum vis inſita veſtros
Faſcinat, incomptæ ſint licet atque rudes.
Invita Veneres natas obtrudo Minervâ;
Deformi genitas à Patre filiolas,
Has ſiſto nudas & veſtra veſte tegendas,
Queis decus & genium gratia veſtra dabit.
Quas genui, non tollo Parens, aut educo natas,
Ni veſtri præſens aura favoris alat.
Trado meas Veneres, queis vos venerabor Atlantes,
Hiſce meis veſtras fœnerer ut Veneres.

VENUS

VENUS PISCATRIX.
Amoribus,
Viri Nobiliſſimi, & Ampliſſimi:
DN. DANIELIS. FISCHERI.
Sereniſſimo Principi Brunſvicenſi & Luneburgenſi à Conſiliis
&
Nobiliſſimæ Elegantiſſimæque Virginis
ELISABETÆ. SOPHIÆ.
BOKELIÆ.
dicata.

*
* *

VENERI. PISCATRICI.
MARINÆ. AFHROGENIÆ. SAGACISSIMÆ.
CVI. VOTIVAM. TABULAM. SUSPENDVNT.
AMORIS. RETIBVS. IRRETITI. DVO.
DANIEL. FISCHERVS.
ET
ELISABETA. SOPHIA.
BOKELIA.
PAR. NOBILISSIMVM.
INESCAVIT. CVPIDO.
IRRETIVIT. RETI. AN. VULCANIO,
AN. AVREO. NERONIANO.
E. SAGITTARIO. FACTVS. RETIARIVS.
MIRVS. PISCATOR. CVPIDO. EST.
PISCATVR. IN. AERE. VENATVR. RETI.
IACVLO. IN. MEDIO. MARI.
IRRETITVS. EST. IPSE. PISCATOR.
DVM. E. NASSA. VENERIS. ESCAM. PETIT.
CONSTRICTVS. EST. IN. PVTEO.
NON. TAMEN. ARGENTEO.

R NE-

NEQVE. ENIM. VNQVAM. FVIT. INTER.
CALICVM. REMIGES. AVT. QVI. ORBEM.
CIRCVMNAVIGANT. QVEMADMODVM.
HERCVLES. IN. POCVLO.
NEC. INTER. ILLOS.
QVI. IN. OTIORVM. MARI. MORTVO. NEQVE.
CVRRVNT, NEQVE. REMIGANT.
NEC. INTER. VENEREOS. NEPOTVLOS.
QVI. AVT. PISCEM. OLENT. AVT. FLOREM.
PISCATOR. QVAMVIS. SIT.
NON. TAMEN. IN. NAVIBVS. EDVCATVM. DICAS.
SAGACISSIMVS QVIPPE. ET. SOLERTISSIMVS.
REMIS VELIS.QVE. LITERARVM. ET. VIRTVTVM.
OCEANVM. DECVRRIT. NON. MYSORVM.
VLTIMVS.
NATAVIT. SINE. CORTICE. NAVIGAVIT. SINE.
CONTO SÆPE.
MEDIVM. SEMPER. TENVIT.
ET. QVOD. CALYPSVS. AD. VLYSSEM.
PRÆCEPTVM. FVIT.
NAVIGAVIT. EXTRA. FVMVM. ET. VNDAM.
NVNC. IN. TRANQVILLO. ET. PORTV CONSISTENS.
HALCYONIS. AGIT. DIES.
DVABVS. FVLTVS. ANCHORIS.
HONORIS. ET. AMORIS.
NON. ILLE. A. REMO. AD. TRIBVNAL.
SED. PER. LONGA. EXILIA. PER. VASTA.
ÆQVORA.
INTER.
BREVIA. ET. SYRTES. SCYLLAM. ET. CHARYBDIN.
SCOPVLOS. ET. SIRENAS. TVRBINES.
ET. PROCELLAS.
CLAVVM. SEMPER. RECTVM. TENVIT.
IN. QVO. FALLVNTVR. SAEPE QVI. MOLORCHOS.
IACTANT. ET. QVI.

VEN-

VENTVM. PERENDINVM. PRÆSCIVNT.
HINC. ILLE. AD. CLAVUM. REIPUBLICÆ.
SOLET. ET. HEIC. EXERCERI. PISCATORIA.
SED. QVÆ, MONSTRIS. MARINIS. TANTVM.
INSIDIATVR.
APAGE. ILLOS.
QVI. PISCANTVR. IN. TVRRIDO. MARI.
QVI. ALBO. RETI. ALIENA. CAPTANT. BONA.
QVI. DELPHINVM. CAVDA. LIGANT.
QVI. ANGVILLAS. CAPTANT,
ILLI. SVNT. QVI. POLYPI. MENTEM. OBTINENT,
QVI. PRO. LOCO. ET. TEMPORE. COLORES,
INDVVNT.
QVI. QVICQVID. TETIGERVNT. TENENT.
TIBI. VERO.
S P O N S E.
TOLLENDA. NVNC. EST. ALTERA AMORIS.
ANCHORA.
AD. ALIVD. GENVS. REMI. VOCARIS.
POTES. ET. HEIC.
NAVIGARE. PISCARI.
ET. TV.
E L I S A B E T A, S O P H I A.
QVÆ. NVNC. CVM. ILLO. IN. EADEM. ES. NAVI,
QVIQVE. AMBO. PARITER REMOS. DVCITIS,
MARE. VOBIS LIBERVM. SIT. NON. CLAVSVM,
FORTVNA. VOBIS. SIT. PERPETVA. NVNQVAM,
ÆSTVARIA.
NVLLA. VOS. SISTAT. REMORA.
TRANQVILLVS. VOBIS. ÆTHER. SIT. VENTVS,
SECVNDVS.
NVNQVAM. NVDVM. REMIGIO. LATVS.
NOCTV. NAVIGANT. NAVTÆ.

HEIC. SPONSI. OCELLI. HELICE. ERVNT.
ET. CYNOSVRA.
HVC. SE. VERTVNT. RADII. MAGNETICI.
SED. RECTI. ET. SINE. VLLA. CHALYBOCLISI.
NOCTV. PISCANTVR. PISCATORES.
QVARE. ET. HEIC. REM. VESTRAM. AGITE.
SEV. HAMO. SEV. RETI.
NE. OPERAM. PERDATIS. ET. RETIA.
VOTA. FERTE. NVNC. SED. PISCATORIA.
ET. VTINAM. FORS. VOTVM. ADIVVET!
IACTUS. VESTER. ESTO. MILESIVS,
TRIPVS. ILLE. AVREVS,
CVM. LEMMATE.
D E T V R.
NON. SAPIENTISSIMÆ.
SED. IPSI.
S O P H I Æ.
N V N Q V A M. V O B I S.
VACVÆ. FLVITENT. SINE. PONDERE. NASSÆ.
VOBIS. DORMIENTIBVS. RETE. TRAHAT.
TANDEM. DENIQVE.
VOBIS. GEMELLI. ALIQVI. GEMINI. APPAREANT.
NON. TAMEN. ILLI. DIOSCVRI.
ET. QVOD. POSTREMVM. ET. POTISSIMVM. EST.
OMNIVM.
FATA. QVÆ. OMNIA. SOLVVNT.
SACRAM. ILLAM. ANCHORAM. PLACIDE.
AT. SERO. SOLVANT.

VOTA. HÆC. SANCIT. VENVS. PISCATRIX.
EXPISCABATVR. AVTEM. ILLA. SACRA.
ET. PRODEBAT. QVANTVM. LICEBAT.
D. G. M.
VOTIS. QVOQVE. IPSIS. SVBCRIPSIT.
ET. N V N C. P E D I B V S. I N. E O R V M. I B I T.
S E N T E N T I A M.

PISCA-

I.

PISCATOR CAPTVS.

DUm ſedet, atque ſui circumſpicit otia Regni,
Præſentique fovet Numine Diva Venus,
Per mare non tardis Puer Armiger advolat alis,
Et querulâ matris voce popoſcit opem.
Dum queritur, pharetras pedibus conculcat & arcus,
Et ſe vix ipſam mens furioſa capit.
Imbelles arment, ait, arma imbellia dextras,
Nolumus his noſtras dedecorare manus.
Quid juvat his Phœbum magnumque domare Tonantem:
Aut quid gradivum ſtringere laudis habet?
Nunc unus Iuvenis noſtras impune ſagittas
Ridet, nec noſtris ignibus ille calet.
Exhauſi totas in ſaxea corda pharetras,
Et fruſtra labor hic, fruſtra opus omne fuit.
An quædam certos ſacra vis effaſcinat arcus?
Aut illi triplici pectus in ære ſedet?
Struximus inſidias & fraudes, non tamen ullâ
Piſcator potuit callidus arte capi.
Muſarum quia ſacra colit, nunc Numina noſtra,
Qui flamma dignus ſplendidiore, fugit.
Namque illuſtre nitet genii jubar, altaque Virtus,
Et multum grato fulget in ore decus.
Commendant dulci ſaturati nectare mores,
Luminaque & tædis plus valitura meis.
Nunc mores hominum varios perluſtrat & urbes,
Et genii ſequitur ſemina pulchra ſui.

Dixerat: At vafras volvit Venus impigra fraudes.
Conſiliis, ait, heic utere, Nate, meis.
Res aliâ tentanda via eſt, quod aperta negarunt
Arma, leves toties id potuere doli.
Piſcator capiendus erit. Cape retia, Fili,
Quæ tenui duxit Conjugis ære manus,
Queis quondam noſtros celer irretivit amores,
Ac illâ poterat quilibet arte capi.
Tortus de dextra ſemper Tibi pendeat hamus,
Æraque divorum celet adunca cibus.
His involve dolis nil quidquam tale putantem;
At medio cœcos aëre fige pedes.
Nec mora: jam medio libratus in aere pendet,
Utque habitus deceat ſe novus iſte, rogat.
Ut Mater laudavit, abit, calamosque ſequentes
Antevolans lentè poſt ſua terga trahit.
Quà volat, in varios ſe tellus ſubdita flores
Induit, & quivis obvius ales amat.
Ergo pererratis terrarum ambagibus unum,
Unum, quem caperet, quærit; At ille fugit.
Ille fugit, vanosque Cupidinis excutit aſtus:
Et fruſtra dolus hic, fruſtra opus omne fuit.
Nuper at errantem patriis offendit in agris,
Ac improviſis caſſibus ora premit.
Vicimus! exclamat plaudunt alæque manusque
Victorem ſequitur jam nova præda ſuum.
Ter contra graciles, fallentes lumina, nodos
Armavit ſtrictas in ſua damna manus.
Utque leves tractus momentaque parva ſequuntur
Retia, ſic vinclis ſtringitur usque ſuis.
Sic ubi ſe laqueis connexuit aucupis ales,
Plangitur, & motu ſe ligat ipſe ſuo.

Hanc

Hanc Tibi ſervat Aamor, *Virgo lectiſſima*, prædam,
Hâc prædâ prædam Te Capit ipſe novam.
Jam captum ſe gaudet, & inter Virginis ulnas
Perpetuo velit hæc carcere vincla pati.
O vos ô ſtringant concordi Retia vinclo.
Æternusque animos ſemper ineſcet amor!

II.

PISCATOR JCTUS.

VIderat Ales Amor peregrini à gentibus orbis
Fischerum ad Patrios jam remeaſſe lares.
Ergo, ait, ille meos ſolus non ſentiat arcus,
Nec vires poſſunt hunc ſuperare meæ?
Hunc vario rerum Sapientem dicimus uſu.
At noſtræ Sapiens non erit ille Scholæ.
Ut nobis Sapiat, Sophiae infundemus amores.
Dixerat, & telo pectus utrumque ferit.
Ille cupidinea trajectus corda ſagittâ
Nunc in Amore Sapit. Tu quoque, Sponsa, Sapis.
Ille quidem per Te Sapiet nunc; Tuque per illum.
Non Hic, nec Sophie Tu Sapis ipſa Tibi.
Diſcitis heic, Sponsi, & quod neſcit uterque docetis,
Dici & uterque poteſt doctus, uterque rudis.
Sed Sapitis tamen. Hic Sapuit Piscator; at Ictus.
Nunc quoque Piscatrix, ſed prius Icta Sapit.

VENUS OLEARIA

Ad

Virum Nobiliſſimum & Ampliſſimum

DN. ADAMUM OLEARIUM.

Sereniſſimi Holſatiæ Ducis Bibliothecarium & Mathematicum celeberrimum.

Cum

Viro Nobiliſſimo & Conſultiſſimo

DN. BURCHARDO NIDERSTÆTTIO

J.U.L. & Sereniſſimo Holſatiæ Duci à Secretis

Filiam unicam

Virginem Elegantiſſimam & Lectiſſimam

MARIAM ELISABETAM

in matrimonium daret.

* * *

VENERI. OLEARIÆ.

NON. ΑΦΡΟΓΕΝΕΙ. SED. ΕΛΑΙΟΓΕΝΕΙ.

PLACIDISSIMAE. SOSPITAE. ΑΛΕΞΙΚΑΚΩΙ.

CVIVS. NECTARIS. PARTIS. QVINTA.

DELIBVTI.

AMORVM. FLAMMIS. ARDENT.

BURCHARDUS. NIDERSTÆTTIUS.

ET.

MARIA. ELISABETA. OLEARIA.

PAR.

PAR. PLACIDISSIMVM. ET. PRVDENTISSIMVM.
QVOD. ET. OLEVM. SVB. PECTORE. SERVAT.
ET. ACETVM.
OLEO. INCENDIVM. RESTINGVERE.
TENTANT. CVPIDINES.
ALIQVI. XTTAON. AFFVNDVNT.
OMNES. EX. COMPACTO. REM. AGVNT.
UT. IN. VELABRO. OLEARII.
EXVLANT. HIC. MYRTI.
OLEAGINIS. COROLLIS. APPARENT. OMNES.
QVAS. IPSI. NECTVNT.
SPONSO.
PRO. AMORIS. TRIVMPHO.
SPONSÆ.
PRO. VIRGINITATIS. PRÆMIO.
TU. VERO.
SPONSE.
QVI. CVM. DEMOSTHENE. PLVS.
CONSVMPSISTI. OLEI.
QVAM. VINI.
NEQVE. NVNC. EXTRA. OLEAS. VAGARIS.
NON. ARBVSTA. JUVANT. ET. HVMILES.
MYRICÆ.
NON. FVNESTÆ. TAXI. NON. LAVRVS.
INNVBÆ.
NON. PVGNACES. FRAXINI. AVT. FATALES.
CVPRESSI.
SED. ILLA.
PVLCHERRIMA. RVRIS. IMPERATRIX.
ARBORVM. OMNIVM. REGINA.

FELICISSIMA. MITISSIMA. PLACIDISSIMA.
JAM. NON. MINERVÆ. SED. VENERI. SACRA.
O L E A.
QVÆ. NVNQVAM. VERSO. NOMINE. FIET.
A L O E.
LIGNVM. PVLCHERRIMVM.
DE. QVO. VEL. STRANGVLARI. (AMPLEXIBVS. SCILICET.) CONVENIT.
ILLA.
IN. FOEDVS. AMORIS. RAMOS. TIBI. PORRIGIT.
CVM. VITTA. LANEA.
PACIS. ET. CONCORDIÆ. NVNCIA.
NAM. NEC. MARTIS. FERRVM. PATITVR. NEC. JOVIS. FVLMEN. HORRET.
FRVCTVS. ILLA. DABIT. VBERRIMOS.
SED. RASTRA. HIC. TOLLE. ET. LIGONES.
NAM. ET. HIC. TIBI. PYTHAGORÆ. ILLA. LEX. POSITA.
OLIVETA. NE. CÆDAS.
QVAMVIS. TVA.
QVOD. CVM. TENTARET. HALIRRHOTIVS. NEPTVNI. FILIVS. SECVRIM. QVAM. INTENTABAT. CAPITI. SVO. IMPEGIT.
I L L A M.
NON. TVRBENT. PROCELLÆ.
NON. ADVRAT. SIRIVS.
NON. CONSTRINGAT. FRIGVS.
NON. ADMORDEANT. CAPRI.
AT. TIBI.
S P O N S E.
FLORES. CARPERE. SI. COMMODVM. EST.
HEM. TEMPVS. EST.

BONA.

BONA. ERIT. ALIQVANDO. OLIVITAS.
PRÆDICO. VOBIS. VBERTATEM. OLEÆ. ANNO. PROXIMO.
NON. THALES. ALIQVIS. MILESIVS.
NON. ARABS. ΕΛΑΙΟΜΑΝΤΙS.
SED. VATES. HELICONIVS.
DOCVIT. ME. ITA. DIVINARE. CICERO.
FLOREM. OLEÆ. AGRICOLA. CVM. VIDET. BACCAM. QVOQVE SE. VISVRVM. PVTAT.
PROGERMINET. HIC. PYGMALIONIS. OLIVA. AVREA.
FRVCTIBVS. E. SMARAGDO. ONVSTA.
NEMO. HIC. OLEVM. PERDAT. VEL. OPERAM. THALAMVS.
PALÆSTRA. EST. ET. CAMPVS. MARTIVS.
LVCTANTVR. HIC. NOVI. VENERIS. ATHLETÆ.
GYMNASIARCHÆ. ADSVNT. CVPIDINES.
QVI. NERVOS. FIRMANT. OLEO.
CAPVT. CORONANT. OLEA.

S P O N S O.

QVOD. VICTOR. EXSTITERIT.

S P O N S Æ.

QVOD. SVCCVBVERIT. PRO. PATRIA.
NAM. ET. HIS. OLIM. DABATVR. OLEA.
RENITI. CERTE. MORE. PALMÆ. NON. DECET.
SIC. VTERQVE. MERENTVR. OLEAM.
ILLE. VINCENDO. HÆC. SVCCVMBENDO.
THALAMVS.

SOLIVM. ALIQVOD. REGIVM. EST.
MONARCHIA. HIC. IN. GEMINIS.
CHRISMATE. SVO. INVNGIT. VENVS.
SED. INTER. THALAMI. TENEBRAS.
NAM. ET. HIS. QVOD. FLAMINI. DIALI.
INTERDICTVM. EST.
SVB. DIO. VNGI.
THALAMVS.
STATVARIA. OFFICINA. EST.
VOS. ESTOTE. PHIDIÆ.
QVI
NON. EX. DEVCALIONEO. LAPIDE.
SED. MOLLI. OLEÆ. LIGNO.
INNVMEROS. SIBI. SCVLPANT.
MERCVRIOS. VENERES.
ASCANIOS. JVNONILLAS.
PVLCHRA. AMORVM. IDOLA.

* * * * * *

VENVS OLEARIA.

PAnde tuas OLEAS, OLEARI, & difflue ſacris
Frondibus, eximius Tibi dum de ſtipite prodit
Surculus, atque novæ gratâ propagine ſtirpi
Jungitur. Alludant concuſſo vertice rami,
Atque ſalutantes collis ſibi ſpontè ſupinis
Occurſent virgæ & gratantia ſibila fundant!
Sic gemina irriguo ſi ſors ſtetit arbor in horto,
Una paſta ſolo, ramos quarum illa colonos
Accipit, & teneros emancipat iſta Quirites;
Hæc quantum perdit, tantum de matre propinquâ
Haurit & in prolem numero majore reponens
Gaudet adoptandis dare pinguia pabula natis:

Impa-

Impactum illa rapit pulchro ſibi vulnere germen,
Et teneram adducto conſtringens cortice pubem
Largos inſtillat latices occultaque præbet
Ubera. Tunc vaſtus ſe tollit in æthera vertex,
Inde novercales jam lætior explicat ulnas,
Seque agit in conos & opacâ fronde coronat.
Viderat exſertos OLEÆ ſe pandere ramos
Altius alma Venus, placido quam Cimbrica tellus
Rore alit, illuſtris quæ cætera nomina ſylvæ
Alto operit capite, & foliorum turbinat orbes.
Vidit, & invidit. Cur has, ait, innuba Pallas
Sola ſibi frondes tribuat? cur munere tanto
Gaudeat una? nec eſt, quod opus cauſetur ab arte
Eſſe ſuâ, quódque hæc victi monimenta tridentis
Actæâ quondam ſibi nata locârit in arce
Germina. Nos Veſtæ gremium laxamus & artus,
Mobilibusque intus ſecura laceſſimus auris
Semina. Nos faciles animamus numine plantas.
Omnia gignit Amor, molles in marmora ſuccos
Excoquit & tepidos Naturæ ventilat ignes.
Noſtro prægnantes implentur ſemine Venti,
Et noſtris flagrant oleis æternaque ſpirant
Balſama, ſecretis Hermeti excepta caminis.
Si nobis Natura patet fœcundaque virtus
Omnis, cur noſtris non paret mitis OLIVA
Imperiis? noſtros ſpernentem Pallada amores
Non arbor fœcunda decet. Minor eſt mea Myrtus,
Et ſolo Roſa flore placet. Glans querna Tonanti
Naſcitur. Alciden imbellis Populus ornat.
Hanc Alni ſteriles & inertes fœtibus Orni,
Et viduæ potius Platani, Salicesque paluſtres,
Quam gravidæ deceant OLEÆ. Si fronde juventam

Ser-

Servat perpetuam, nec iniqui ſidus AquarI
Horret Oliva, meis ſacranda eſt uſibus: & me
Nulla ſenecta premit. Pacis mihi munera curæ,
Et vel ſic noſtri dicetur Numinis arbor,
Non, Bellona, tui, totum cui milite pectus
Turget & æratam junctâ ægide concutit haſtam
Sæva manus. Veneris poſthæc ea creſcet in hortis.
Vel myrto mutanda meâ queiscunque vocari
Illa queat titulis, ea noſtra vocabitur arbor.
Illa vel invitâ dicam faciamve Minervâ.
Dixerat, & tenerorum exercitus omnis Amorum
Expanſis plaudens matrem circumſtrepit alis.
Et tunc forte ſuis ſedit Venus alma viretis
Florum fulta toris. Pæſtana monilia collo
Dependent tereti, nativo os fulgurat oſtrô
Atque genæ vivique emblemate ſanguinis ardent.
Heic Ver perpetuum, nullis heic jura procellis.
Non ſonuere graves buccâ tibicine venti.
Non cani apparent caperatâ fronte Decembres.
Non heic peccantes poterant effundere flammas
Sidera, nec lento Zephyros armare veneno.
Implumes tantum ludunt per prata FavonI
Vivida, felices queis interſerpere odorum
Deprendas animas, quas pulchri germina ruris
Laxatis pariunt uteris. Heic divite fœtu
Stat pretioſa ſeges totoque accenditur aurô,
Et ſatura infuſa diſtinguitur iride tellus.
Hic molles caſias & odoræ munera nardi
Et thymon & melilothon & Oebaliden Hyacinthum,
Et mille Herorum mendacia nomina flores
Dædala Flora ſerit, patulis jam lilia picta
Pan-

Pandunt argentum labris, tegit aurea ſacras
Ralla roſas ſpinis haſtaque ſatellite tutas.
Stant violæ, variisque interlita Tulipa guttis.
Sanguineas jam pexa ſtrias, fulvaque flagellans
Purpureum vibice, nigris jam concolor Indis,
Nativoque decus violans jam murice, eburnum,
Plebs creſcit diverſa locis herbæque minores.
In prædam ceſſuræ apibus, dextræque protervæ.
Sunt quoque, quæ Venerem poſſunt ſtimulare morantem
Germina. Stant bulbi teretes, & grandior orchis,
Et flos Euphraſiæ Samioque inviſa Magiſtro,
Stat faba, quæque viros ſolantur eryngia ſegnes,
Ac Eruca ſalax reſidesque cientia venas
Gallia, & Aſparagi, & germen benè olentis anethi.
Hinc paſſim videas ſpumanti bile tumentes
Volvi ac obſtantes rivos vagire per herbas,
Faſcina facturos oculis. Stat perfida tellus
Flumen alens venis & inobſervata latentes
Area ſpargit aquas ludentibus invida Nymphis.
Quæ cœco ſi tacta pede eſt, furit omnis ab imo
Inſidiisque ruit vortex emiſſus ab altis,
Objectans ſibi ſe propriosque volutus in ortus.
Plebejos tamen heic latices ne concipe; nam vel
Lenæus fluit inde liquor, vel nectaris imber
Diditur, æthereo paſturus germina ſucco
Adſtant & vultus imitantia ſigna ferarum,
Adſtat olor pincerna, intusque cientibus undis
Jam viſus cantare, & nunc quoque flumina grata
Sculptus amat Roſeis manſueſcunt ora Draconum
Fontibus, & torvi ringuntur molle Leones.

Præ-

Præterea gemini fontes labuntur Amorum
Uſibus aptandi geminis. Stillata roſarum
Hunc fudere Olea. Hic faciles in pectora flammas
Inſtillat, queis tela Puer felicia tingit,
Concordes paritura toros. Hunc dulcibus unum
Deſtinat obſequiis & amori ſervat amœno.
Alter mordaci rigidiſſimus horret aceto.
Et ſale, qui Vatum lacrymis ſua debet amantum
Incrementa: illo male ſani unguntur amoris
Spicula, quæ venis penetrabile virus adhalant:
Hinc pia tempeſtas oculorum ſpargitur acri
Mota ſale, hinc gemitus & fœminei ſingultus,
Et metus, & ventis commiſſa fidelibus oſcla,
Votaque, ſed celeres quæ deſtituere Kalendæ,
Et votis jugulatà novis, vigilataque multum
Somnia, & obtuſis ſuſpiria pendula pennis.
Circum umbræ tenues triſteſque vagantur] amantum
Hinc illinc animæ, & veteres meditantur amores.
Et jam pone volant; jam fonte lavantur acerbo.
Heic iræ celeres, pictâ mendacia fronte,
Et Curæ crines laceræ, fraudeſque dolique
Circumeunt, pullæ defendunt littora taxi.
Heic inulæque aloëque & tetra abſynthia ſurgunt,
Atque venenata multus latet anguis in herba
O miſeros hoc fonte procos! ſed provida ſemper
Miſcet utrumque Venus: namque hos vel partibus æquis
Temperat, aut pauco majus confutat amarum
Nectare; vel nimio nectar contriſtat amaro.
Stant alibi pulchro diſpoſtæ ſchemate ſylvæ,

Ac

Ac hyemen gignunt foliis quæſitaque ſomno
Frigora. Congeſtis avis heic cythariſtria ramis
Multa ſedet frangitque ſonos & gutture acutos
Turbinat accentus ſua per veſtigia lapſos.
Jam nemorum Siren vocis Philomela mæandros
Circinat, & fringilla ſuos & alauda ſuſurros
Alternis miſcent numeris. Heic grata columbis
Incunabla ſacris, roſeis quas Diva quadrigis
Jungit, & heic nidos ſtatuunt & fœtibus implent.
Heic oracla canunt, ceu quas Dodonia quercus
Fovit, & hæc parvi ſcribunt præſagia Amores.
Laſcivus non paſſer abeſt, tibi Lesbia qualis
Irruit in digitos, crebrosque agitans hymenéos.
Hic centum Nymphæ, centum ſub frondibus errant
Aligeri Fratres, qui vel de Floribus udis
Auroræ ſugunt lacrymas muſtoque roſarum
Ceu teneræ ſaturantur apes, vel poma revellunt
Aurea, quæ facili mittunt ſuper æthera jactu
More pilæ, certisque petunt jactata ſagittis,
Anticipantque iſtas pennâ veloce ſagittas.
Pars etiam innocua pomorum grandine Nymphas
Obruit & largo florum ſe perpluit imbre.
Pars melimela metit, vel amygdala dulcia carpit,
Aut florem agglomerat, vel nectit myrtea ſerta
Vatibus in fidi pretium & ſolamen amoris.
Sunt qui Elegos, ſunt qui natos ex tempore luſus,
Et ſylvas faciles, & ſalſa Epigrammata cantant.
Sunt qui creſcentes truncorum è cortice virgas
Excidunt, aliisque æterno glutine jungunt.
Pars agitat Satyros, & ruſtica numina Faunos.
Sunt etiam, Arboribus qui mutua vulnera figunt,

Præluduntque ſuæ parvis conatibus arti,
Ut certo ſibi conſtet amor. Quæ cuſpide tacta eſt,
Arbor amat: jamque hæc arctis concurrere gaudet
Frondibus, & ramos tacta appetit illa maritos,
Amplexusque plicant pronæ. Jamque ipſa vetuſtis
Robora amant lignis, jam fuſius induit ulmum
Pampinus, & memores celebrant connubia palmæ,
Et lentæ ſalicum lunantur in oſcula virgæ.
Biſtonius jungat numeros & carmina Vates:
Et ſaltaſſe velint totâ ex radice reciſæ.
Innuba laurus abeſt, tædas exoſa jugales,
Quam nec amor pharetris, Dea nec dignata hyménéo eſt.
Deerat & hîc proles tardè creſcentis OLIVÆ,
Quod ſolers jam ſentit Amor, qui maximus inter
Sidereos fulget ſublimi vertice fratres.
Mater, ait: memori voces jam mente repoſtas
Servo tuas; nunquamque animo promiſſa voluptas
Excidet: optatæ quandò dominamur OLIVÆ?
Solve fidem Genitrix, & iniquâ ſorte Minervam
Exue: nam noſtro digna eſt acceſſio regno.
Riſit, & ô noſtras nondùm perdocte figuras
Mater, ait, nondum ſatis ô exercite ludo,
Nate, meo. Vocis te perfida ludit imago.
Te tuus interpres, te nominis omina fallunt:
Sunt aliæ nobis OLEÆ, neque frondibus iſtis
Aut ligno capimur, nimis hæc plebeja voluptas.
Eſt quâ ſe tollit Cimbrorum Principis aula,
VIRGO, ſalutari nomen quæ debet OLIVÆ,
Quæ virtute pares, ſuperos quæ vincere forma
Poſſit, quæ noſtrâ poterat conſidere conchâ,
Docta

Docta Patris docti ſoboles : nam tota Minervæ
Incumbit ſtudiis, noſtros ea friget ad ignes.
Arte novâ, & miſſis tota eſt impervia telis.
Hos volvit Jove nata dolos, queis noſtra refutat
Numina. Saxificæ quod ſtillant Gorgonis angues
Illa capit virus, teneros quo perfricat artus.
Hi frigus ferale bibunt, & ad oſſa rigentem
Demittunt ſilicem, coëunt in marmora venæ,
Et toto cutis oſſe ſtupet. Sic agmine facto
Cùm Boreas, Eurusque furunt & frigora miſcent
Flatibus, æratas inducunt flumina cruſtas,
Celatosque novo defendunt robore fluctus,
Sic cataphracta tuas eludit Virgo pharetras
Ære ſedens triplici, jamque à cognomine ligno
Tota abit in lapidem, tota hæc intercute ſaxo
Stringitur immitisque hyemes & frigora Zemblæ
Intus alit. Sed nos alia ſuperabimus arte,
Cùmque arcus fallant, OLEO infundemus amores.
Eſt liquor exiguo penetrans ſolidisſima dente
Corpora, quem coxit Siculis in fontibus æſtas;
Qualis & iſte fuit, mea cui primordia Diva
Debeo natalesque meos; neque deſide ſpumâ,
Sed molli ſum nata oleo, quod ſemina rerum
Cunctarum tenet ac aurai ſimplicis ignem.
Eſt Oleum quoque quod Petra gignit fertilis, eſt quod
Toſti ſudarunt lateres. Hæc omnia Naphta
Temperet, oſtenſos tacito quæ provocet ignes
Fomite. Sic ſaxis quæ quondam egreſſa poteſtas,
Ingreditur virtute pari, poteritque minutas
Rimari per operta vias & pandere clauſos,
Quâ data porta, ſinus. Si cedere nolit, acetum

Adde meum, quo vel vetitas novus Annibal Alpes
Rumperet. Adde oleum flammæ inſuperabile, cujus
Irrita fœcundis incendia viribus obſtant.
Adjice nitrati globulos ſalis, injice mentham,
Seminaque urticæ, & guttas ardentis aquæ ſex:
Illis adde tamen, ne mitia balſama deſint,
Quæ molles faciant animos flammasque latentes
Ad ſua membra vocent, grata & promulſide paſcant,
Cinnama quem fundunt, quem caryophilla liquorem,
Et quem Pinea nux & quem nux Indica ſtillat,
Pingues PiſtacI ſuccos, Macisque ſalivam,
Euphorbi Libycæ rorem leporisque medullam,
Reptantesque ſolo cochleas, tritumque pyrethrum.
Non oleum deſit, quod fluxit partibus illis,
Pontice queis vitam Caſtor ſervare reciſis
Crederis ancipitem, non id quod amygdala; non quod
Quaſſarum genuere cadavera formicarum.
Hæc Tu Pœonio ritu confunde Cupido
Pharmaca, tùm ſumto Cimbros accede veneno
Et totam toto fluvio perfunde puellam.
Tùm paſtas oleis tædas ignesque ſacratos
Concute; ſic celeres admixta bitumina flammas
Ad ſua membra trahent vectas famulantibus auris.
Ergò ubi jam ſegnes tempeſtas ignea fibras
Corripit, & molli caſtigant balſamo ſucco;
Tùm cape tela puer calamisque ſonantibus urge
Pectora, ut in calidos, quanta eſt, ſolvatur amores.
Hinc & adi gratas, quas NIDERSTATTIVS ædes
Incolit, egregium generoſo incoctus honeſto
Pectus,

Pectus, & unguiculis Muſis formatus ab ipſis,
Quæ pubem ingenii canam ſeniumque juventæ
Miratæ appendunt lauroſque hederasque ſequaces.
Jam Themis ipſa dedit, quæ per ramoſa viarum
Legiferas ſectari aquilas juſtumque biforme,
Affuſisque jubet legum ſubſellia nimbis
Perpluere: Hinc aulæ curis majoribus addit
AUGUSTOQUE DUCI, juſſitque â vultibus illi
Stare ſacris, dignos commendat gratia mores.
Et pulchræ ſtat frontis honos mitique ſeverum
Miſcet; & ille novæ dotetur munere prædæ.
Sic volo, ſic jubeo. Poterunt ceſſare ſagittæ.
Dic tenerum, dic molle aliquid, dic dulcia ſponſæ
Nomina, & illapſos patulis bibet auribus ignes.
Dixerat: at collo applaudens puer ales eburno
Oſcula figebat Matri, pennisque citatis
Hinc abit ad Cimbros: at quà volat, aëre toto
Spargit Achæmenias nubes placidamque beati
Ingluviem laticis, rorant pennæque ſinusque:
Stant famulæ in ſylvis frondes, calet obvius ales
Igne ſacro, ac ipſis piſces uruntur in undis,
Ipſâque divino ſtat ſaucia vulnere tellus,
Et varias effundit opes Zephyrique procantis
Pingit delicias, ſpecioſos veris ephebos,
Quidquid Arabs Meduſque legit, ſpicasque Ciliſſas,
Et Caſiam mollem & Cerinthi flexile gramen
Thymbrasque & violas gratâ ferrugine tinctas.
Has longo ducit Puer hic poſt terga phalanges
Syrmate. Jamque ubi ſe mediis penetralibus infert,
Tectus nocte ſuâ, lecto tùm forte jacentem
Invenit & gratos ſpirantem pectore ſomnos,
Quos ſuccis firmat medicis. Viſa illa jacendo

Pulchrior, & totâ perfuſus Virgine vultus,
Membraque luſtranti patuerunt ſingula tædæ.
Nec mora, & arcano perfundit pectora nimbo,
Admittitque faces, flammisque ſequacibus artus
Mitigat, & motis incendia ventilat alis.
Dumque ferit telis, repetitaque nomina SPONSI
Commiſcet telis, vigil hæc jam ſentit & audit
Dulce nefas, fruſtraque inhiantes diſſipat ignes
Ter revoluta toro, ter flammas motibus augens.
Ergò abit & tanto turgens puer ille triumpho
Jungit ovans alium: jam NIDERSTATTIUS illi
Viſitur: at facibus non utitur atque ſagittis.
Nomina ſunt ignes illi, ſunt verba ſagittæ,
Jam vulnus factura animis, queis dulcia miſcet
Seſama, jamque ſacer membris furor, imaque venis
It Venus, & pulchra jam cœpit imagine tangi,
Jamque unam ſua vota vocat, ſua mulſa, ſuum cor,
Singultatque leves elegos. Quem curia poſcit,
Ida tenet. Jam non bullato pulpita Baldo
Preſſa gemunt, teneri ſubeunt Naſonis amores,
Et ſoli placuere, interque Cupidinis arma
Nunc leges & jura ſilent. Jam mitior audit
Virgo, jam firmam vota in contraria mentem
Flexerat. Illa ſuos jam viſa odiſſe labores,
Artificem jam ſpernit acum. Non Palladis artes,
Sed Veneris commenta placent, jam ſomniat unum,
Unum cogitat, & totum ſe mancipat uni.
 Indoluit hinc ſpreta Themis, Tritoniaque inde
Virgo; ſed infixos fruſtra remoratur amores,
Nil Themis aut Pallas potuit, quanquam illa mederi
Exilio tentet, creſcentesque invida flammas
Injectis frenare moris. Non tædia longi

Temporis aut memores ætas evellit amores.
Falleris. Haud uno thalamis præſcribitur anno.
Actio perpetua eſt, plusquam Veſtalibus ille
Urit amor flammis, & ſeſe paſcitur ipſo.
Ire tamen juſſit Themis, ac oracula magni
Principis excelſis dedit enarranda Dynaſtis.
Ergò abit hinc animæ Sponſus pars altera amaræ,
Fitque exul mox ipſe ſui. Sic manſit amator;
Aſt Orator abit. patriis dùm migrat ab oris,
Mens redit in patriam ac in amico pectore ſpirat.
Ille tamen pigro dictat convicia ſoli,
Et lentos dolet ire dies, jam computat annum
Et numerat menſes & tardas increpat horas,
Sæpè ſibi voluit plumeſcere brachia fato,
Niſe, tuo, aut volucres Cylleni optaverat alas,
Raptoremque Aquilam, ſi molles Dædale pennas
Aptares humeris, liquidum ille flagellet inane
Icarus & patriis cupidum ſe ſiſteret oris.
Tantus in abſentem calor eſt. jam firmat amores
Litera, jam calidas labor eſt ſudâſſe tabellas
Unicus. Indocilis laſſatur vulnere crebro
Pagina, dum dubias voces ſuſpenſa moratur
Sepia. Jam molles numeros, jam triſtia ſcribit
Carmina, jam multo chartas effœminat aurô.
Illa quoque in lacrymas toties abit & ſibi rapta
Gaudia & inviſos queritur ſurdeſcere Soles.
Hei quoties vultus iterum ſibi poſcit amicos,
Dilectumque caput! centum ſtant pectore curæ
Quodque timet, neſcit, metuit tamen omnia virgo.
Hunc illi reducem toties pia ſomnia fingunt,
Hunc loquitur toties abſentem, hunc nominat unum.

Viderat indomitos nullo Themis ariete utrique
Stare animos. Ceu ſtat cœlo contermina rupes,
Quam fruſtra inſanis impellunt flatibus Euri
Et maris irati rabies, ſed fracta furentes
Se retrò in ſpumas agitat, mergique rebelles
Et jugulat ſepelitque in ſe commota procellas.
Ergo animi curas miſerata graveſque labores
Juſſit amare ſuum, ſi ſic res ſalva, clientem.
Nec ſanctum ſuſpendit opus. Jamque ille penates
Rurſus adit patrios, & per tot vota petitos
Ille ſalutat agros. Jam per tot vota petita
Fertur in amplexus OLEARIA, nec ſua differt
Gaudia, celatas Venus inteſtina favillas
Suſcitat, ac ardent feſta ad genialia tædæ.
Ipſa parat thalamos OLEARIA blandula: nam nunc
Nil intra hanc OLEAM duri eſt, jam mollia fandi
Tempora, jam faciles aditus taciturna recludit,
Et jam pacalem ſupplex prætendit OLIVAM.
Libratur tereti Sponſæ gratiſſima collo
Sarcina, mille ſonant animæ ſugentia rores
Oſcula, mille toris irrepunt murmura, rixæ,
Conflictuſque leves, mille heic poppyſmata ſtrident.
Ipſa ſuos fundit vobis Venus aurea flores,
Quodque pedes calcant, roſa fit, quod dextra prehendit
Fit roſa, & ex ipſis roſa nunc decerpitur oſclis.
Quæ Phryx auritus nociturum vertit in aurum,
In molles abiere roſas, quæ corpore pluma
Tangitur, in florem creſcit, ſubſtrataque amantes
Fulcit, at impurum nollet ſic condere Verrem.
Roſcida non ceſſant heic balſama, nec puer Ales
Ceſſat Amycleo thalamos conſpergere thallo.

Felices

Felices animæ, queis temporis atque olei plus
Impendit mea Muſa, quibus ſe effundere totos
Pegaſei gaudent latices, quam ſidere fauſto
Æthereus vos jungit Amor firmâque ligavit
Compede, quam ſanctis paſcuntur pectora flammis!
Creſcant felices felici ſidere amores!
Creſcant felices OLEÆ ſurgantque per auras
Latius, ut totam proles OLEAGINA menſam
Occupet. Infelix foliis OLEASTER amaris
Exulet, & molli contraria quercus OLIVÆ.
Inſere nunc, ô SPONSE, tuis hæc figitur arbor
Formanda auſpiciis plantandaque virgine dextrâ.
Æſtivâ illa togâ brumas Aquilone rigentes
Arceat, & viridi confutet fronde procellas.
Longaque vivaces ſerpant in ſecula rami.
Non illam tangat violento Sirius aſtro,
Fulmina nulla premant. Procul hinc, procul eſte bipennes
Sacrilegæque manus, totoque abſiſtite luco,
Non tamen hæc ſparget vacuas ſine frugibus umbras,
Atque triumphales tantùm decreſcet in uſus,
Sed flores baccasque dabit. Tùm pulchra trapetis
Munera, SPONSE, premas, tùm flumina nectaris ibunt.
Balſamaque, inſuavi quæ non perimentur amurca,
Quæ ſine fine fluant, ceu Sarpathana fluebat
Amphora. Sic crebros ferte, ô pia corcula, fructus,
Et ramos ramorum & qui naſcuntur ab illis
Jungite, ut hinc ſeri carpant ſua dona nepotes.

ARBOR AMORIS.

Veneri dicata,
Perpetuis decorata comis,
Zephyro contenta colono,
Purpureis ſtipata Roſis.
Arbor, cui patulo in tegmine frondium
Mellificatis Apes, Nidificatis Aves.
Et Cypriæ Columbæ, Molli foventur Umbrâ
Venusque Gratiæque, & quicquid eſt Lepórum
Perpetuas agitant Choreas,
Dum Venerem exercent frondes, dum ſibila jungunt.
Subſtrata terra ſpirat. Violasque Amaracumq;
Tepidique dona Veris merumque Mel Deorum.
Modo poma carpunt aurea Cupidines Jocique:
Mille Pharetrati ludunt in gramine fratres
Ipſa Cytheris
Sculpſit in ipſo
Cortice Nomen,
Nomen Amantum,
Nomina cunctis
Integra ſeclis:
Dumque rigavit
Nectare, dixit:
Ergo nec Imber,
Turbo, pruinæ,
Turbet Amores,
Me duce, veſtros:
Dixit, & oſclis
Nomina ſanxit:
Ergo beati
Creſcite Amores,
Quantum Vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.

VE-

VENVS JOVIA.

In Nuptias

Viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi

DN. FRIDERICI NASSSERI

J. U. D. Dicaſteriorum Provincialis

& Aulici Advocati

ET

Lectiſſimæ Virginis

ANNÆ EMERENTIÆ

KIRCHMANNIÆ

Cum illæ die Jovis celebrarentur.

* * *

VENERI. JOVIÆ. SACR.

CVIVS. AVSPICIIS.

IPSO. IOVIS. DIE. IVNGITVR.

PAR. NOBILISSIMVM.

FRIDERICVS. NASSERVS.

ET.

ANNA. EMERENTIA. KIRCHMANNIA.

IPSE. IVPITER. IPSA. IVNO.

NVLLI. HIC. IOVIS. SATELLITES.

AVT. VEIOVES.

NVLLA. HIC. FVLMINA. NISI. QVÆ.

AMOR. SPARGIT.

NVLLA. TONITRVA. NISI. MVRMVRA. QVÆ.

IVPITER. IVNONI. IN. AVREM.

NEQVE. METVIT. HÆC. FVLMINA. NOSTRA.

IVNO. VT. QVÆ. NON. PROCVL. A. IOVE. ET.

FVLMINE. AGIT, SED. PROPE. AD. IOVEM.

HVNC. ET. FVLMEN. ACCEDIT.

VNO.

VNO. IOVE. MINOR.
FONTEM. AMMONIVM. IMITATVR.
QVI. INTERDIU. FRIGET. NOCTU.
FERVET.
FRIGET. ENIM. AMOR. SVB. IOVE.
FRIGIDO.
TV. VERO. SPONSE.
QVAMVIS. NEC. IVPITER. OMNIBVS.
PLACEAT.
TVÆ. PLACEBIS. TAMEN. IVNONI.
QVAM. NE. IRATAM. HABEAS.
PROVIDEBIT. AMOR.
MEMENTO. INFELICITER. OLIM.
OB. IVNONIS.
IRAM. PVGNATVM. ESSE. AD. CANNAS.
NEQVE. NVBEM. NVNC. AMPLECTARIS.
PRO. IVNONE.
THALAMVS.
ESTO. CAPITOLIVM.
IN. QVO. SVBSISTANT. IVVENTAS.
ET. TERMINVS.
NASCANTVR. HINC.
MERA. IOVIS. GERMINA.
HERCVLES. RHADAMANTI. IVNONILLÆ.
VALETE. AGITE.
VIVITE.
FELICITER.

AD SPONSOS.

NObile Par, quod blanda Venus, quodque æquus amavit
Jupiter & ſimili ſors ligat æquo toro.

Cur

Cur placet iſta dies Veneris ſacranda triumphis?
Et cur auſpiciis ſubditur illa Jovis?
Et Jove vos fauſto jungi & Junone ſecundâ,
Id magnum (Vates auguror) omen habet.
Omen habet, ſed quod vos ipſi conditis, & quod
Nititur auſpiciis, Sponſe beate, tuis.
Sponſa Tibi Venus eſt, Sponſa eſt Tibi Cinxia Juno,
Ipſe tui poteris Jupiter eſſe tori.
In Thalami ſcandis Capitolia Jupiter ipſe,
Et Capitolinus nunc celebratur Agon.
Pugnatur. Sed nulla armant tibi fulmina dextram;
Dulcia at ex oculis fulmina ſpargit amor.
Et magis illa urunt, tenebrantque ſecantque, nec illis
Præponit flammas Jupiter ipſe ſuas.
Pugnatur. Sed non interitant arma Gigantes:
Porrigit ad victas bella puella manus.
Non ſuperimpoſitâ Cyclops tumulabitur Aetnâ,
Sed tepido thalami carcere Virgo latet.
Jupiter eſto Stator, quo rerum præſide ſumma
Salva ſit, eſto thori firma columna tui.
Eſto Stator: neque tum ſcandent fulmenta grabatum,
Nec rerum ſtatus hic Te ſub Atlante cadet.
Pugnas & vincis, poteriſque Feretrius eſſe,
Dum pulchræ ſpolium Virginitatis habes.
Sis Piſtor, ſis Elicius, quocunque placebit
Nomine Junoni Jupiter eſto tuæ.
Sis Aquila, aut Cygni Tibi demum aptaveris alas:
Te tamen haud Lapidem ſentiat illa Jovem.
Omnia tum tibi fauſta, & erunt Jovis omnia plena,
Et benè taxilli tum cecidere Jovis.

Sit felix Jovis illa dies, feliciter illa
 Nox erit, & Tibi nunc gaudia plura dabit.
Poſt Jovis hanc lucem Veneris felicior hora
 Surgit & à media tempora nocte trahit.
Sic bene diviſæ ſpaciis æqualibus horæ.
 Hæc Veneris nox eſt, & Jovis illa dies.

VENUS CONSULARIS.

In Nuptiis

Viri Nobiliſſimi & Conſultiſſimi

DN. ANTONII Scheffel

J. U. D. Reip. Patriæ Conſulis & in Tribunali Regio Advocati digniſſimi,

ET

Lectiſſimæ Virginis

BARBARÆ Schelen.

Carmen Extemporale.

COnſpirat Themis atque Venus, dum gloria creſcit,
Creſcit amor, decorique decus ſuccedit, & ipſum
Se ſectatur honos viresque acquirit eundo,
Et tituli gignunt titulos: Vix labitur annus,
Ac ingens ter nomen habes, ſemperque futuro
Sternis iter: Themidos Te pulpita Norica Myſtam
Cum primùm confeſſa ſonant, perque abdita ferri
Jura jubent, cautumque ſacros evolvere nodos;
Tradidit orandas mox curia Regia cauſas,
Solarisque reos & lites legibus armas.
Hinc inſperatos Reſpublica patria faſces
Credidit & genio populum moderaris avito.

Nunc

Nunc SPONSVM STRALSVNDA vocat, pulchraque ſeverus
Conjuge miteſcis Conſul flammaque potenti.
Sic ubi cum ſociâ Conjux Junone jocatur
Jupiter, in faciles vultus abit oraque ponit
Magno digna Jove, & jam Conjuge digna reſumit.
Tunc in ſecretam non triſtibus influit aurem
Alloquiis, mulcetque manu, quæ fulmina neſcit,
Submittitque ſuos alienis ignibus ignes.
Quam plaudit Tibi noſter amor, dignumque ſonare
Jam vellet mea Muſa melos! ſed multa parantem
Dicere, multa tuis medicantem Carmina tædis,
Mille jocos, & mille ſales, & mille lepores,
In diverſa trahunt aliena negotia Vatem,
Dumque ſuus non eſt, vix eſt tuus ille, tuoque
Vix patet officio, nec ſi cum faſcibus inſtet
Ille tuus Lictor, nec ſi ferus ille ſecurim
Expediat, vel vincla paret. Nec mollia Phœbus
Tempora, nec faciles aditus, nec commoda ſpondet
Omina. Caſtalios vix jam mihi tangere fontes
Vix haurire datum, dum me prope littus amicum
Pes celer à tergo pellentibus avehit Euris.
Sic cum Niliacam ſitiens Canis errat ad oram.
Et putri ſentit ſtrepere Crocodilon in algâ,
Tum fugit, & ſummâ vix os ſibi proluit undâ,
Ac interruptos bibit & vix imbibit hauſtus.
His Te ergo incomptis jejuna hæc Muſa ſalutat
Verſibus, & veſtros fortuito dicit amores
Carmine: nam fruſtra nunc vivos rodimus ungues.

Nos

Nos ſaltem hæc vobis levidenſia munera, mentis
Candidæ & antiqui in documentum demus Amoris.
Quam felix Tibi ſurgit Amor! de Conſule Sponſus
Diceris, auſpiciisque tuis tam ſplendida ſignas
Gaudia. Non ſatis eſt, quod Conſul publicus audis,
Conſul & eſto domi, privato conſule lecto,
Privatæque Rei, poſtquam tibi publica fregit
Cura diem, potes & noctu nunc Conſul haberi.
Nunc Tu ceu Præſes, Collegaque Barbara lecti
Conſulite in medium, ſunt & ſua jura ſacrato
Non retegenda toro, tacitis res omnis agetur
Conſiliis, tum certa Venus ſuffragia dictat,
Et vos ſub magnis agitatis legibus ævum.
Fortunata dies, quæ nunc felicibus horis
Ingrederis cœlo pulchrosque exſurgis in ignes,
Te pompâ Cytherea novâ & præſentibus ornat
Auſpiciis, gratisque inſervit amoribus: illam
Non currus, non concha vehit, ſed ſella curulis,
Regia & à ſolido perfecta nitens elephanto,
Qualis Conſulibus quondam conceſſa putatur
Auſoniis: neque enim jam vult minor illa videri.
Picturata togam prætexit purpura limbo;
Bis ſeni Matrem ſtipant ex ordine fratres,
Nec pharetras telis onerant, ſed faſce ligata
Suſpendunt haſtasque ferunt, junguntque ſecures,
Lictoresque novos ſimulant, ſpeciemque vetuſtam
Oſtentat fictis majeſtas æmula ſignis.
Myrtus amica premit nodo conjuncta perenni
Tela, nec adſtrictos dirimet diſcordia faſces.
Concordes vobis animos manſuraque ſanctus

Vin-

Vincula ſpondet amor, ſignant hæc omnia faſces,
Quos vis una ligat. non heic nocuere ſecures,
Icta ſed æternis ſuſtentant vulnera flammis.
Hos, Tu, SPONSE, duces, nota regione viarum,
Hos comites ſectare lubens. jam gratior inſtat
Nox omni ſperata die, jam Cypridos aſtrum
Prælucetque viam & veſtro præludit amori.
Ad nova jura tori novaque ad collegia Conſul
Duceris. heic placidis leges ſcribentur in ulnis,
Quas docuit Natura Parens, tu tetrica pelle
Jura procul, tepido ſubſidat curio lecto,
Et peplo recrea trabeas. heic ſola tribunal
Occupet alma Venus, Charites, Riſusque, Jocique.
Perpetuus Tu Conſul eris, ſed nomina Faſtis
Annua & egregios Patriæ transſcribe Quirites.

Epigramma

In Nomen Sponſæ.

Ad Sponſum.

BArbara nulla placent. Tibi Barbara ducitur Uxor?
Et placet hæc animo Barbara ſola tuo.
Barbarus ingenio ſeu quis dicatur; an ore;
Hæc neutro dici Barbara jure poteſt.
Mitior ingenio nulla eſt, nec blandior ulla
Solvit in acceptas ora diſerta ſonos.
Pellite barbariem ludis vel pellite mundo,
Barbaries thalamo regnet amica tuo.

CUPIDO ARGUS

EJUSQUE SPECULA

Deſcripta & dicata

Amoribus

Viri Plurimum Reverendi & Clariſſimi,

DN. JACOBI HELWIGII,

S.S. Theol. Lic. Eccleſiaſtæ Berolinenſis,

&

Lectiſſimæ Virginis

ELISABETHÆ HERTZBERGIÆ

*

* *

VENERI. OCVLATÆ.

ET.

CVPIDINI. ARGO.

CENTOCVLO. SPECVLATORI. LYNCEO.

ΕΓΡΗΓΟΡΩΙ.

QVORVM. POTENTI. FASCINO. TACTI.

IN. OCVLIS. NVNC. SE. FERVNT.

OCVLISSIMI. DVO.

JACOBVS. HELWIGIVS.

ET.

ELISABETHA. HERTZBERGIA.

VIRGO.

SPONSVS. ET. SPONSA.

EVGE. FASCINVM!

NON. ADDIMVS. HEIC. PRÆFISCINI.

NEC. SPVTVM. OCVLIS. ILLINIMVS.

IMBVIT. ILLOS. VTRINQVE. NECTARIS. SVI.

PARTE. QVINTA. VENVS.

NEC.

NEC. TOLLIT. HOC. FASCINVM. SED. INFERT.
TELCHINAS. TAMEN. HIC. NE. TIBI.
FINGE. ET. IALYSIOS.
HOC. FASCINO. EFFASCINATVR. ORBIS.
QVANTVS. AMORIS. OCVLVS!

QVI. OMNIA. CAPIT. QVEM. NEMO.
COECI. SVNT. QVI. COECVM. FACIVNT.
CVPIDINEM.
OCVLATVS. IPSE. OCVLATA. ILLI. OMNIA.
OCCIPITIVM. OCVLATVM. AVRES. OCVLATÆ.
LINGVA. OCVLATA.
IMO. ET. MANVS.

CREDVNT. QVÆ. VIDENT. ET. VIDENT.
QVÆ. CREDVNT.
NONNVNQVAM. ETIAM. PRÆVIDENT.
IMO. IPSE. TOTVS. OCVLVS. QVAMVIS. TOTVS.
OCCVLTVS.
NVLLI. VIDETVR. VT. PALLADIVM.
ET. VIDET. OMNIA.
QVOT. OCVLI. ILLI. TOT. ARCVS. QVOT.
RADII. TOT. SPICVLA.
SEDET. IN. VMBROSA. QVADAM. ET.
RECONDITA. ORBIS. SPECVLA.
SCEPTRO. INNIXVS. OCVLATO.
INTVS. CIRCVMVOLITANT. IDEÆ. PVLCHRI.
SOCRATICI.
HEIC. OCVLIS. SIGNAT. QVOS. STRINGAT.
NONNVNQVAM. SPECVLIS. FORMAS
DVPLICAT. NONNVNQVAM. MINVIT.
NONNVNQVAM. ACVTVM. VIDET. ET.
ΔPIMT.

NONNVNQVAM. CONNIVET.
ΥΠΕΡΩΠΟΣ.
SED. HEIC. NON. SEDET. NISI. OTIOSVS.
ET. QVANDO. NON. EST. CONSTITVTVS.
PROCVRATOR. AD. OTIOSORVM. NEGOTIA.
ID. EST. AMORES.
ALIAS. VOLAT. PER. OCVLOS. HOMINVM.
ET NVNC. QVOQ;. IN. VESTRIS. HOSPITATVR.
HEIC. PICTOR. PINGIT. AMANTVM. PVPVLAS.
HEIC. NECTIT. EXTREMAS. AMORIS. LINEAS.
HEIC. DOCET. IPSIS. CILIIS. ΓΕΩΜΕΤΡΕΙΝ.
NVLLVS. AMOR. ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ.
CILIA. HEIC. SVNT. PINACIDIA.
SINVS. SVNT.
TANGENTES. SECANTES. RECTI. VERSI.
ARCVS. SAGITTÆ. CHORDÆ. HYPOTENVSÆ.
SOLIS. OCVLIS. AMOR. ΕΥΘΥΜΕΤΡΕΙ.
ILLORVM. ACIES. HAC. IN. PARTE. DVCIT.
ACIEM.
AD. ALIOS. DVCES. SPECTAT.
EPIPEDOMETRIA. ET. STEREOMETRIA.
JAM. DOCET.
VENATVRAM. FACERE. OCVLIS. EMISSITIIS.
HABENT. ENIM ET. OCVLI. SVA. RETIA.
QVIBVS. AMANTIVM. IMAGINES. RETINET.
RETINA.
CAPTVS. EST. HABET. ET. QVI. CAPITVR.
ET. QVI. CAPIT.
TVM. IN. NERVVM. ITVR. SED. OPTICVM.
MIRVM. OCVLORVM. INGENIVM!
HIS. DVCIBVS. PROCAMVR.

HIS.

HIS. PROCIS. AMOREM. INTERPRETAMVR.
HIS. INTERPRETIBVS. IOCAMVR.
HIS. PRÆMISSIS. RATIOCINAMVR.
NEC. SINE. MEDIO.
SIC. OCVLI. ΣΥΛΛΟΓΙΖΟΝΤΑΙ.

HIS. ORATORIBVS. SERMOCINAMVR.
HIS. RIDEMVS. ET. LOQVIMVR.
HIS. MODESTIAM. PROFITEMVR.
HIS. MOTIS. ANIMOS. MOVEMVS.
HIS. ANIMOS. MOTOS. SEDAMVS.
SIC. OCVLI. ΡΗΤΟΡΕΥΟΥΣΙ.
OMNIBVS. ARGVMENTIS.
ΛΟΓΟΙΣ. ΗΘΕΣΙ. ΠΑΘΕΣΙ.

SPECVLANTVR. NON. SOLVM. SED. ET.
AGVNT.

PHILOSOPHIAM. EXERCENT.
NON. SOLVM. THEORETICAM. SED. ET.
PRACTICAM.
MIRA. EST. OCVLORVM. DISCIPLINA. IN. AMORIS.
GYMNASIO.
ALIVD. VOLVNT. CONTVOLI. ET. CONNIVI. ALIVD.
PÆTI. ALIVD. STANTES. ALIVD. IACENTES. ALIVD.
PROTERVI. ALIVD. SERENI. ALIVD. PATRANTES.
ET. MORSICANTES.
MIRVM. EST. QVAM. SIBI. PLACEANT. ROSCII.
IN. HAC. HISTRIONIA.
OCVLI. AMANTIVM. SVNT.
FVLMINA.
URVNT. SECANT. TEREBRANT.
SVNT.
SOLES. FACES. IGNES.
FOVENT. INCENDVNT. URVNT.
ADSPECTU. CONSPECTU. INTVITU.

RADII. AMATORII. IN. OCVLI. PVNCTO.
VERTIGINANT, CEU. IN. VITRO. CAVSTICO.
HINC. ILLÆ. FLAMMÆ.
A. FLAMMIS. SVCCEDENTIBVS. OCVLORVM.
FONTES. DIFFVNDVNTVR.
HINC. ILLÆ. LACRIMÆ.
QVÆ. AMORIS. MIRACVLA!
IN. UNO. OCVLO. ET. IGNEM. JUNGIT.
ET. AQVAM. ET. ÆTNAM. SERVAT.
ET. NILVM.
NEC. FLAMMÆ. SICCANT. LACRIMAS. NEC.
LACRIMÆ. EXTINGVVNT. FLAMMAS.
OCULI. SUNT. SIDERA.
AD. HANC. HELICEN. ET. CYNOSVRAM.
VERTITVR. AMANTVM. CYMBA.
TU. VERO.
SPONSE.
CVI. NVNC. DEXTER. OCVLVS.
SALIT.
CVI. QVÆ. ANTEA. ERAT. IN. OCVLIS.
NVNC. EST. IN. OSCVLIS.
AD. ANIMVM. NVNC. NON. ADMITTES.
PRÆCEPTVM. DIOGENIS.
VIDE. NE. VIRGINIS. OCVLOS. CVRANS.
CORRVMPAS. PVPVLAM.
OCVLVM. APPLICA. TVVM. HOC. ERIT. COLLYRIVM.
SOLVS. TV. HEIC. MEDICVS. OCVLARIVS.
NON. HEBESCIT. HIC. OCVLORVM. ACIES. QVAM.
ACVIT. CVPIDO.
NEC. ACHATE. HEIC. AVT. TITHYMALLO. OPVS. EST.
OCVLI. SVNT. PLVSQVAM. CÆSAREI:
NVLLA. IN. AMORE. ΑΛΑΣΚΟΠΙΗ.
NON. PALPITAT. IN. TENEBRIS. NEC. PVGNAT.
UT. ANDABATA.

NEC.

NEC. DOMI. COECA. EST. UT. LAMIA.
SPECVLO. NON. OPVS. EST. AD. HOC. BELLVM.
QVOD. IN. BELLVM. ITVRVS. SECVM. DVCEBAT.
OTHO. IMPERATOR.
ÆTERNVM. EST. CVPIDINIS. PERVIGILIVM.
NEC. SOMNOS. ADMITTIT. OCVLIS.
TU.
SPONSA.
IN. CVIVS. OCVLIS. NON. GRATIÆ. TRES.
SED. DECADVM. DECAS. HABITAT.
OCELLI. AMBO. VERE. AVREI.
QVI. NVNC. VTRINQVE. OCVLORVM.
FLORES. VOBIS. DECERPITIS.
ET. ISTA. AGITATIS. NVNC. OCVLIFERIA.
QVI. FIDEM. VOBIS. TACTIS. OCVLIS.
IVRASTIS. OCVLATAM.
QVI. OCVLATVM. AMOREM. CONTRAXISTIS.
DIE. OCVLATA.
EIVS. VOBIS. ALIQVANDO. SINT.
ΒΛΕΠΟΝΤΑ. ΜΑΡΤΥΡΙΑ.
CVSTODIAT. VOS.
VIGIL. ILLE. ET. ÆTERNVS. IVSTITIÆ.
ET. GRATIÆ. OCVLVS.
NVNQVAM. VOBIS. OCVLI. DOLEANT.
NVLLA. MORDEAT. LACRIMVLA.
NISI. QVAM. AMOR. EXPRESSERIT.
FORTVNA. VOBIS. SIT. OCVLATA.
ET. POSTQVAM. MVLTOTIES. AMORES.
VESTROS. INOCVLAVERITIS.
IPSA. VOBIS. ÆTERNA. SALVS. SED.
SERO. OCVLOS. CLAVDAT.

SIGN. AM. ET. BON.
OM. CAVS.
L. M. Q.
D. G. M.

CV-

CUPIDO ARGUS.

ECce ſolœciſmum Vates! qua lumina nubes
Occupat, & cœcus mentes effaſcinat error,
Ut cœcus fingatur Amor? Sic à Duce cœco
Nunc totus grex cœcus erit, quàque anteit unus,
Succedet veterum cœca in veſtigia vulgus?
Tu nobis oculata Venus, Tuque alme Cupido
Argus es, inque novos HELWIGI armaris amores.
Argo Cupido veni. Cœcos arcemus amores.
Abſit cœca Venus ſacroque à limine vertat
Ora: nec heic cœci poſuêre cubilia talpæ.
Regnat apertus Amor, vultusque oſtendit honeſtos,
Telaque de centum vibrat puer ales ocellis.
Talis Ariſtorida centeno lumine vultus
Cinctus erat, queis ille Jovis ſervabat amores.
Tot vigiles inter tot linguas inter & aures
Verſat Fama oculos plumarumque occulit umbris.
Vera loquor. Nuper penitus mihi vera videndam
Exhibuit ſe forma Dei, faciemque decoram
Explicuit, latosque oculis afflavit honores:
Nam quæ tunc veſtrum rapuerunt Numina Vatem?
Quò celer aura tulit? vel qui cepere receſſus?
Quæ loca? Sed pedibus nunquam calcata protervis.
Prodam aliquid: ſed quod fas eſt neſcire profanas
Vulgaresque animas, & quos plebejus inerti
Urit amore furor. Latet extra ſidera abyſſus
Extra anni ſoliſque vias orbesque remotos,
Majeſtasque loci metuendis horret ab umbris:
Heic ſedet Argus Amor, totoque ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.
Quos centum gemmas, totidemque micantia dicas

Sidera

Sidera mille modis & mille rotata figuris,
Heic ſedet & varios ſpectando diſcit amores,
Jamque huc jamque illuc oculis vigilantibus exit.
Nam quà contiguum mundo eſt latus, intus opaco
Parjete ſtant lævi prætexta foramina vitro.
His ergo lapſæ ductæque meatibus umbræ
Se ſiſtunt oculis, quas terſa ſpecilla politâ
Fronte bibunt agitantque. Hinc rerum mille figuræ,
Milleque in adverſo ludunt phantaſmata velo,
Milleque Socratici circumſtant ſchemata Pulchri
Et facies nudæ, & viduatæ corpore formæ.
Heic totum mediis orbem perluſtrat in umbris,
Anguſtis infuſum adytis, cum montibus urbes,
Et mare velivolum, variique negotia vulgi,
Et mores varios notat, & præformat amores.
    Has dum inter tabulas pictosque in pariete fumos,
Ales Amor, rerumque emblemata ſumma jocatur,
Huc illuc volvens oculos & cuncta pererrans
Luminibus tacitis: tum forma, Helwige, decora
Obvia facta tui, ſequitur pulcherrima Virgo.
Riſit Amor, plaudensque oculatas verberat agas.
Helwigio, (inclamans) ſola eſt hæc digna Marito.
Helwigius ſolus tam pulchræ dignus amore
Virginis. Ergo pio gaudens præludit amori,
Præſcribitque vias, ſimulacraque tenuia jungit,
Corporibus connexa ſuis. Hæc diſſita longis
Sedibus in molles rareſcunt luminis auras.
Has vaſtis tractas ſpatiis perque æthera magnum
Immenſosque Orbes, inconcuſſosque canales
Porrectas, clauſo Puer excipit ales in antro,
Et levibus miſcet variatque animatque figuris.
Ergo quà rerum nervus movet ille, movetur

Corporis appendix, niſi quantum denſa moratur
Segnities: ſentit tamen hunc, geniumque potentem
Miratur tacito ſua euntem in viſcera ſocco.
Ergo Cupido prius pictos celebrans Hymeneos
Neſcia corda movet, verosque infundit amores:
Sed quos non Sponſus prævidit, Sponſaque ſenſit.
Mox animi in flammas abeunt, tacitusque medullas
Depopulatur amor, ſed cauſa latebat amoris.
Ut pateat, Puer Arge, facis. Jamque eripis umbris
Teque oculosque tuos, paribusque elatus ab alis
In patriis cupidos agris perquiris amantes,
Pectoraque ipſa ſubis jam, præſentique fatigas
Numine. Primum Oculis hoſpes ſuccedis amatis,
Atque oculos oculis oſtendit amoribus ægros,
Oraque dilectis oppugnas oribus. Illis
Tenditur à punctis arcani linea amoris.
Jam gratos poteras animo ſenſiſſe dolores
HELWIGI, & teneræ carpebant intima flammæ.
Spectaſti. Primos Oculus commendat amores.
Spectat & hæc. Primos Oculus bibit inſcius ignes.
O oculos in amore Duces! Hi, crede, potentes
Sunt in amore proci, ſunt illa Cupidinis arma,
Telaque, quæ Parthis non æquiparanda ſagittis.
Inde calor ſubit & ſinuoſa incendia miſcet
Viſceribus, tacitoque edit intus dente medullam.
Vos gemini Soles, vos fulgida ſidera, flammæ,
Fulmina, cognatis quæ ſemina ducitis aſtris,
Quàm dulce imperium, quàm grata potentia veſtra eſt!
Non vox lena capit, non riſus mille, jocique,
Ni veſter conſpiret honos. Ne pulchra vocetur,
Quæ veſtrâ facies non integra luce refulget.
Vos penes arbitrium forma eſt, & regula Pulchri.

Nulla

Nulla comis ſine vobis gloria, nulla colori.
Non illis captatur amor, non mille juvabunt
Oſcula, lacteolique ſinus, ſtantesque mamillæ,
Et fruſtra rubuêre genæ, candorque ruborem
Temperat. His oculis tantum venamur amores
Et mentes. Illis mens proſpicit alta feneſtris,
Et ſpeculâ radios famulantes mittit ab altâ.
Occurſant radii radiis impreſſaque virtus
Intus agit ſubigitque: Illi per mutua nexi
Miſcentur, coëuntque arcana in fœdera juncti.
Subſultant contactu animi, paribusque ligati
Inter ſe celebrant commercia dulcia formis:
Tolle Oculos. Solem tolles ex orbe, chaosque
Perpetuum, noctemque induces rebus opacam.
Terror erit, quodcunque vides, Manesque profundi,
Informesque Umbræ, ſpurcarumque antra Dearum.
Non alio veſtri nunc exercentur amores
Auſpicio, interpres mutus geſtorque negotI
Eſt Oculus. Jubet hunc ſolers Amor eſſe diſertum.
Hic cauſas Patronus agit, ridetque ſalutatque,
Et reſponſuros rogat, atque rogatur ocellis:
Seu recto feriat contraria lumina telo;
Seu rotet argutos transverſa tuentibus hirquis
Huc illuc radios, vel amico mordeat ictu.
Sic oculum in varias pro pulchra Virgine formas
Intorquet verſutus amor. Viden' ut Tibi, Sponse,
Sponsa, columbinis alludat mitis ocellis.
Hæc Paphiæ ſunt Templa Deæ, Charitumque tribunal.
His pingi Pallas vellet facilisque Dione
Luminibus. Nitidæ quàm grata modeſtia formæ!
Quis decor! Et quali collucent pectora honeſto!
Ergo age nunc iſtos propius te confer ad Ignes,

Spon-

Sponsæ, tuos. Faciles aditus & mollia fundi
Tempora promittunt placido Tibi Lumina vultu.
Ipſa Tibi patet heic poſt tot præludia ſcena.
Sat ſpeciei oculisque datum, luſtrataque dudum
Gaudia: Nunc alius, poſt viſum, ſenſus opimis
Serviat officiis, Oculis quæ prima tenentur,
Hæc prenſat cognata manus, ſervique minores,
Quodque Oculo famulatur Hero. Plus tacta Puella,
Quam ſpectata juvat, pectusque ardentius urit
In thalamos deducta Venus. Tum grata ſonabunt
Baſia, dilectisque irrepent murmura cœca
Auribus, & caſti poppyſmata dulcia lecti:
Hîc ſolum ſit cœcus Amor. Sed fallor. Amantum
Igne flagrant oculi tenebrisque *infundere lucem*
Hac ratione queunt. Tibi lucet ocellus Amicæ.
Ille viam ſignat per opaca crepuſcula noctis
Phosphorus. Is cubitum fulgens prælucet ituro
Heſperus, & dubios etiam aſtris exprobrat ignes.
Non puer Ales abeſt, quem centum lumina cingunt,
Spectator, fingitque dolos gaudetque repertis.
Aſt ubi jam placida torpent reſoluta quiete
Membra; fatigatos plumis inveſtit ocellos,
Æternoque ſacros auro conſignat amores.

In Nuptias
Viri Nobiliſſimi & Ampliſſimi
DN. JOHANNIS BERNHARDI
ZINZERLINGII J. U. D.
Et Lectiſſimæ Virginis
MARGARETÆ ELISABETÆ
BESELINIÆ.

LEX

LEX. THALAMI. ZINZERLINGIANI.

ZINZERLINGE. BESELINA.
CAIE. CAIA.
STATE. AD. HOC. THALAMI. LIMEN.
LEGITE. ET. PARETE.
JUNO. JUGATINA. SIC. EDICO.

K. I.

DOMVM. DVCTAM. CAIE. DVC. IN. HVNC. THALAMVM.
LECTAM. IN. LECTVM.
FLAMMEVM. LEVA. VESTES. EXVE. ZONAM. SOLVE.
NVDÆ. MALVNT. VIDERI. CHARITES. QVAM. NVPTÆ.
HABE. TENE. ST!
VANI. ET. PROFANI. ABESTE. AB. HOC. FANO.
PRÆTER. CAJUM. ET. CAJAM. NEMO. ADESTO.
PAR. HOC. SINE. PARI. SIT. ETIAM. SINE. TERTIO.

K. II.

SOLICUBUS. ET. SOLICUBA. HEIC. NE. ESTO.
NEC. CONCEDIMVS. VETVS. TRINOCTIVM.
DIVISVM. HEIC. NON. ESTO. IMPERIVM.
SOLA. LEGVM. PRÆCEPTA. STATVAT. CAIA.
NON. TRIA. SED. UNUM IN. QVO. TRIA.
SUUM. UNICUIQVE. TRIBUERE.
DE. NOCTE. MARITVS. SEMPER. SIT.
ΓΥΝΑΙΚΟΚΡΑΤΟΥΜΕΝΟΣ.
SECVS. SI. FAXIT. AVT. ME. IRATAM. HABEAT.
AVT. INTEGRO. LVAT. TRINOCTIO.
CÆTERVM. FVLMENTA LECTVM. NE. SCANDANT.

K. III.

HEIC. ARA. EST. CAJE. OPERARE. CERNVVS.
NON. TAMEN. DEVOTUS.

SCENA. HEIC. PANDITVR.
SED. AGENDA. SILENTIO. FABVLA.
ET. MORE. ROSCIANO.
TV. PEDEM. IN HOC. THEATRO. TOLLE.
MANVM. PONE.
AGANTVR. AUTEM. OMNIA.
DVM. VIRENT. GENVA.
DVM. RVBENT. GENÆ.
FORTITER. FELICITER.
CÆSIM. PVNCTIM.
TRACTIM. DVCTIM.
EMINVS. COMINVS.
OMNIA. PRO. RE. NATA.

K. IV.

DORMIRE. LICET.
SED. NON. ULTRA. QVAM. LICET.
ADERIT. VOBIS. MERCVRII. VIRGA.
JAM. SOMNVM. FERENS. JAM. PELLENS.
SOMNIARE. LICET.
JAM. IN. PARNASSO. BICIPITI.
JAM. IN. ANTRO. CORTCIO.
GARRIRE. LICET. SED. IN. AVREM.
VELLICARE. LICET. SED. AUREM.
OSCVLARI. LICET.
NAM. QVOD. DE. ARBORIBVS. DICI. SOLET.
TIBI. DICTVM. PVTA.
AKPON. ΛABE. KAI. MEΣON. EΞEIΣ.
RIDERE. LICET. JOCARI. LICET. LICET.
XAPITOΓΛΩΣΣEIN.
NOSTIS. CÆTERA.
TV. VERO. CAJE. ITA. CVRA. RES. TVAS.
VT. PLVRIMIS. INCVMBAS.
MVLTIS. SVPERSEDEAS.
SIC. AMATOR. ESTO. NVNQVAM. DESIDIOSVS.
SED. ASSIDUUS. UTI. ILLA. ASSIDUA.
(ET. QVID. VETAT. ESSE. INSIDOSVM?)
NE. TVÆ. IN. TE. RESIDVI. COMPETAT. ACTIO.
FELICIA. SINT.

HINC.

HINC. PRÆSIDIA. INDE. SVBSIDIA.
APAGE. DISSIDIA.

K. V.

IRASCI. LICET.
SED. QVANTVM IRASCVNTVR AMANTES.
RIXÆ. ET. FRIBVSCVLA. ABSVNTO.
GRATIARVM. HEIC. EST. SEMINARIVM.
OSCVLA. SINT. SINE. DENTE.
AMPLEXVS. SINE. UNGUE.
CONTRA. BONAM. FIDEM. NE. PECCETVR.
CIRCVMVENIRE. TAMEN. LICET.
SED. MARITAM.
IMPONI. SIBI. ILLA. PATIATVR.
SED. A. MARITO.
DOLVS. IN. BONA. INDOLE. BONVS.

K. VI.

DENIQVE. REM. VESTRAM. PATRATE.
SED. NON. EXPATRATE.
ET. LECTVS. VESTER. NON. JVGALIS.
TANTVM. SIT. SED. ET. GENIALIS.
TVM. CINXIA. PRO. NIXIA.
TVMVLVS. HIC. EST.
SED. QVI. MORTALITATEM. REPARAT.
VIRGINITAS. HEIC. CORRVMPATVR.
SED. VT. NOVA. GENERETVR.
PRÆTER. UNUM. ET. UNAM. NE. INFERTO.
NON. NISI. MORTUUM. MORTUAMVE.
ECFERTO.

Hyme-

Hymenéus
In Nuptiis
Viri Nobiliſſimi & Conſultiſſimi
DN. MICHAELIS PANCRATII
J. U. D.
Et Elegantiſſimæ Virginis
ANNÆ DOROTHEÆ
BÖKELIÆ.
CARMINE PANCRATIO DICTUS.

*
* * *

PRÆFATIO
AD SPONSUM.

EXimium pro Te jam Conjuge militat omen,
Dum Tibi BÖKELIAM jungis Amice, tuam.
Nomina non capto. Sed dum tamen illa POTENTEM
Dicunt, Te magni nominis eſſe puta,
O ſciat hoc, verum Te ſolo interprete, ſponſa.
Nec fruſtra ſponſam vel data verba juvent.
Macte tuo, (quid enim majus potiusve vovebo?)
Nomine, vel Sponſæ nomina ſolve tuæ.
Si mavis pulchro quinquercio nomine dici,
Pugnas officio *Pancratiaſta* novo.
Sic Sponſæ quoque gratus eris, poteriſque beatum
Atque ita *Pancraticum* vivere conjugium.
Quanta ô *Pancratii* myſteria nomen obumbrat!
Quantus *Pancratii* voce Maritus eris!
Aſt ego, *Pancraticis* dum Tu Te luſibus aptas,
Carmine *Pancratio* claſſica grata cano.

HYME-

HYMENEUS
CARMINE PANCRATIO.*

* * *

EUGE! GRATIÆ
DELICATVLÆ,
ET LVBENTIÆ,
ET FAVENTIÆ,
ET CUPIDINES,
MENTIS ILLICES,
EVGE! PLAVDITE!
SPLENDIDISSIMVS
HINC AMASIVS,
FLORIDISSIMA
HINC AMASIA
MILLEFORMIA
MISCET OSCVLA.
MISCET OSCVLIS,
MILLE PRÆLIA,
MILLE PRÆLIIS
MISCET OSCVLA,
ET CACHINNVLOS
ET SVSVRRVLOS.
ADDET HINC JOCOS,
TOT LOQVACVLOS,
TOT DICACVLOS
ET RECIPROCOS
SPARGET HÆC SALES,
TOTQVE MVTVAS
MORSIVNCVLAS,
TOTQVE MVTVAS
PRESSIVNCVLAS.
PONE PARVULI

U HINC

* *Vide Scalig. l. 2. Poët. c. 10.*

HINC ET HINC VOLANT,
HINC ET HINC SEDENT,
HINC ET HINC STREPVNT,
HINC ET HINC SONANT,
TOT CVPIDINES.
EVGE! FORTITER!
VIBRAT HIC FACES,
FVNDIT HIC ROSAS,
ILLE GRAMINA;
ILLE DEXTERA
PLAVDIT ALITE;
ILLE SIBILIS
AFFLAT AERA;
HIC ODORIBVS
SPIRAT INDICIS;
ILLE NECTARIS
MANAT IMBRIBVS;
ILLE SPICVLA
STRINGIT AVREA;
ILLE CORCVLA
SANAT ANXIA.
SIC VENVSTVLI
MARTIS IMPIGRA
CEDIT ALEA!
EVGE! FORTITER!
QVANTA PRÆLIA!
QVANTA PRÆMIA!
QVANTA GAVDIA!
QVANTA PVLLVLANT
INDE NOMINA!
ILLA CVRA SIT
UNA PANCRATI.

HÆC

HÆC PALÆSTRA SIT
UNA PANCRATI,
QVA POTENTIBVS
VINCAT ARTIBVS.
NAM POTENTIBVS
POLLET ARTVBVS.
EVGE GRATIÆ
DELICATVLÆ,
ET LVBENTIÆ,
ET CVPIDINES
MENTIS ILLICES
EVGE! PLAVDITE!

VENVS. MONETA.

LVSVS. EXTEMPORALIS.

IN. NVPTIAS.

NOBILISSIMI. ET. AMPLISSIMI. VIRI.

JOHANNIS. CASPARI.

PFENNINGS

ET.

NOBILISSIMÆ. ELEGANTISSIMÆQVE.

VIRGINIS.

URSULÆ. KOHLBLATS.

* * *

VENERIS. MONETAE. AVSPICIIS.
ET. JVNONE. MONETA. SECVNDA.
JVNGITVR. PAR. NOBILISSIMVM.

 JOHAN-

JOHANNES. CASPARVS.
PFENNING.
URSULA. KOHLBLATE.

NVMO. VNO. FIRMATVR. NVPTIARVM.
CONTRACTVS.
NON. TAMEN. IMAGINARIVS.
SED. IN. SOLIDO. HOC. SOLIDVS.
IPSE. SPONSVS. ET. SIBI. ET. SPONSÆ. ARRHA.
EST. SPONSALITIA.
PRO. DOTE. ET. PECVLIO. FERENS. NVMVM.
HOC. PRETIO. VENIT. SPONSA.

OMNIVM. VIRTVTVM. DOTIBVS.
PRETIOSISSIMA.
SED. NVNC. VNIVS. ASSIS. PRETIO. ÆSTIMATA.
EST. ERGO.
ILLE. SPONSAE. EX. ASSE. SPONSVS. ILLA.
SPONSO. EX. ASSE. SPONSA.
NVLLVS. HIC. EX. SEMISSE. AMOR. EST.
TU VERO. SPONSE.
ET. IN. NVMO. NOMEN SOLVES. ET. IN.
NOMINE. NVMVM.
NON. DIE. SED. NOCTE. OCVLATA.
NE. CEDAS. VENERIS FORO. ID. EST. LECTO.
QVIS. VERO. TE. NVMVM. SOLVENDO. ESSE.
DVBITET?
NVLLA. HIC. ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΑ.
NEC. RELIQVATORES. HIC. FERIMVS. NEC.
TRICONES.

OMNES.

OMNES. HIC. CELEBRANTVR. CONTRACTVS.
ET. VEL. EX. INNOMINATO. SOLVUNTUR.
NOMINA.
DABIS. TV. VT. DET. ILLA.
FACIES. TV. VT. FACIAT. ILLA.
VENEVNT. HIC. VENERIS. MERCES.
SED. PER. AVCTIONEM. ET SVBHASTATIONEM.
IPSE. SPONSVS. SVBLATO. DIGITO. SECTOR.
ERIT.
AGRVM. CONDVXISTI. EMPHYTEVTA,
NVMVM. HIC. SOLVAS. PRO. CANONE.
SED. ANNVO.
NEC. ABEST. STIPVLATIO.
ADEO. ET. CONSENSV. ET. VERBIS. ET. RE. GERITVR.
NEGOTIVM.
OMNIA. INTERVENIENTE. NVMO.

AT. O. SPONSA.

QVÆ. VIRTVTEM. QVÆSIVISTI. NON.
POST. NVMOS. SED. IN. NVMO.
ET. VEL. IN. VNO. HOC. NVMO. VIDES.
QVID. DISTENT. ÆRA. LVPINIS.
IN. TE. NVNC. NON. CVDETVR. FABA. SED.
NVMVS.
OFFICINAM. MONETARIAM. IN. THALAMO.
EXERCENT. CVPIDINES. MONETARII.
SIGNABVNTVR. HIC. PVLCHRA. ILLA.
NVMISMATA.
AD. IMAGINEM. VESTRAM. IMPRESSA. ET.
EXPRESSA.
NON. PLVMBEI. HIC. ERVNT. NVMI. AVT. ÆREOLI.
SED. AVREI. STATERES.

NEC. CRVCES. SVAS. HIC. FIGENT. CRVCIGERI.
QVIN. ET. PARACHARACTÆ. ABSINT.
CÆTERVM. BONI. ESTOTE. NVMVLARII.
NVMVM. NE. OTIOSVS. SIT. COMMOVENTES.
VT. NVMVS. GENERET. NVMOS.
ET. FOENORI. LOCATVS. ET. VENERI.
NAM. ET. VSVRARVM. VSVRAS. HIC.
CONCEDIMVS.
SIC. FOECVNDI. SINT. ISTI. LOCVLI.
ET. THECA. ISTA. NVMARIA.
VT. EX. OBVLIS. PARIAT. TALENTA.
AVREI. AVTEM. SINT. OMNES. ET. ARGENTEI.
ET. NVMI. NVMORVM. ET. QVI.
NASCVNTVR. AB. ILLIS.

JOCVS
In Nuptias
Viri Conſultiſſimi,
CASPARIS VOIGTII,
apud Viſmarienſes Senatoris meritiſſimi,
Amici optimi.
Et Feminæ lectiſſimæ pudiciſſimæque
ELISABETÆ Zincken/

AIn? quid iſtud? VOIGTIVS occupat
Nomen mariti, Transfuga Apollinis
Miles Diones alitumque
Troſſulus armipotens Amorum?
Librosne labris & calamum novo
Jam porro mutabit thalamo ſuum?

Tan-

Tantamne prædam Elisabeta
Et celebres agitat triumphos?
At! At! Sodales mille facetiis
Nunc delibutum reddite Voigtium
Jocosque ridentes in unum
Atque vafras glomerate nugas.
Sic eſt neceſſum. Nam canit in tuis
Choraula feſtis Voigti; animat tuas
Tibicen aures, dum ſonoros
Ungue premit ſaliente ventos.
Doctus rotundos ponere limites
Pedi vaganti, ſive reciprocos
Quis ſervat orbes; ſeu ſonantem
Calce quatit trepidante terram.
Cur ergo noſtris non pateat Logis
Auris vaciva? heus heus puer amove
Paulum hunc culullum! Namque nobis
Nunc magis eſſe libet facetis.
Sed ante torvos ire foràs jube
Voigti Catones & tetricum genus,
Quod fors cavillatur ſerenos
Ingenii nivei lepores.
Sciant & hos, Te interprete, Virgines
Modo otioſæ; Gens ea nil agit,
Ligurit & tantum pitiſſat
Atque famem tegit abſtinendo,
Quas turpis halex & petaſo putris
Lautis honeſte fors tenet à cibis,
Quas rapa fumoſumque pavit
Sinciput & lacerum minutal.
Etſi ergo myſtes Juris & arduæ
Sis lux Themiſtæ; Lege tamen novâ,

Nec jure conſtant uſitato,
Quæ tibi nunc ſacra conferuntur.
Natura Jus Te jam docet abditum
Eademque monſtrat, quî *tribuas ſuum*,
Scis cui? In hoc Te mox marita
Diſcipulum feret, haud Magiſtrum.
Tu *derelictas*, utpote nullius
Res occupaſti, *Incorporeas* quoque,
Cum Zinkiae *uſusfructus* atque
Melliflui petitur labelli.
Nemo *obligatur* firmius, ac tuæ
Tu Lizabetae, quos neque perfidæ
Vis & fides ſortis doloſa,
Nec timidi temerant ſuſurri.
Conſenſus omnem compleat hic locum.
Turpe eſt jugatos fœdere ſub pari,
Ceu diſſidentem diſcrepare
Cæſareis Aquilam in figuris.
Nunc *contrahantur* baſia, nunc ſales,
Nec fuſcet atris ſepia fraudibus
Cretatum amorem; Protrahantur
In mediam intemerata lucem.
Et nox ſat ampla eſt; nec phaleris Eos
Surgens citatis veſtraque Cynthius
Turbabit orſa hæc, qualis olim
Odryſios retegebat aſtus.
Hic eſt tribunal Cypridos, hic ſacræ
Moventur urnæ grataque jurgia
Litesque miſcentur ſeveræ
Atque graves ſimul atque ſuaves.
Hic Sponsus *Actor:* Zinckia ſed *Rea* eſt.
Intendit Ille; Hæc *excipit;* attamen

Suo

Suo libenter SPONSA jure
Excidet. Haud cupit eſſe victrix.
Hæc cuncta cœcis condere noctibus
Juſſit Cupido: cœcus enim eſt Amor,
Themisque cœca eſt. Sic Athenæ
Innocuas tenuere leges.
Nec *Advocatis* heic opus eſt. Poteſt
Orare causâ quilibet in ſua,
Procul profâne hinc atque vultus
Longe agita male feriatos!
Non flexuoſi commata *Codicis*,
Nec rubra *Legum* puncta, nec abditi
Juris receſſus obtinebunt;
Sola dat & variat benigna
Venus ſtatuta. Hic Naſo volantium
Vates Amorum & callidus artifex
Adſeſſor adſit; non Corinnæ
Ceu aderat: Sed ut inſtruat vos.
Sed quid neceſſe hoc? non alienâ eges,
VOIGTI, arte: nam Vates quoq; tu bonus,
Et ſcis genus ſanctum Poëtas,
Ah nimis hoc! nimis hoc! Sed ô ſt!
Quæ nunc ferentur ſub Veneris ſacro
Decreta ductu, non temerariâ
Frangenda ſunt molitione;
Ad *Cameram* tamen ire fas eſt.
Porro *Emphyteutam* fac quoque te probum,
Ne qui tuæ concreditus eſt fidei
Ager pigreſcat. Dein memento &
Ut *Canonem* expedias quotannis.

In Nuptias
Reverendi, Doctiſsimique Viri
CHRISTOPHORI LANGII,
Eccleſiæ Elmeshagenſis Paſtoris vigilantisſimi
Et Lectisſimæ Virginis
ANNÆ - CATHARINÆ SPERLINGIÆ,

I.

O Qui manſuro firmatis pectora nodo,
Queisque piis animos ignibus urit Amor,
Cur veſtro placuit Jovis horrifer annus amori,
Cur rigidus vobis feſta November agit?
An quoniam ingentes nox jam ſuccreſcit in horas,
Longaque prolixo Nox in amore placet?
An quia nunc miris rerum per centra catenis
Stringitur, & medio frigore flamma latet?
Non friget Venus heic, arcano incenditur æſtu,
Sacraque per venas flamma Venusque furit.
Sic gelidis canum nivibus caput oculit Ætna,
Et tamen alta pigrâ ſub nive flamma latet.
Friget dura ſilex: levis hinc ſcintilla reſultat.
Frigidus excuſſo fervet ab igne chalybs.
Quo magis urit hyems, magis heic focus ardet amoris,
Igneus in medio frigore ſudat amor.
Ipſe faces accendit Amor & frigora flammis
Mitigat, ipſe faces has agitavit Hymen.
Hinc leviter motis incendia provocat alis
Inſtauratque oleis iſta Cupido ſuis.
Has ceu Veſtales ſacra condite pectora flammas,
Nec pius in cineres ignis amoris eat.

Fri-

Frigore vos feriat nemo: friguſcula deſint:
Nam calidis votis deprecor illa meis.
Hæc vobis genialis hyems! hyberna placebunt
Iſta; nec his æſtas gratior ipſa foret.
Hæc bene cedet hyems, monſtrareque Sirius olim,
Hanc hyemem vobis nunc caluiſſe, poteſt.
Frigeat & totus ſolidetur marmore pontus;
Frigeat omnis ager; frigeat omne nemus;
Frigeat hic orbis; pectus non friget Amicæ,
Zonaque in hoc ſemper torrida Amoris erit.
Hybernos frigere dies ſi credimus; eſto.
Sed nullum Noctes frigus habere velim.

II.

Ergo abit illa dies: ſed nox illuſtrior inſtat,
Nox omni potior ſplendidiorque die.
Nox pulchra ac albo vobis ſignanda lapillo,
Nocte bonâ bona nunc dicere verba paro.
Creſcat amor, quantum nox creſcit opaca per horas,
Noxque pari vobis ſurgat amorque gradu.
Quod nox longa tegit, quæ nunc Sacra veſtra recondit,
Proferet in lucem longior inde dies.
Sic noctes obeatis, ut hinc numeroſa propago
Surgat, nemoque vos credat obire diem.
Hinc nati natorum, & qui naſcentur ab illis,
Longaque poſteritas nomina longa trahent.
Nulla dies quondam ſine lineâ abibat Apelli,
Nullaque nunc vobis Nox ſine lineâ eat.
Longa Tibi Noctis carpentur gaudia, Sponſe,
Longaque nunc longâ præmia nocte feres.
Tu modo cauſando in longum ne differ amores,
Utere nocte tuâ, dum licet: hora ruit.

Quo

Quo tua te nunc Virgo trahit retrahitque, ſequaris,
Cereus in partes & latus omne trahi.
Humida jam plenis Tibi porriget oſcula labris,
Ora, genas, ulnas, pectora, plura dabit.
Sta calame! his Plato nos juſſit ſubſiſtere metis,
Scribere nec cœlebs plura Poëta queo.

JOCUS
IN NVPTIAS
JOACHIMI HANSEN
Et Lectiſſimæ Virginis
ELISABETÆ Schwaſſen
mediâ æſtate celebratas.

*
* *

Parod. in Od. 4. lib. 1. Horat.

Admonetur poſt exactam diem nuptialem Sponſus officii.

ADvenit ima dies gratâ vice noctis atque Lunæ
Trahitque pulchras Heſperus tenebras.
Ac neque jam dapibus gaudet chorus & cibis amator,
Nec menſa mappis albicat ſuperbis.
Jam LISABETA choros ducit tua, concinente cœtu,
Junctique Nymphis Pamphili decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Potator ardens fertur in culullos:
TE decet aut SPONSÆ nitidum latus impedire plexu,
Aut ora, mella quæ ferunt Hyblea.
Nunc & in umbroſos illam decet evocare lectos,
Seu fœdus optet; ſive malit arma.

Cy-

Cypria lex æquo tenet ordine pauperum cubile,
Regumque ſpondas; Sed beate SPONSE,
Noctis ſumma brevis ſpem te vetat inchoare longam,
Jam te premet lux ſplendidumque mane.
Nunc domus exſpectat te plumea, quô ſimul meâris,
Tunc regna charæ ſortiêre SPONSÆ.
Tu tenerum corpus rimabere, dum calet juventus
Tibi omnis, & mox Virgo mox ſalebit.

IN NUPTIAS SECUNDAS

Viri Nobiliſſimi Conſultiſſimi

HENRICI RUDOLPHI REDEKERI

J. U. D. & Prof. Cl.

Et Nobiliſſimæ Lectiſſimæque Fœminæ,

LUCIÆ Kohlblattes.

SIc crambe bis cocta placet, cœnamque priorem,
O REDEKERE, tuam menſa ſecunda ſubit:
Felices Epulæ & Samii pia fercla Magiſtri!
An caro nunc menſis exulat atque toris?
Non jam ſola animas capiet caro corpore pulſas,
Ipſe tuum de Te nunc animabis olus.
Tu prande hoc patienter olus, nec regibus uti,
Nec cerebro cupies te ſatiare Jovis.
Tu cole Niliacos quæ numina culta per hortos;
Namque eadem Tibi jam Numina lectus alit.
Maxima continuis ſteterat Roma integra ſeclis,
Salvaque muneribus, braſſica ſacra, tuis.

Hâc

Hâc fortuna tui thalami nutrice vigebit:
Sic jurata mihi braſſica *μάντις* erit! *a*
Attica poſt partum cœnaſſe puerpera cramben
Dicitur: *b* Et Tua rum prodiga cœnet olus.
Sic novâ ſæpe novis creſcat tua gloria plantis,
Nec ſit iners placidum corchorus inter olus.

a Vide Athen. lib. X. b Vide eundem ibidem.

In Nuptias

JACOBI KRAVTHOFII,

Et Virginis Lectiſſimæ

ELISABETÆ GROSSIÆ.

HUc veni Venus ô venuſta Diva,
Parvorum Genitrix veni huc Amorum,
Seu nunc Idaliis recumbis antris;
Aut Cypri ſolio ſedes ſuperbo;
Aut Eryx trucibus refertus apris,
Te tenet celeres prementem Amores:
Huc veni Venus ô venuſta diva,
Thracico reſoluta ceu Marito
Martis dulcibus incubas lacertis;
Gratiæque decora membra nudæ,
Et quando eſtis honora membra nudæ:
Et vos cæruleæ comam puellæ,
Veſtibus viridem cutem retectæ,
Et quales avidi videre Fauni,
Fallaci tamen impetu fuerunt,
Siſtite ac hilares movete verſus.
Noſtra *Groſſia* nata Gratiarum,
Noſtra *Groſſia* corculum pudoris
Iſta Palladis officina doctæ

Iſta

Iſta *Groſia* parva, pumililla,
Hæc mellitula, candida atque bella
Mollis, vinula, mitis & tenella,
Caſta, pulchra, modeſta, blandicella
Omnium penus Elegantiarum
Morum Regula, conditrix leporum
Formæ gemmula, proma Suavitatum.
Virtutum Roſa, Dux amœnitatum,
Decens pupula, floſculus novellus
Novis *Krauthofii* toris dicatur,
Tædis *Krauthofii* piis ſacratur;
 Ergo *Krauthofius* ſuis Novellis,
Pandectis, Canonique, Codicique
Et juri veniam dabit ſevero:
Nam novæ Cypridos trahentur urnæ.
Et leges ea condidit novellas,
Pandectasque dedit novos leporum,
Pandectasque novos amœnitatum,
Pandectas Charitum, librumque morum
Virtutum Canonem atque ſuavitatum,
Codicemque dabit novum legendum:
Heic lites agitantur impeditæ:
Jucundæ ſimul & ſimul ſecundæ,
Fœcundæ ſimul & ſimul ſecundæ,
Tertiæque ſimul, ſimulque quartæ,
Seriæ ſimul & ſimul jocoſæ,
Jocoſæ ſimul & ſimul doloſæ,
Manſuetæ ſimul & ſimul ſuetæ,
Imbelles ſimul & ſimul rebelles,
Actori Rea ſupplicat cruento,
Et vinci mage vult, licet repugnet.
Eſtque evictio controverſiarum,

Ut

Ut tibi tua Sponſa largiatur
Et ferat tibi mitibus labellis.
Iſtis ſuaverubentibus labellis,
Iſtis ſuaveolentibus labellis,
Atque iſtis hyacinthinis labellis,
Multa millia baſiationum,
Et plexu foveat calentiori
Et plexu foveat tenaciori,
Et plexu agglomeret frequentiori,
Tu carpas tibi floſculum novellum
Hortoque inſere pertinaciori.
Hic fragrantior eſt thymoque & ambrâ,
Et Nardi nitidisſimis ariſtis,
Et thymbra, violisque, ſalviaque
Serpillo, ſaliuncâ, amaracoque,
Fragis gratior eſt humi repoſtis,
Hæc eſt candidior novis roſetis,
Narciſſo rutilantior comante.
Hîc ceſſent aconita virulenta,
Novercalis erit procul cicuta,
Et lappæ ſterilisque avena deſint,
Urticæ, loliumque, carduusque.
Heîc duri ſe Aquilonis ira ponit,
Non Eurus neque turbulentus Auſter.
Horti contemerant ſacros honores;
Sed pennæ Zephyri ferocientes
Laſcivis ſubigent ſolum ſuſurris.
Tunc omnis tibi germinabit hortus,
Et novos animabit usque flores.
Ite ergo atque avidos rigate ſulcos,
Ut flores capiatis hinc novellos:
Tua ut GROSSIA parva pumilillos
Det KRAVTHOFIOLOS; reclude rivos.

ANACREON
In Nuptias
JOHANNIS LUBBERTI,
Med. Doctoris,
Et
ANNÆ Schwanten.

* * *

O Triga Gratiarum,
Et quicquid eſt Deorum,
Et quicquid eſt Dearum,
Et quicquid eſt jocorum,
Et elegantiarum,
Heus advenite! veſtros
Expoſcimus favores.
Heus curſitate! veſtros
Exquirimus lepores.
Heus advolate! veſtros
Impellimus furores.
Dictate nunc decenter
Logos ſereniores,
Nugas amœniores,
Gerras venuſtiores,
Riſus ſolutiores,
Sales dicaciores,
Ineptias diſertas,
Et luſibus refertas,
Amœnulas Camœnas,
Camœnulas amœnas,
Et melleum meliſma.

Verſutulosque verſus
Naſutulosque verſus
Loquaculosque verſus,
Rotundulosque nobis
Create Anacreontes.
Cui vota nunc ſacrantur
Et ſacra concitantur?
Nunc namque curſitatur
Et undique ambulatur,
Et hic, & hic, & iſthic,
Et hac, & hac, & iſthac,
Et huc, & huc, & iſthuc.
Cui vota nunc parantur?
Nam vota nunc parantur
Et hinc, & hinc, & inde,
Ab hoc, ab hoc, ab illo,
Ab hâc, ab hâc, ab illâ.
Cui vota nunc parantur?
Namque intrat undiquaque
Reciprocante greſſu,
Catulla, Paſicompſa,
Fabulla, Pardaliſca,
Dorippa, Milphidippa,
Bryſeis, Ampeliſca,
Sophrona, Paſibula,
Et Pamphilus ſuperbus
Et pætulus Batyllus
Pictusque Chryſaliſcus.
MEDICORVM ocellus ille eſt,
Cui vota nunc ſacrantur,
Cui ſacra concitantur.
Is nuptias parabit

Spon-

Sponſamque copulabit
Sibi potente nexu
Et pertinace plexu.
Is nunc torum parabit,
Hodieque luſitabit,
Hodieque ſuaviabit,
Hodieque baſiabit,
Hodieque ſaltitabit,
Reſtimque ductitabit.
MEDICORVM ocellus ille
Et æger ipſe totus
Medicas manus requirit:
Nam vulneratus ille eſt
Vulnuſculo tepente,
Vulnuſculo fluente,
Vulnuſculo recente.
Huic optime medetur,
Inſigniter medetur,
Et nectar è labellis,
Et fulgor ex ocellis,
Et candor è papillis,
Et ſplendor è capillis,
Sponſæ venuſtioris,
Mellitulæ puellæ,
Limatulæ puellæ,
Politulæ puellæ,
Lepidisſimæ puellæ,
Lectisſimæ puellæ.
Hæc nempe ſola Sponſa eſt
Medicina tot laborum,
Medicina tot dolorum,
Medicina tot malorum.

Te dira Febris urit?
Extinguit illa flammas.
Hanc dira febris urit?
Extinguis ipſe flammas,
Nec ſcribis heic medelas
Et integros maniplos
Rerumque tot catervas.
Uno potes mederi
Ictu procaciori,
Tactu ſalaciori,
Et cruſculo tenello,
Latuſculoque bello,
Peduſculis, mamillis,
Latertulis, ocellis.
Nos fauſta nunc paramus
Et vota conſecramus
Veſtris benigna tædis.
Tibi, SPONSE, gratulamur:
Amor unus eſt tuarum
Medicina vera rerum.
Tibi, SPONSA, gratulamur;
Amor unus eſt tuarum
Medicina vera rerum.

VENUS. MILITANS.

In Nuptias
Viri Nobiliſſimi, & Strenui
PETRI EBERHARDI
BRUGGEMANNI,
S. R. Majeſt. Dan. & Norweg.
Vice-Capitanei.

Et Nobiliſſimæ Lectiſſimæque Virginis

MARIÆ ELISABETÆ

von der Lieth.

* * *

VENERI. MILITANTI.

S.

CVI. SACRAMENTO. MILITARI. SE.
ADDIXERVNT.
COMMILITONES. GEMINI.

PETRVS. EBERHARDVS.
BRVGGEMAN.

MARIA. ELISABETA.
VON. DER. LIETH.

HERCVLES. INVICTVS. AMAZON. INVICTA.
PRO. ARA. FOCOQVE. VENERIS.
PVRO. PIOQVE. DVELLO. DIMICATVRI.
PROPRIO. MARTE. PROPRIA. PROPITIAQVE.
VENERE.
IN. THALAMO.
CAMPO. VENERIS. MARTIO.
TELA. HIC. NON. VULCANI. CYCLOPES.
SED. VENERIS. CVPIDINES. FABRICANT.
IPSI. NVDI. ET. LEVIS. ARMATVRÆ. MILITES.
HIC. ADSVNT.
VEL. CASTRAMETATORES. VEL. PRIMIPILI.
COECIS. EORVM. AVSPICIIS. PVGNANT.
NOSTRI. ANDABATÆ.
CIRCVMSPECTIVS. ENIM. HIC. MARTE. COECO,
QVAM. OCVLATO. RES. GERITVR.
BELLA. HIC. MOVENTVR.
NEC. MATRIBVS. DETESTATA. NEC. PVELLIS.
DVLCIA. INEXPERTIS. EXPERTIS. DVLCISSIMA.
SED. SINE. INDICTIONE. ET. FECIALI.
SINE. VLLO. BARRITU.

APAGE. CLAMOREM. IN. VENERIS. PRÆLIIS.
PVGNABVNT. DVO.
ET. MARTIS. ET. VENERIS. PVLLI.
ARMIS. IMPARIBVS.
NEC. EQVITES. NEC. PEDITES.
NEC. SAGATI. NEC. CATAPHRACTI.
SED. NVDI.
EO. MAGIS. STRENUI. ATHLETÆ. QVO. MAGIS.
NVDI.
MORE. GYMNASTICO.
SINE. CÆDE. QVIDEM. SED. NON. SINE. SANGVINE.
OPIMIORA. HIC. A. NVDIS. REPORTABVNTVR.
SPOLIA.
INSIDIIS. PLERAQVE. GERVNTVR.
SINE. SVBSIDIIS. ET. SVPPETIIS.
OSCVLANA. HIC. PRIMVM. IN.
OSCVLIS. PVGNA.
BELLVM. ERIT. ARCHIDAMICVM.
QVOD. IDEO. GERITVR. UT. NOVUM.
GERATVR.
SUCCESSIONE. INFINITA.
NIHIL. HIC. PACE. EST. INIVSTIVS.
INDVCIÆ. TAMEN. ERVNT.
SED. DIERVM. NON. NOCTIVM.
QVALES. OLIM. ANNIBALI.
PVGNAT. ILLE. PROPTER. TRIVMPHOS.
ILLA. PROPTER. CLADEM.
PVGNAT. ILLA. ITA. UT. VINCI. NON.
REPVGNET.
NON. ALIAM. EXOPTANS. VICTORIAM.
QVAM. QVA. SVCCVMBAT.
NVNQVAM. FELICIOR. SIBI. VISA. QVAM.
INFELICI. PRÆLIO.
NEC. SVBIVGARI. RENVET. QVÆ. CONIVX.
ESSE. VOLVIT.
LIBERRIMVM. MARITI. MANCIPIVM.
SED. NVNQVAM. MANVMITTENDVM.
TU. VERO. SPONSE.
FORTISSIME. UT. MARTIS. ITA. VENERIS.
ATHLETA.

FOR-

FORTITER. HIC. REM. GERE.
NE. REFERARIS. INTER.
QVONDAM. STRENVOS. MILESIOS.
VIRVM TE. HIC. PRÆBE. IMO. *MARITVM.*
QVI. SI. LITERAS. VERTAS. EST. *MARTIVS.*
VT. VEL. E. NOMINE. TVO. MVNVS.
TVVM. DISCAS.
VTI. NVNQVAM. BELLI. TEMPORE.
ITA. NEC. HIC. MENTAM. VEL. SERE. VEL. EDE.
QVÆ. ENIM. MARTI.
EA. ET. VENERI. INIMICA. EST.
NON. TOLERAMVS. HIC. CVNCTATORES.
FABIOS.
NEC. DESERTORES. NEC. TRANSFVGAS.
ARCEM. INVADE. TVÆ. VIRGINIÆ.
NEC. ABSQVE. DOLABRA. VEL. ARIETE.
SED. ET. CVNICVLIS. ALIQVID. LICET.
NEC. IN. PROPVGNACVLIS. HÆREAS. CVM.
ARCEM. IPSAM. CONSCENDERE. LICEAT.
IN. QVA. NVNQVAM. TROPÆVM. STATVENT.
TIMIDI.
PVGNATE. FORTITER.
SIC. ARMA. VIRVMQVE. CANENT.
SIC. CORONA. CIVICA. VOS. CINGENT.
OMNES. CVPIDINES.
QVI. PVGNÆ. HIC. SEMPER. NVNQVAM.
RECERTVI. CANENT.
NEC. FINIENTVR. ISTA. PRÆLIA.
NISI. CVM. EMERITOS. MILITIA.
ISTA. MITTENT. FATA.
VIVITE. PVGNATE. VINCITE. SVCCVMBITE.
FELICITER. FORTITER.
JO. PÆAN! JO. TRIVMPHE!

*
* * *

BRUGMANNUS placida miteſcit Conjuge Miles,
Inque novis VENERI militat, ecce! toris.
Jam pugnæ præludit Amor, jam tela miniſtrat,
Et plus poſſe negat Martia tela ſuis.

Ipſa Venus Bellona juvat; ſed nuda procaxque,
Nec galeâ caput, aut ægide tecta latus.
Et cur non Veneri heic ſua prælia? namque uti ſemper
Militat omnis amans; ſic quoque miles Amans.
Jamque iterum placido certat Briſeis Achilli;
Junguntur licito Marſque Venuſque toro.
Mollia in hoc Sponſus figit ſibi caſtra; ſub illo
Bella Puella illi bella duella movet.
Sunt etiam heic Marti Comites iræque minæque;
Sed quas iratus promere ſuevit Amor.
Colligit illa ſuas in bella imbellia vires;
Non ea pugnanti terga ſed ora dabit.
Eminus ex ipſis protrudit ſpicula ocellis,
Quorum acies aciem ducere prima poteſt.
Cominus hinc pugnat, teneris confiſa lacertis;
Hæret in adverſis unguis acuſque genis.
Ille leves ictus facilis declinat, & iſta
Lucta placet vigili continuata toro.
Plurima jam Cyprio confligunt baſia campo;
Baſia militiæ præmia prima novæ;
Baſia Virginei minium preſſura labelli;
Baſia, quæ pugnans mutua figit amor.
Marte Venus primùm pugnare videbitur æquo;
Succumbet Marti mox tamen illa ſuo.
Et jam tela ſonant, inſtant extrema, caditque
Saucia lethali vulnere Virginitas.
Hannibal ad portas! arx heu! invaditur ipſa,
Totaque Victori nunc patet illa ſuo.
Jamque iterum ingeminant pugnæ inteſtinaque bella,
Quæque novo paſci Marte ſubinde volunt;
Inſultu à primo bella altera tertia ſurgent,
Perque vices Virgo Virque rebellis erit.

Pugna peracta placet, deciesque peracta placebit;
Diſplicet heic ſoli pax inimica toro.
Sic Tibi, SPONSE, tuas conſumant prælia noctes,
Ut pateant pugnæ viva tropæa tuæ.
Sic bene res geritur, ſi nox diſtincta diesque,
Pugnet ut hæc Regi, pugnet ut illa toro;
Si tu pro Patriâ pugnas vincasque Maritus,
Et ſi pro Patriâ ſæpe Marita cadat.

In Nuptias Amici Philoſophi.

QUid repis inter vaſta volumina,
Amice, & omnes impiger irruis
Rerum tenebras & latente
Materiem trahis è profundo?
Relinque ſpinas, rejice cortices
Orbisque magni per penetralia
Ceſſa vagari: nunc puſillus
Te doceat meliora mundus.

SPONSÆ in labellis oreque vinulo
Et purpuratæ frontis in atrio
Natura multa eſt: hic benigni
Portio ſtat ſpecioſa cœli.

Jam morſicantes fas ſit ocellulos
Stellas comantes dicere & albidæ
Vultum Dianæ, cui opaca
Plurimus intrat in ora frater.

Sororiantes anne mamillulas
Phœbi bicollem dicere verticem
Auſim atque montes; ſeu rotundas
Tu potius vocitabis uvas.

Dicamne ramos brachia juncea
Crinesque ſylvam? ſed latet abditis
Occulta vis, & cauſa venis,
Cauſa tibi retegenda ſoli.
Capeſſe mundum hunc, perlege, perſpice
Patet receſſus, panditur oſtium,
Rimare ad unguem: namque nunquam
Lecta aliis tibi nunc legentur.

EPISTOLA GAMICA

Ad

Virum Admodum Reverendum, & Ampliſſimum

CHRISTANVM KORTHOLT,

SS. Theol. D. & Prof. Celeberr. Colleg. honoratiſſimum.

Cum Matrimonio ſibi jungeret

Virginem Lectiſſimam Elegantiſſimamque

ANNAM KIRCHHOFEN.

NEſcio quo fato fiat, Amice optime, quod in tuum potiſſimum nomen ſegniores mihi ſint numeri, quos aliàs non difficiles experior. Ita me ſemper in diverſa trahit ſacer ille furor, cum de Te aliquid meditor, & plane abit à viâ illâ λεωφόρῳ: Ut mihi nunc fere incipiat ſedere iſta Ariſtotelis ſententia, quæ carminis

minis vim etiam extra numeros ponit. Excuſſeram jam ferè omnem apparatum poëticum, plectra, laurus, & cœteraMuſici furoris inſtrumenta: jam illaMercurii καλὰ πέδιλα mihi exoptabam, aut alas alicujus Pegaſi: jam Apollinem quærebam in montibus noſtris, in quibus nullus, alius, quam Homericus ille Utis, etſi per lancem, & licium quærerem. Accedebat prætereà luctuoſus aliquis è Patriâ nuncius, qui circulos illos meos Poëticos turbabat planè, ut liturâ unâ inducerem, quicquid verſiculorum invitâ Minervâ natum mihi erat. Quod enim Ariſtoteles πεπηρωμένον μηδὲν γράφειν liberè in Republica permittit, imò ſuadet, id in Poëticâ noſtrâ Republicâ pro lege ſancitum eſt. Centum bonos verſus crudeli ſtylo compungimus, ne unus admittatur malus, duri planè & minimè pii erga fœtus noſtros parentes. Scribendum tamen aliquid erat, &

κέλεταί δέ με θυμός,

dum Tu, Amice optime, Kirchhofiam illam tuam, illud χαρίτων ἱερὸν φῦλον tibi inſeris. Sedebam jam adhuc per varia ductus Amoris argumenta, & dum mens ita cum ſe ipſa colluctatur, ſomnus ſuperveniens fecit inducias. Mira hic docebar ſecreta ſomnians, quæ vigilanti vix patent; quamvis quædam etiam ſint Poëtis vigilantibus ſomnia, ut doctiſſimus in Variis ſuis annotavit Victorius, & fortè largientur nobis non inviti τῶν ἰατρῶν παῖδες. Videre mihi videbar Senem forma venerabilem: Genius aliquis videri poterat: Stantem in illo vultum & faciem rectam notabam, frontem decorè rugoſam. Præ cæteris verò barba oſtentabat plusquam Philoſophicam gravitatem, cujus cæſariem leniter mulcebat dextera. Is manum meam

pren-

prenſans; Heus Tu, inquit, ſequere & ducam Te in admirabilem illam Amoris abyſſum nemini hactenus inſpectam. Sequor ego per obſcuros aliquos anfractus pavens, & fidei dextræ ducentis pedes meos permittens perductus demum ſum ad immenſum aliquem, ut ita dicam, tenebrarum Oceanum undiquaque diffuſum & circumfuſum, in cujus meditullio punctum aliquod φωτεινὸν ſubtiliſſimâ & æternâ luce radiabat. Ubi rei illi intentus extra me raptor, punctum illud lucidum in modum oris humani dilatatur, unde lineæ binæ angulares prodeunt, continuo & inſtanti effluvio, quas media connectit. Ab extremis binarum illarum linearum recto motu ad ſummum orbem ferebantur radii, qui deinde reflexi in centro facto angulo concurrebant, atq; ita ſurſum deorſumq; inter ſe reciprocabantur, motu & modo ineffabili. Atq; harum linearum terminos orbe quodam cingere videbatur immenſæ vaſtitatis draco, caudam ore ſuo admordens, dumque illam ſequeretur, continuo ſe actu & ſtrepitu circumrotans, cujus horribilis aſpectus me non ſomno, nec mihi ipſi reliquerat. Proſilio itaque, &, quia animo excutere non poteram ejus rei memoriam, circino imitari tento, quæ videram, & patuit tum ſecretum. Succurrebat tum, quicquid Platonici mei, & antiquiſſimi illi Philoſophi me docuerant de primis tenebris, & quâ ratione has Amor diſtinxerat, quid de Venere cœleſti, quàm à profanâ ſejungit Plato. Quæ ſi hic omnia recoquerem, non paginarum aliquot, ſed integri voluminis res ageretur; & fortaſſis aliquando nobis agetur. Quid tenebræ illæ, niſi illud Hebræorum אין סוף infinitatis illa abyſſus? è cujus ut ita dicam centro pronunciatur æternum illud AMO, quæ tres literæ unâ illâ figurâ mirè

inter



inter ſe perplicatæ cernuntur, quarum prima A ipſa triplici ductu conſtans è centro egreditur, in omnibus ferè linguis orationis quaſi quædam porta, & tam in ſacris, quam apud Cabaliſtas ipſius DEI nota. Altera litera M. quatuor ductibus conſtans & priori major apud Hebræos labii litera dicitur, labia enim claudit, atque ita vinculum aliquod eſt quod hiatum inter A. & O. conjungit, medium eſt inter primum & poſtremum. Nam & A. in prioris literæ extremis *d & e* & cum illa in centro *a* connectitur. A. medium literam in tribus extremis *a*, *d*, *e*, & ſimul O extremam in duobus locis *d*, & *e*. M. itidem primam in tribus, & ultimam O in quatuor partibus, *d*, *e*, *f*, *g*, contingit, quaſi aliquis quatuor plagas æquè inter ſe diſtinctas dicat, non abludet â priſcorum Philoſophorum Ægyptiorum ſententia, qui de hoc quadripartito in mundum

Te dira Febris urit?
Extinguit illa flammas.
Hanc dira febris urit?
Extinguis ipſe flammas,
Nec ſcribis heic medelas
Et integros maniplos
Rerumque tot catervas.
Uno potes mederi
Ictu procaciori,
Tactu ſalaciori,
Et cruſculo tenello,
Latuſculoque bello,
Peduſculis, mamillis,
Latertulis, ocellis.
  Nos fauſta nunc paramus
Et vota conſecramus
Veſtris benigna tædis.
Tibi, Sponse, gratulamur:
Amor unus eſt tuarum
Medicina vera rerum.
Tibi, Sponsa, gratulamur;
Amor unus eſt tuarum
Medicina vera rerum.

VENUS. MILITANS.

In Nuptias

Viri Nobiliſſimi, & Strenui

PETRI EBERHARDI
BRUGGEMANNI,
S. R. Majeſt. Dan. & Norweg.
Vice-Capitanei.

Et Nobiliſſimæ Lectiſſimæque Virginis

MARIÆ ELISABETÆ
von der Lieth.

*

* *

VENERI. MILITANTI.
S.
CVI. SACRAMENTO. MILITARI. SE.
ADDIXERVNT.
COMMILITONES. GEMINI.

PETRVS. EBERHARDVS.
BRVGGEMAN.
MARIA. ELISABETA.
VON. DER. LIETH.

HERCVLES. INVICTVS. AMAZON. INVICTA.
PRO. ARA. FOCOQVE. VENERIS.
PVRO. PIOQVE. DVELLO. DIMICATVRI.
PROPRIO. MARTE. PROPRIA. PROPITIAQVE.
VENERE.
IN. THALAMO.
CAMPO. VENERIS. MARTIO.
TELA. HIC. NON. VULCANI. CYCLOPES.
SED. VENERIS. CVPIDINES. FABRICANT.
IPSI. NVDI. ET. LEVIS. ARMATVRÆ. MILITES.
HIC. ADSVNT.
VEL. CASTRAMETATORES. VEL. PRIMIPILI.
COECIS. EORVM. AVSPICIIS. PVGNANT.
NOSTRI. ANDABATÆ.
CIRCVMSPECTIVS. ENIM. HIC. MARTE. COECO,
QVAM. OCVLATO. RES. GERITVR.
BELLA. HIC. MOVENTVR.
NEC. MATRIBVS. DETESTATA. NEC. PVELLIS.
DVLCIA. INEXPERTIS. EXPERTIS. DVLCISSIMA.
SED. SINE. INDICTIONE. ET. FECIALI.
SINE. VLLO. BARRITU.

APAGE. CLAMOREM. IN. VENERIS. PRÆLIIS.
PVGNABVNT. DVO.
ET. MARTIS. ET. VENERIS. PVLLI.
ARMIS. IMPARIBVS.
NEC. EQVITES. NEC. PEDITES.
NEC. SAGATI. NEC. CATAPHRACTI.
SED. NVDI.
EO. MAGIS. STRENUI. ATHLETÆ. QVO. MAGIS.
NVDI.
MORE. GYMNASTICO.
SINE. CÆDE. QVIDEM. SED. NON. SINE. SANGVINE.
OPIMIORA. HIC. A. NVDIS. REPORTABVNTVR.
SPOLIA.
INSIDIIS. PLERAQVE. GERVNTVR.
SINE. SVBSIDIIS. ET. SVPPETIIS.
OSCVLANA. HIC. PRIMVM. IN.
OSCVLIS. PVGNA.
BELLVM. ERIT. ARCHIDAMICVM.
QVOD. IDEO. GERITVR. UT. NOVUM.
GERATVR.
SUCCESSIONE. INFINITA.
NIHIL. HIC. PACE. EST. INIVSTIVS.
INDVCIÆ. TAMEN. ERVNT.
SED. DIERVM. NON. NOCTIVM.
QVALES. OLIM. ANNIBALI.
PVGNAT. ILLE. PROPTER. TRIVMPHOS.
ILLA. PROPTER. CLADEM.
PVGNAT. ILLA. ITA UT. VINCI. NON.
REPVGNET.
NON. ALIAM. EXOPTANS. VICTORIAM.
QVAM. QVA. SVCCVMBAT.
NVNQVAM. FELICIOR. SIBI. VISA. QVAM.
INFELICI. PRÆLIO.
NEC. SVBIVGARI. RENVET. QVÆ. CONIVX.
ESSE. VOLVIT.
LIBERRIMVM. MARITI. MANCIPIVM.
SED. NVNQVAM. MANVMITTENDVM.
TU. VERO. SPONSE.
FORTISSIME. UT. MARTIS. ITA. VENERIS.
ATHLETA.

FOR-

FORTITER. HIC. REM. GERE.
NE. REFERARIS. INTER.
QVONDAM. STRENVOS. MILESIOS.
VIRVM. TE. HIC. PRÆBE. IMO. *MARITVM.*
QVI. SI. LITERAS. VERTAS. EST. *MARTIVS.*
VT. VEL. E. NOMINE. TVO. MVNVS.
TVVM. DISCAS.
VTI. NVNQVAM. BELLI. TEMPORE.
ITA. NEC. HIC. MENTAM. VEL. SERE. VEL. EDE.
QVÆ. ENIM. MARTI.
EA. ET. VENERI. INIMICA. EST.
NON. TOLERAMVS. HIC. CVNCTATORES.
FABIOS.
NEC. DESERTORES. NEC. TRANSFVGAS.
ARCEM. INVADE. TVÆ. VIRGINIÆ.
NEC. ABSQVE. DOLABRA. VEL. ARIETE.
SED. ET. CVNICVLIS. ALIQVID. LICET.
NEC. IN. PROPVGNACVLIS. HÆREAS. CVM.
ARCEM. IPSAM. CONSCENDERE. LICEAT.
IN. QVA. NVNQVAM. TROPÆVM. STATVENT.
TIMIDI.
PVGNATE. FORTITER.
SIC. ARMA. VIRVMQVE. CANENT.
SIC. CORONA. CIVICA. VOS. CINGENT.
OMNES. CVPIDINES.
QVI. PVGNÆ. HIC. SEMPER. NVNQVAM.
RECEPTVI. CANENT.
NEC. FINIENTVR. ISTA. PRÆLIA.
NISI. CVM. EMERITOS. MILITIA.
ISTA. MITTENT. FATA.
VIVITE. PVGNATE. VINCITE. SVCCVMBITE.
FELICITER. FORTITER.
JO. PÆAN! JO. TRIVMPHE!

*
* *

BRUGMANNUS placida miteſcit Conjuge Miles,
Inque novis VENERI militat, ecce! toris.
Jam pugnæ præludit Amor, jam tela miniſtrat,
Et plus poſſe negat Martia tela ſuis.

Ipſa VENUS BELLONA juvat; ſed nuda procaxque,
  Nec galeâ caput, aut ægide tecta latus.
Et cur non Veneri heic ſua prælia? namque uti ſemper
  Militat omnis amans; ſic quoque miles Amans.
Jamque iterum placido certat Briſeis Achilli;
  Junguntur licito Marsque Venusque toro.
Mollia in hoc Sponſus figit ſibi caſtra; ſub illo
  Bella Puella illi bella duella movet.
Sunt etiam heic Marti Comites iræque minæque;
  Sed quas iratus promere ſuevit Amor.
Colligit illa ſuas in bella imbellia vires;
  Non ea pugnanti terga ſed ora dabit.
Eminus ex ipſis protrudit ſpicula ocellis,
  Quorum acies aciem ducere prima poteſt.
Cominus hinc pugnat, teneris confiſa lacertis;
  Hæret in adverſis unguis acusque genis.
Ille leves ictus facilis declinat, & iſta
  Lucta placet vigili continuata toro.
Plurima jam Cyprio confligunt baſia campo;
  Baſia militiæ præmia prima novæ;
Baſia Virginei minium preſſura labelli;
  Baſia, quæ pugnans mutua figit amor.
Marte Venus primùm pugnare videbitur æquo;
  Succumbet Marti mox tamen illa ſuo.
Et jam tela ſonant, inſtant extrema, caditque
  Saucia lethali vulnere Virginitas.
Hannibal ad portas! arx heu! invaditur ipſa,
  Totaque Victori nunc patet illa ſuo.
Jamque iterum ingeminant pugnæ inteſtinaque bella,
  Quæque novo paſci Marte ſubinde volunt:
Inſultu à primo bella altera tertia ſurgent,
  Perque vices Virgo Virque rebellis erit.

Pugna

Pugna peracta placet, deciesque peracta placebit;
Diſplicet heic ſoli pax inimica toro,
Sic Tibi, Sponse, tuas conſumant prælia noctes,
Ut pateant pugnæ viva tropæa tuæ.
Sic bene res geritur, ſi nox diſtincta dieſque,
Pugnet ut hæc Regi, pugnet ut illa toro;
Si tu pro Patriâ pugnas vincaſque Maritus,
Et ſi pro Patriâ ſæpe Marita cadat.

In Nuptias Amici Philoſophi.

Quid repis inter vaſta volumina,
Amice, & omnes impiger irruis
Rerum tenebras & latente
Materiem trahis ê profundo?
Relinque ſpinas, rejice cortices
Orbiſque magni per penetralia
Ceſſa vagari: nunc puſillus
Te doceat meliora mundus.

Sponsæ in labellis oreque vinulo
Et purpuratæ frontis in atrio
Natura multa eſt: hic benigni
Portio ſtat ſpecioſa cœli.

Jam morſicantes fas ſit ocellulos
Stellas comantes dicere & albidæ
Vultum Dianæ, cui opaca
Plurimus intrat in ora frater.

Sororiantes anne mamillulas
Phœbi bicollem dicere verticem
Auſim atque montes; ſeu rotundas
Tu potius vocitabis uvas.

Dicamne ramos brachia juncea
Crineſque ſylvam? ſed latet abditis
Occulta vis, & cauſa venis,
Cauſa tibi retegenda ſoli.
Capeſſe mundum hunc, perlege, perſpice
Patet receſſus, panditur oſtium,
Rimare ad unguem: namque nunquam
Lecta aliis tibi nunc legentur.

EPISTOLA GAMICA

Ad

Virum Admodum Reverendum, &
Ampliſſimum

CHRISTANUM KORT-
HOLT,

SS. Theol. D. & Prof. Celeberr. Colleg.
honoratiſſimum.

Cum Matrimonio ſibi jungeret

Virginem Lectiſſimam Elegantiſſimamque

ANNAM KIRCHHOFEN.

NEſcio quo fato fiat, Amice optime, quod in tuum potiſſimum nomen ſegniores mihi ſint numeri, quos aliàs non difficiles experior. Ita me ſemper in diverſa trahit ſacer ille furor, cum de Te aliquid meditor, & plane abit à viâ illâ λεωφόρῳ: Ut mihi nunc fere incipiat ſedere iſta Ariſtotelis ſententia, quæ car-

minis vim etiam extra numeros ponit. Excuſſeram jam ferè omnem apparatum poëticum, plectra, laurus, & cœteraMuſici furoris inſtrumenta: jam illaMercurii καλὰ πέδιλα mihi exoptabam, aut alas alicujus Pegaſi: jam Apollinem quærebam in montibus noſtris, in quibus nullus, alius, quam Homericus ille Utis, etſi per lancem,& licium quærerem. Accedebat præterea luctuoſus aliquis è Patriâ nuncius, qui circulos illos meosPoëticos turbabat planè,ut liturâ unâ inducerem, quicquid verſiculorum invitâ Minervâ natum mihi erat. Quod enim Ariſtoteles πεπηρωμένον μηδὲν τρέφειν liberè in Republica permittit, imò ſuadet, id in Poëticâ noſtrâ Republicâ pro lege ſancitum eſt. Centum bonos verſus crudeli ſtylo compungimus, nè unus admittatur malus, duri planè & minimè pii erga fœtus noſtros parentes. Scribendum tamen aliquid erat, &

κέλεται δέ με θυμός,

dum Tu, Amice optime, Kirchhofiam illam tuam, illud χαρίτων ἱερὸν φυτὸν tibi inſeris. Sedebam jam adhuc per varia ductus Amoris argumenta, & dum mens ita cum ſe ipſa colluctatur, ſomnus ſuperveniens fecit inducias. Mira hic docebar ſecreta ſomnians, quæ vigilanti vix patent; quamvis quædam etiam ſint Poëtis vigilantibus ſomnia, ut doctiſſimus in Variis ſuis annotavit Victorius, & fortè largientur nobis non inviti τῶν Ιατρῶν παῖδες. Videre mihi videbar Senem forma venerabilem: Genius aliquis videri poterat: Stantem in illo vultum & faciem rectam notabam, frontem decorè rugoſam. Præ cæteris verò barba oſtentabat plusquam Philoſophicam gravitatem, cujus cæſariem leniter mulcebat dextera. Is manum meam

pren-

prenſans; Heus Tu, inquit, ſequere & ducam Te in admirabilem illam Amoris abyſſum nemini hactenus inſpectam. Sequor ego per obſcuros aliquos anfractus pavens, & fidei dextræ ducentis pedes meos permittens perductus demum ſum ad immenſum aliquem, ut ita dicam, tenebrarum Oceanum undiquaque diffuſum & circumfuſum, in cujus meditullio punctum aliquod φωτεινὸν ſubtiliſſimâ & æternâ luce radiabat. Ubi rei illi intentus extra me raptor, punctum illud lucidum in modum oris humani dilatatur, unde lineæ binæ angulares prodeunt, continuo & inſtanti effluvio, quas media connectit. Ab extremis binarum illarum linearum recto motu ad ſummum orbem ferebantur radii, qui deinde reflexi in centro facto angulo concurrebant, atq; ita ſurſum deorſumq; inter ſe reciprocabantur, motu & modo ineffabili. Atq; harum linearum terminos orbe quodam cingere videbatur immenſæ vaſtitatis draco, caudam ore ſuo admordens, dumque illam ſequeretur, continuo ſe actu & ſtrepitu circumrotans, cujus horribilis aſpectus me non ſomno, nec mihi ipſi reliquerat. Proſilio itaque, &, quia animo excutere non poteram ejus rei memoriam, circino imitari tento, quæ videram, & patuit tum ſecretum. Succurrebat tum, quicquid Platonici mei, & antiquiſſimi illi Philoſophi me docuerant de primis tenebris, & quâ ratione has Amor diſtinxerat, quid de Venere cœleſti, quàm à profanâ ſejungit Plato. Quæ ſi hic omnia recoquerem, non paginarum aliquot, ſed integri voluminis res ageretur; & fortaſſis aliquando nobis agetur. Quid tenebræ illæ, niſi illud Hebræorum אין סוף infinitatis illa abyſſus? è cujus ut ita dicam centro pronunciatur æternum illud AMO, quæ tres literæ unâ illâ figurâ mirè

inter



inter ſe perplicatæ cernuntur, quarum prima A ipſa triplici ductu conſtans è centro egreditur, in omnibus ferè linguis orationis quaſi quædam porta, & tam in ſacris, quam apud Cabaliſtas ipſius DEI nota. Altera litera M, quatuor ductibus conſtans & priori major apud Hebræos labii litera dicitur, labia enim claudit, atque ita vinculum aliquod eſt quod hiatum inter A. & O. conjungit, medium eſt inter primum & poſtremum. Nam & A. in prioris literæ extremis *d & e* & cum illa in centro *a* connectitur. A. medium literam in tribus extremis *a, d, e*, & ſimul O extremam in duobus locis *d*, & *e*. M. itidem primam in tribus, & ultimam O in quatuor partibus, *d, e, f, g*, contingit, quaſi aliquis quatuor plagas æquè inter ſe diſtinctas dicat, non abludet â priſcorum Philoſophorum Ægyptiorum ſententia, qui de hoc quadripartito in mundum influxu,

influxu, quem circulo decuſſato vel charactere ſuo Tauticô notârunt, mira prodidere. Orbis autem ille extremus O omnium complementum eſt & omnia in ſe continet. Draconis autem forma apparet, quoniam fœcunditatis & æternitatis nota in Philoſophia vetuſtiſſima Hieroglyphica habetur. Monas eſt in Centro *a*, ternarius in A, per quem mundum Archetypum intelligebant Ægyptii; quaternarius in M, per quem mundum elementarem. Quaternarius ſummum Pythagoræ myſterium, quod in 1, 2, 3, 4, ſimul ſumptis contineantur 10. omnium numerorum & rerum complementum. Ternarius in A. & Quaternarius in M. Septenarium faciunt toti Naturæ ſacrum. Minimum eſt Centrum, maximum eſt *Circulus*, utrumque divinæ naturæ ſignandæ aptum habuere veteres Philoſophi. Itaque hic inter Centrum & Orbem non eſt differentia, quod Boetius in Arithmeticis, & Cuſanus Cardinalis in erudito de docta ignorantia libro multis demonſtrant: Maximum abſolutum cum Minimo abſoluto unum eſt idemque; Utrumque enim omnem mentis conceptum, qui ſecundum exceſſus & oppoſita tantum aliquid apprehendit, infinitè ſuperat. Notiſſima eſt iſta Hermetis termaximi definitio, quod DEUS ſit Circulus, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam. Maximus ergò DEVS ſimplex & indiviſibile, quia centrum eſt infinitum; extra omnia eſt, quia omnia ambit, & eſt circumferentia infinita; omnia penetrat, quia eſt diameter infinita.

Atque hæc eſt immenſa illa Amoris Sphæra, quam mente conſpectam rudi hac delineatione exprimere conati ſumus, cui merito ſolenne illud Euclideum ſubjungimus:

ΟΠΕΡ

& quidem in Amici Amoribus. Sequimur, quò nos trahit retrahit illa æterni Amoris Sphæra. DEI opus eſt, quod amas, mi Kortholti, & omnis Amor, qui honeſtus eſt, divinus eſt. Absque DEO ſi ſit, præter fata ſunt noſtra vota, & præter vota noſtra fata. Mihi vero nunc

ἀέξεται ἔνδοθι θυμός

quod Te tam pulchrè nunc ſociatum videam. Perpetuæ ſint illæ flammæ. Πῦρ ἐπὶ πῦρ! nec illa dies extinguat! Facilis illa, moribus blandis, & ipſa Charitum ſoboles, nec inter argutulas illas, quas ſi tetigeris, idem ſit, ac ſi

Fumantem vivi naſum tentaveris Urſi;

nec laborandum Tibi erit valde,

- - - ut aſpera Juno
Conſilia in melius referat.

Illa à tuo nutu pendet teque veluti ἐφολκὶς quædam navem majorem ſequetur. Quare nunc pone ſeveriorem iſtam & ſacram frontem, & fac, ut Tua fruatur Te Viro quidem Theologo, ſed tamen οὐκ ἀναφροδίτῳ. Suſpende nunc graviores illas curas, quæ animum macerant, corpus attenuant, ne Μουσῶν σκέλετον in κοιμητήριον illud inferas. Heic in utramvis aurem dormire licet: Cætera ſilentii velo involvo, & plus cum Timante intelligi volo, ac dici. Quod ſupereſt, quicquid felicitatum eſt Tibi voveo; quicquid officiorum eſt, Tibi offero. En dextram & cum eâ fidem! Scævola ſim & ardeat hæc manus, ſi non amore tui ardeat hic animus! Vale.

LIBER

LIBER II.

VENERES NOVÆ

olim dictus.

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO.

DN. AVGVSTO FRIDERICO.

EPISC. LVB. HER. NORW. DVC. SLESW. HOLS. STORM. ET. DITM. COM. IN. OLD. ET. DELM.

DOMINO. SVO. CLEMENTISSIMO.

ET

SERENISSIMÆ. PRINCIPI. AC. DOMINÆ.

DN. CHRISTINÆ.

REVERENDISS. ET. SERENISS. PRINCIP.

DN. AVGVSTI.

POST. ADMINIST. ARCHIEPISC. MAGDEB. SAX. JUL. CLIV. ET. MONT. DVCIS. LANDGR. THVRING. MARCH. MISN. ET. UTR. LUS. COM. DE. MARCA. ET. RAVENSB. DOM. IN. RAVENST.

FILIÆ.

FILIÆ.

PRINCIPI. AC. DOMINÆ. SVÆ. CLEMENTISSIMÆ.

PARI. PIO. FELICISSIMO.
AUSPICIIS. OPT. MAX.
SUPERIORE. ANNO. JUNCTIS,
AC. NOVIS. EOR. AMORIB.

VENERES. NOVAS.

D. D. D.

CUMQVE. IIS.
FOECUNDA. NOVI. ANNI.
INCREMENTA.

SUBMISSA. PIETATE.
APPRECATVR.

D. G. M.

Cum pius æterno Vos fœdere jungeret Hymen,
MAXIME DUX, Magnâ Tu ſata, DIVA, domo:
Diva Paphi nullo nobis fuit omine, nullis
In veſtros votis ſollicitata toros.
Scilicet ad Martis perterrita Muſa tumultus
Et Veneri & Vobis defuit atque ſibi:
Nunc quantum eſt Venerum, quantum eſt in amore Deorum,
Omnibus ex adytis ad ſacra veſtra vocat,
Cum lapſum inſtaurat vobis Sol pronubus annum.
Sed, reor, ille novo eſt usque in amore novus.
Qui Veneris Vobis condit vigil Heſperus annum,
Ille novum pleno Phosphorus ore feret.
Fallor an IPSA paras Veneris nova munera, Strenas?
Teque TUO Strenam dividis IPSA VIRO?
Mars furat usque licet: Nunc Vos jubet aurea veſtris
Expugnare Venus ferrea ſecla toris.
AUGUSTI hinc venient, FRIDERICI, mitia ſeclo
Nomina, queis ſanctæ tempora pacis eant.
Hoc pia Fata velint! Sic Vos implebitis ambo:
Tu longi titulum temporis; illa tori.
Sic Veneri Veneres, ſic noctibus addere noctes,
Sic annos annis accumulare juvat!
Sic ô fauſta fluant fœcundaque tempora! ſurgat
Per Veneres Annus ſic Novus usque Novas.

VENUS

VENUS CIMBRICA.

Epithalamium in Nuptias

Reverendiſſimi & Sereniſſimi Principis ac Domini,

DN. CHRISTIANI ALBERTI,

Poſtulati Coadjutoris Epiſcopatus Lubecenſis, Heredis Norvvegiæ, Ducis Slesvvigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt, Domini ſui Clementisſimi:

&

Sereniſſimæ Principis ac Dominæ,

DN. FRIDERICÆ AMALIÆ,

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis & Domini,

DN. FRIDERICI III.

Daniæ, Norvvegiæ, Gothorum & Vandalorum Regis, Ducis Slesvvigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt, Domini ſui Clementisſimi,

FILIÆ,

Principis ac Dominæ ſuæ Clementiſſimæ,

Humillimo affectu ſcriptum

ab

ACADEMIA KILONIENSI.

AD

SERENISSIMUM PRINCIPEM,

CIMBRIÆ

DUCEM.

DUm thalamos Fridrica tuos, Dux Magne, coronat,
Accelerat propero noſtra Thalia gradu.
Feſtinus nobis ut rumor vellicat aures;
Sic Muſa in calamos præcipitata ruit.
Utque Tibi celeres mora nulla repreſſit Amores:
Nulla Tuo nobis ſic in Amore mora eſt.
Ipſe duplex calamis alas Amor addidit, illa
Dum Tuus & noſter carmina dictat Amor,
Ipſeque Atlantiades pedibus talaria noſtris
Nexuit, at alas Pegaſus ipſe ſuas.
Si citò qui dederit, bis dat, Dux Maxime; noſter
Dum citò nunc pius eſt, bis pius audit Amor.

HActenus intactam Veneri ſervavimus aulam,
Et ſteriles fluxêre dies, non mollia cordi
Gaudia, nec Cypriis Cimber miteſcit Apollo
Ignibus, Idaliisve tepet malè ſaucius armis.
Non riſus, non oſcla placent & dulcia lecti
Murmura; ſed tetricæ frigent ſine conjuge noctes.
Illum aliò pius ardor agit, multumque recurſans
Urit amor patriæ, Dominum qui dividit unum
Omnibus, & variis diſpungit tempora curis;
Vel ſua diſpenſat famulantibus otia Muſis.
Non tulit hoc Regina Cnidi, quæ forte pererrans
Idalium pro more nemus ſacroſque receſſus

Et

Et reduces audit, mittitque per æquora natos.
Ergo, ait, una meos nunc Cimbria neſciat ignes?
(Nam fruſtrà toties aſtu tentaſtis Amores)
Et veſtris Rector convitia Cimbricus armis
Dictet, & ignavum dicat per compita Numen?
Quis ferat hæc? Ergo totum Diis triſtibus ævum
Mancipet? Ergo ſibi ſegnes tantum extrahat annos,
Ac alios totum juvenem conſumat in uſus,
Non noſtri memor atque ſui? Cythereane ſordet,
Quod Muſis dederit nova regna, novemque puellas
Innubus in Cimbrûm Phœbus deduxerit oras?
Sed tamen & Phœbum veſtræ tetigêre ſagittæ,
Nec ſua tela juvant, veſtris ceſſura pharetris:
Una movet reſides Daphne Penëia flammas;
At fugit illa Deum. Spretæ hoc meruêre ſagittæ,
Et non iſte meis Phœbus ſuccumberet armis?
Ipſe meas vires & adactum pectore vulnus
Sentiet. Aligeros dictis applaudere fratres,
Et virides paſſim videas ſaltare per herbas.
Nec mora: jam ſacris frenatur oloribus axis,
Ardua queis patulas cervix deſcendit in alas.
Hinc atque hinc pharetratorum glomerantur Amorum
Agmina feſtivas latè vibrantia tædas.
Pars temone ſedet loriſque adſtringit olores;
Pars currum intexit ſertis; pars imbre roſarum
Perpluit, & matrem nebulis felicibus afflat.
Ipſa ſedens ſtimulis convitia miſcet aveſque
Increpat, & ſegnes queritur non ire quadrigas.
Ergo ubi jam Cimbrûm præſens advolvitur oris,
Auguſtum mirata Ducem ſtupefactaque tanto
Numine difficiles ſpondet ſibi Diva triumphos.

Sed tamen auſa loqui (nam quid tentaſſe nocebat?)
Inconcuſſa piis accendit pectora dictis.
Quem Te, ſumme Ducum, quem Te genuêre Deorum
Sanguine divinâ deducti ſtirpe Parentes!
Quam Te quam vitam, rerum pulcherrime, dicam
Vivere, qui noſtros in pectore disjicis ignes!
Si Deus es, parent noſtro quoque Numina regno.
Me ſuperûm Pater Ipſe colit, mihi fulmina ponit,
Multaque divinâ gravis implicat oſcula barbâ.
Hinc Chorus omnis amat. Si Te mortalibus addis,
(Namque ultrò vis eſſe minor) Briſeis Achilli
Jungitur, Andromachen & Troicus ambiit Hector,
Nec meus Æneas, nec erat ſine conjuge Theſeus.
Cur pudor eſt noſtris Te Maxime vivere Princeps
Legibus, & dignæ thalamum ſtruxiſſe maritæ?
Cur patriæ ſolem cælebs ſubducis & orbi?
Cumque Ducem populis Te des, cur nomina Patris
Oſtentare fugis? Magno magè firma parantur
Munimenta toro, thalami ſtant plurima fulcris
Imperii momenta, nec es tam milite tutus,
Quam noſtrâ, Dux magne, manu noſtrisq; pharetris.
Præſidiis ſecura meis Fortuna virebit
Cimbrica. nos magnis heredes ſcribere ſceptris
Poſſumus, & natis ſemper ſuperaddere natos,
Quos Conjux tibi blanda dabit: nec enim improba ſemper
Fundit humus populos, neque cæſi è tergore tauri
Amplius, aut jactis naſcentur pignora ſaxis,
Nulla Prometheo formantur corpora limo.
Ergo toros maturus adi dignamque rependе
Imperio prolem, quæ Te, quæ reddat Avorum
Nomina, neu populi cupidis Te ſubtrahe votis.
Regia, crede, tuos (ſic Dii voluere) Virago Con-

Conſcendet thalamos; Virgo, quæ ſidera vincat
Ipſa, pharetratos quæ fallere poſſit Amores
Ore meo, noſtrâque queat conſidere conchâ,
Magna PATRIS MAGNI ſoboles, cui Balthica parent
Æquora, Codanæ cui ſtringitur Nerea fauces,
Et vectigales volvunt ad littora fluctus.
Hæc generi cognata tuo nectetur avito
Sanguine, ſidereisque dabit Tibi baſia labris.
Ne dubita (nam vera fides) jam mollia fandi
Tempora, jam molles aditus animosque paravi.
Tu monitis accede meis noſtrisque gerenda
Committe auſpiciis. certo te limite ducam.
Dixerat: aſt olli attonitam vis ignea mentem
Impulit, inſolitoque Heros percuſſus ab œſtro
Abſentis cœpit jam totus imagine tangi.
Nulla mora eſt, cum jam patriis poſt terga relictis
Sedibus, aligerûm quâ Mater duxit Amorum,
Pergit abire viâ, Gothicæ jam ſiſtitur aulæ
Magnanimique inter voces reſponſaque REGIS
Primum hæret: vultus hinc Regia JUNO ſecundos
Extulit, æthereoque nitet fulgore DIONE
Danica, cui Virtus inſederat ora, Charisque
Æternum afflârat decus, & Matuta genarum
Lilia Sidonio placidè violaverat oſtro.
Non tenuit tantos, animo quos volverat, æſtus
Dux Cimber, manibusque manus contingere gaudet,
Oſculaque impingit dextræ, quæ mallet amatis
Ingeminaſſe labris, tacitusque perorat in oſclis.
Ipſe Dacis reſidens labris ac ore Cupido
(Nam Matris dolus iſte fuit) tactuque ſub ipſo
Tenuia tela jacit, quâ plurima ſanguine bullit
Vena per occultos cordis deducta canales.

Jamque amat & vultu flammas conſeſſa pudico:
Spes alit ipſa Ducis. non jam Dux Magnus amores
Diſſimulat cauſamque viæ. Pater annuit olli
FRIDRICVS, nec ſe facilem FRIDRICA negavit.
Jam geminæ æterno junguntur fœdere dextræ,
Quod non ulla dies, non aſpera fata revellunt.
Quam bene conveniunt & in una ſede morantur
Majeſtas & Amor! quam ſe ſubmittere ſceptris
Novit amica Venus doctisque alludere ocellis!
Eſt ſuus in gravitate decor frontique ſeveræ
Juncta Charis: Qualis cum conjugis ambit amores
Jupiter, ille quidem Junonia fulmina miſcet;
Sed tamen innocuis thalamo inſerpentia flammis.
Magna veni, FRIDRICA, veni. Tibi pandimus arces,
Quàque patent latè ſylvas. Diana per illas
Diceris, noſtrisque Ceres dominaberis agris.
Te maria alta Thetin cupient: Te Najada fontes:
Tu Phœbe noſtris Pallasque vocabere Muſis,
Quæque Tuus pandit Phœbus, Tibi culmina Pindi
Pandimus, & famulæ deſcendunt monte ſorores.
Publica prorumpunt plenis Tibi jubila buccis.
Te populus ſua vota vocat. Tibi lætus arator
Saxonicum gracili carmen meditatur avenâ.
Te canit inter oves Paſtor, ſylvæque ſonabunt.
Ipſa cavis habitans FRIDRICAM in vallibus Echo
Diſcit & auguſtum recitabunt ſidera nomen.
O quam fauſta dies! populorum ô quanta duorum
Gaudia, quos FRIDRICA ſuis nunc implicat ulnis.
Accinit allapſis Selandia fluctibus, & ſe
Tota vagabundis Fionia laxat habenis.
Ipſa reſultantes inclinat vertice montes
Nerigon, & melius venis coxiſſe metallum
Credi-

Creditur: applaudit flammis ſaliaribus Hecla,
Ac ignes cœlo properat vomuiſſe jocoſos:
Nec ſtudiis poſtrema ſuis erit ultima Thule.
Tuque procelloſi domitor, Ditmarſe, profundi
Non abes, & raucas jactas è littore voces.
Et fuſis Slia turget aquis, fluctusque marinos
Dulcibus involvens Suentina effeminat undis.
Ipſæ heic Najades lætæ bacchantur ovantque;
Hæ vitreis plaudunt manibus variisque jocantur
Motibus; hæ nectunt algâ ſubeunte corollas,
Inque vicem ſparſis imitantur fontibus imbres.
Ipſe mari lucem Triton denunciat iſtam,
Et Nymphis jubet eſſe ſacram. ruit agmine facto
Huc advecta cohors tetricis per cœrula phocis.
Ipſe Pater delphine ſedet vibratque tridentem,
Et Nymphas balæna vehit, quæ nare procellas
Spirat & adductâ cava verberat æquora caudâ.
Plana mari facies & molliter unda recumbit,
Nec ſibi congeſtis arctari littora terris
Neptunus queritur ſubreptaque jam ſibi regna
Objectat Cereri, vel vi reparare laborat.
Fallor, an & pinu præcincti cornua Fauni
Subſultant agitantque caprum: nam fiſſile robur
Ignibus advolvunt celeres, ignesque choreis,
Cum Dryaſin, queis ſe Satyri junxère, coronant.
At Tibi dum totus, Dux Maxime, jubila fundit
Orbis & æternos Pax pronuba ſurgit in ignes,
Dum Tibi feſtivis tellus conſpirat & æther
Plauſibus, & geminâ votorum fervet in aulâ
Tempeſtas, humiles aris admitte Camœnas.
Tympana dum Tibi pulſa ſtrepunt, dum Martia paſſim
Æra ſonant, tormenta tonant; nos plectra movemus

Mollia, & ignivomis irrepunt carmina bombis:
Dumque novem cyathis bibitur FRIDRICIA; noſtræ
Et totidem certant cyathos haurire Camœnæ,
Quos liquor Aonius totos impleverat, unde
Ebria tot reſonant Pindi faſtigia verſus.
Jamque omnes bona verba crepant fidibusque canoris
Certantes ipſas Divis ſubjungere voces
Audent. Ipſe alis ventos metitur & auras
Pegaſus, & veſtro nova jubila portat Amori.
Si nunc Idalio mutetur ſepia ſucco,
Et Venus ipſa ſuo calamos immergat hiantes
Nectari, inexhauſtis ſtagnarent fontibus ora,
Per pluerentque ſacro felices flumine myrtos,
Quæ ſocias inter creſcunt ſuper æthera laurus.
At nos hinc pulchros porro ſperabimus annos
Et magni nova fata tori. VIVE, optime PRINCEPS,
VIVE DECVS populi, FRIDRICIA, VIVE beato
Sidere. jam noctes nobis impendite, ut illas
Sera queat meminiſſe dies, ſerieque reductâ
Immenſa hinc veſtris oriantur ſecula Cimbris.

DITHYRAMBVS IN FESTIVITATE NVPTIALI CIMBRICA.

PAnde Muſa, pande montes,
Et ſacros recludе fontes.
Sparge rores, necte flores,
Et ſonoras tunde chordas.
Vos Amores ventilatas
Hinc & hinc movete tædas,

Hinc & hinc movete pennas,
Hinc & hinc ciete plauſus!
Magna Magno CHRISTIANO FRIDERICA jungitur.
Euge! nunc lætisſimorum
Advola corona Cimbrûm,
Maximoque FRIDERICO,
Qui ſuâ deſcendit Arcto,
Et tuos ſalutat agros,
Et tuas inviſit urbes,
Poplites ſubmitte flexos,
Supplicique plaude dextra.
Magnus ecce! CHRISTIANO FRIDERICVS jungitur.
Magna ſalve FRIDERICA,
Fonte tincta Gratiarum,
Et novem decus Dearum,
Aureo ſerena vultu,
Regio decora cultu,
Igneis micans ocellis,
Cimbricas accende flammas,
Cimbricos aſcende lectos.
Ecce! nunc in CHRISTIANO FRIDERICÆ jungimur.
Lux amœna, Lux ſerena,
Ter quater beata ſalve,
Conſciis ſtatuta fatis,
Maximis ſacrata Divis,
Omnium petita votis,
Fulgidis notata gemmis,
Mollibus revincta myrtis,
Omnibus feſtiva vicis.
Tu reductam nunc perenni jungis Arcton vinculo.
Nox venuſta, Nox benigna,
Ter quater beata ſalve,

Luce

Luce nunc illuſtris ipſa,
Cimbricis micans ab aſtris,
Omnium fœcunda votis,
Omnium facunda linguis,
Oſculis ſignata tantis,
Regiis ſerena tædis.
Tu novum reducis Orbi Cimbrico nunc ſeculum
Vive! Vive! Par beatum,
Et toris nobis ab iſtis
Mille nunc toros refunde,
Mille funde CHRISTIANOS,
Mille funde FRIDERICOS,
Mille nobis conde ſecla,
Mente nunc vovemus unâ.
Ore nunc ſonamus uno:
FRIDERICE, CHRISTIANE, FRIDERICA Vivite!

EPIGRAMMATA.

I.

AD

Sereniſſimum ac Potentiſſimum

DANIÆ NORWEGIÆQVE REGEM.

MAXIME REX, ſeptem cui ſubdunt colla triones,
Codanis Nereus cui famulatur aquis,
Quam bene cognatis felici fœdere Cimbris
Jungeris inque tuâ nunc tibi ſtirpe places!
Te Duce nunc Arctoi in ſe vertuntur amores,
Quos paribus vinclis MAXIMA NATA ligat.

Illa

Illa fuit Magnes, per quem ſeptentrio noſter
Jungitur, hic Martis ferrea corda domat.
Et quid non FRIDRICA domet? quæ nomine pacem
Imperat IRENES Numine digna coli.
Fallor, an illa ſuo condit ſub Nomine fata,
Quod reſtauratos nectit utrinque Patres?
Te FRIDRICA Patrem, Patrem ſonat illa Mariti,
Et diviſa unâ Cimbria voce latet.
O quam ſancta dies alboque notanda lapillo,
Quâ Cimbrûm ſtabilit REGIA VIRGO domum!
Ut Patriæ Patres, reddet ſic illa nepotes,
Qui reddent Patriæ parte ab utrâque Patres.

II.

A D

Reverendiſſimum ac Sereniſſimum

CIMBRIÆ DVCEM.

SIc ergo ſteriles, DVX MAXIME, duximus annos,
Totaque nunc in TE Cimbria Virgo fuit!
Ipſeque Virgineis totum TE dedere Muſis
Cœpiſti, Veneri nec locus ullus erat.
Aſt ipſæ tamen hic interceſsêre Camœnæ,
Quæ ſibi mortalem non voluêre DEUM.
Phœbus eras illis. Sed ne moriaris, Amores
Æternum facient & FRIDERICA DVCEM.
Ingeminat populus: quid publica vota moraris?
Et vox indigenis omnibus una fuit:
Si Tibi non vivis, ſed nobis: Eſto Maritus,
Eſto Pater, Patriæ ſi cupis eſſe Pater.

Hacte-

HActenus Holſaticum PRINCEPS portaverat orbem
Noſter, & Atlantis munere functus erat.
His humeris magnæ requiêrant pondera molis,
Et ſtetit his talis ſtatque ſuprema ſalus.
Heu mihi! quantum oneri ſudavit ſæpe ferendo!
Quantus & iſte labor quantaque cura fuit!
Suppoſuit tamen usque pares validosque lacertos,
Nec potuit moli ſuccubuiſſe ſuæ.
Ut validæ vero vires, durabile robur,
Eſſet, in hæc ætas ſæpe maligna furit:
Ergo latus noſtrò nunc ut firmetur Atlanti,
Atlantis lateri Danica coſta datur.

AVGVSTIS AMORIBVS
Reverendiſſimi & Sereniſſimi
PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. AVGTSTI FRIDERICI,

Epiſcopi Lubecenſis, Heredis Norvvegiæ, Ducis Slesvvigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt,

Domini ſui Clementisſimi:

ET

Sereniſſimæ Principis ac Dominæ,

DN. CHRISTINÆ,

Reverendiſſimi & Sereniſſimi Principis ac Domini,

DN. AVGVSTI,

Poſtulati Adminiſtratoris Archi-Epiſcopatus Magdeburgenſis: Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducis: Landgravii Thuringiæ, Marchionis Miſniæ & utriusque Luſatiæ, Comitis de Marca & Ravensburg: Dominis in Ravenſtein.

FILIÆ,

Principis ac Dominæ ſuæ Clementisſimæ, humillimo affectu gratulatur

ACADEMIA KILONIENSIS.

DUm, CHRISTINA Tuis, AVGVSTE, immergitur ulnis,
Sidereosque parat Magna Virago toros,
Prona Tibi vultum ſpiſsâ ſub nube ſerenat
Cimbria, nec triſtes hos ſinit ire dies.
Jamque etiam noſter, patriæ inter jubila, lætos
Miſcuit his, quanquam lentior ordo, ſonos.
Sed miſcet tamen, ac votis nil tardior iſtis,
Nil tamen officio ſegnior ille ſuo.
Si Vos una dies felici fœdere junxit;
Hæc quoque vos jungit, craſtina, ſera dies.
Sed neque ſera dies, quia nil procraſtinat, illa eſt,
Quique hodie, magis hic cras amor aptus erit.
Tempeſtiva magis labente orientur ab anno,
Et matura magis gaudia lapſus habet;

AVGV-

AUGUSTIS cum Vos titulis implebitis annum.
(Auſpiciis utinam lenibus ille fluat!)
Nunc quæ ſunt ſeris memoranda nepotibus olim
Gaudia non nobis gaudeat una dies.
Æternus Vos jungit amor, cui tempora leges
Non poſuêre, dies nulla, nec una dabit.
Perpetuus quoque noſter amor, pietasque perennis,
Nec niſi cum nobis eſt moritura fides,
Illa ſuum ſemper cum Sole revolvitur orbem:
Durat & hæc Vobis perpetua, una dies.
Una dies, totos quæ producetur in annos,
Per ſua ſecla ſibi reſtituenda dies.
Si nova ſunt Vobis, cumque ipſo tempore creſcunt:
Noſtra quoque hoc creſcunt gaudia, vota gradu.
Gaudia ſi Vobis, ſi vota perennia: nobis
Gaudia ſunt nullo votaque ſera die.

EPIGRAMMA VOTIVUM
In nuptias
SERENISS. PRINCIPIS AC DOMINI,
DN. FRIDERICI MAGNI,
MARCHIONIS BADENSIS,
SERENISSIMÆ PRINCIPIS AC DOMINÆ,
DN. AVGVSTÆ MARIÆ,
PRINCIPIS CIMBRICÆ.

MAgne venis Princeps, quem læto Cimbria vultu
Excipit; auguſto Maxima Virgo ſinu,
Auſpi-

Auſpiciis AVGVSTA ſuis tua vota ſecundat.
Tu magno Magnus nomine Sponſus amas.
Jamque per AVGVSTAM domus eſt Auguſta, novumque
Largitur Genero Cimbrica terra decus.
Tu MAGNVS ſemper, SEMPERQVE AVGVSTA ſit illa,
Augeat auguſtâ quò Tibi prole domum,
Ac ita perpetuos ductura in amore triumphos
Vel certet titulis Hæc, Leopolde, Tuis.
Ergò quando minor MAGNO Tibi Natus in aulâ
Ludet, mutato nomine MAJOR eris.
Quod ſi continui ſuccedant inde Nepotes,
Grammatico nobis creſcere perge gradu.
Omnia ſumma ſient: Hæc AVGVSTISSIMA Mater:
MAXIMVS è MAGNO Tu FRIDERICE, Pater.

In amores

Illuſtriſſimæ Dominæ,

DN. HENRIETTÆ CATHARINÆ,

LIB. BARONIS DE FRIESEN,

Virtutibus ac omni Eruditionis genere

INCOMPARABILIS.

FRISIA, magnorum proles miranda Parentum,
Secula cui, credo, nulla tulêre parem,
Illa ſui generis Phœnix & amabile monſtrum,
Gentis honos, ſecli fama, pudorque Virûm:
Si mores videas, Charis hæc Germana vocari;
Si mentem, cerebro nata Minerva queat:
Si tibi pingendæ tot cum Virtutibus Artes,
(Femineo pingi ſcilicet ore ſolent)

Hoc poteris omnes, Pictor, comprendere vultu:
Ore Deas uno tresque novemque dabit.
Quicquid ſignat Eos, veteresque loquuntur Athenæ,
Illa legit, calamis hos imitata ſonos.
His mirè fœcunda fluit facundia labris;
Seu fallat Latias æmula voce nurus;
Seu patrio attonitas effaſcinet ore Camœnas,
Totque ſuos populis dividat una ſonos.
Illa quod æternis Pietas generoſaque Virtus
Inſcripſit tabulis, quod domus, aulá ſapit;
Quod Schola rixantes inter diſtracta cathedras
Extudit, omne domi docta Virago tenet.
Non tacitos natura ſinus tegit: Illa volentem
Dædaleo vultus dedocet igne rudes.
Æthereæ patuère domus, diviſaque regnis
Tellus, & fatis regna rotata ſuis.
Mira facit: juſtâ cum res explorat amuſſi:
Corpora cum numeris ponderibusque ligat:
Sidera cum ſpeculis rapit, & ſolerter ovantes
Temperat agglomerans ore manuque ſonos.
Nulla Viris ars eſt, nulla eſt celebrata puellis,
Seu venit ingenio; ſeu pede; ſive manu:
Una viros junctis ſuperat, ſuperatque puellas
Artibus, & nullâ ſe videt eſſe rudem,
Ut nullâ ſit in arte rudis; tamen unica reſtat,
Quâ non turpe uni ſuccubuiſſe Viro:
Nam, quod tantùm uno poterat didiciſſe Magiſtro,
Ut tot poſt Artes omnia ſciret, AMAT.

Ad

Ad

Nobiliſſimum Ampliſſimumque

MARQVARDVM GVDIVM,

Sereniſſimo Duci Cimbrico

à Conſiliis,

incompatabilis Doctrinæ Virum,

Cum Carmen Germanicum in Nuptias ejus ſcriberet.

GVDI, PRINCIPIS ô ocelle CIMBRI
Phœbi delicium & novem Sororum,
Artium decus elegantiorum,
Aureique propago certa ſecli,
Externi ſtudioſe Cenſor Orbis,
Germani jubar & perenne ſidus,
Dum Germana Charis, Venusque Cimbra,
Pulcra, nobilis, invidenda, blanda
Jungitur lateri tuo puella,
Et feſti reſonant ubique plauſus:
En! quid nunc tuus ille moliatur
Vates peſſimus optimo Virorum.
Nam, ringentibus Atticis, Latinis,
Indulgens popularibus Camœnis,
Hoc imbelle, rudes lyræ tumultus,
Barbaro crepat aſper ore Carmen;
Germanam Tibi qui fidem probavit
Germano bona fatus ore verba.
Sed Tu vafritiem vide Poëtæ!
Dum ſibi malè conſcius veretur:
Ne doctos tua Muſa ſtringat ungues!
Dum circumſpicit exteras Camœnas,
Rideri metuens: ſibi pudicam
Mavult ille domi perire frontem.

VENVS FONTANA

In Nuptiis

Nobiliſſimi Conſultiſſimique Viri

ERICI MAVRITII,

JCti Celeberrimi & Anteceſſoris
in Academiâ Kilonienſi
Collegæ & Amici optimi,

ac

Nobiliſſimæ Elegantiſſimæque Virginis

MAGDALENÆ Schönbachs.

* * *

VENERIS. FONTANÆ. DVLCISSIMÆ.
NON. AMARÆ. MARITIMÆ.
ET. NAIADVM. NYMPHARVMQVE. OMNIVM.
FELICISSIMIS. AVSPICIIS.
JVNGITVR. PAR. NOBILISSIMVM.

ERICVS. MAVRITIVS.

MAGDALENA. SCHÖNBACHIA.

UNICVS. ILLE. PVLCHERRIMI. SVI. RIVI. RIVALIS.
UNICVS. ILLA. RIVUS. SVO. RIVALI. DIGNVS.
ET. PLANE. AQVA. VIRGO.
QVAM. NECTARIS. SVI. PARTE. QVINTA. IMBVIT.
VENUS.
FRIGIDAM. EX. ISTO. RIVO. UTRINQVE.
SVFFVNDVNT. CVPIDINES.
AD. EXTINGVENDVM. IGNEM. INTERCVTEM.
THERMAS. ADMOTIS. FACIBVS. PARANT. AD.
DISPELLENDVM. FRIGVS.
O. FELIX. IGNIS. ET. AQVÆ. IN. RIVO.
HOC. CONJVGIVM.
NEC. ULLVS. IGNE. HOC. ET. AQVA. AMANTIBVS.
INTERDIXERIT.

TIBI.

TIBI. VERO.

S P O N S E.

QVEM. NVNC. FORTVNÆ. RIVUS. INAVRAT.
CVI. PERPETVA. NON. FLVXA. IN. HOC. AMORVM. CONFLUXU.
STAGNANT. GAVDIA.
BIBERE. LICET. PISCARI. LICET. LAVARE. LICET.
HEM. TEMPVS. EST!
BIBES. HIC. AD EXTINGVENDAM. SITIM.
NON. UT. CANIS. E. NILO. NON. PITISSANDO.
SED. ΑΜΥΣΤΙ.
INSCENDE. JAM. IN. HOC.
NON. MARIÆ. SED. MAGDALENÆ. BALNEVM.
NON. INCIDES. IN. SCYLLAS. ET. CHARYBDES.
NEC. VIRAGO. HÆC. ERIT. VORAGO.
INSCENDE. SED. SINE. HYDROPHOBIA.
NE. TIBI. IN. IPSA. AQVA. HÆREAT. AQVA.
FLVXVS. HIC. ERIT. ET. REFLVXVS.
ILLE. NOCTVRNVS. HIC. DIVRNVS.
FONTEM. AMMONIVM. RIVUS. HIC. IMITABITVR.
QVI. INTERDIU. FRIGET. NOCTU. FERVET.
NON. LACHRYMARVM. PROCELLÆ. FLVCTVS.
TIBI. MOVEBVNT. IN. TVO. RIVULO.
CÆTERVM. SEXCENTOS. EX. UNO. RIVO.
UTERQVE. DERIVATE.
RIVULOS.
EGO. NE. QVID. DESIT. AQVÆ.
PAVCVLAS. HAS. E. FONTE. CASTALIO.
GVTTVLAS. ADSPERGO.

EPIGRAMMATA.

I.

IMprobe Caſtalii, MAVRITI, o helluo fontis,
 MAVRITI, Aonii gloria ſumma chori,
Cujus in immenſos diffuſa ſcientia rivos
 Ingenio totum colligit Oceanum,

Sequana cui Rhodanusque & Rhenus & Albis & Iſter
Diſtribuere ſuas undique & undique opes.
Poſt mare, poſt fontes, jam tu ſectabere rivos?
Et Rivi nunc eſt maxima cura tui?
An nunc in Rivo portus tibi quæritur? Ergo
Rivulus hic tantum nunc capit Oceanum?

II.

CIMBRIA Te genuit, patrios tamen ipſe penates
Spreviſti, & tellus te peregrina trahit,
Jamque petis Belgas & amantes lilia Gallos,
Magnaque te ſacri Cæſaris aula tenet.
Hinc fixas voluit ſedes offerre Tübinga,
Sed patrii tamen huic prævaluêre lares.
Hactenus exul eras. Sed dum ſic ſolus oberras,
In patriâ præſens & ſimul exul eras.
Non tulit, & pulchram Mater Tibi CIMBRIA natam
Deſponſat, proprios & dedit ipſa lares.
Jam rediiſſe domum te colligo, quando Maritam,
Ut ſis ipſe domi, ducis Amice, domum.

III.

VIdit MAURITIUS pulchrum per gramina Rivum:
Ut vidit, placidum conſtitit ante lacum.
Vidit & obſtupuit, ſua cum ſibi reddita imago eſt,
Ut vidit, formam deperit ipſe ſuam.
Jam nova Narcisſi ludetur fabula, dixit:
Dixit, & his verbis fata dedêre locum:
Narcisſi digno nunc appellabitur ille
Nomine. Quem vidit fontem, Aqua Virgo fuit.
Virgo fuit pulchri SCHÖNBACHIA Nominis: illam
Vidit, in hâc formam conſpicit ipſe ſuam.
Vidit in hâc animum: nam MAURITIANUS in iſtâ
Fronte decor, virtus, gratia picta fuit.

Nunc

Nunc, Sponſe, in fontem, nunc, Sponſa, liquaberis
Eſt Vir imago tui; tuque es imago Viri. (unum.

LVSVS ANACREONTICVS.

MAVRITII canemus
SCHÖNBACHIÆQVE amores.
Triſtes valete curæ,
Senes abite torvi,
Et tetrici Catones,
Inamabiles, inepti,
Ne fronte fimbriata
Jam, querqueroque vultu
Turbate noſtra ſacra.
Vos advoco Camœnas,
Amœnulas Camœnas,
Riſus, Jocos, lepores,
Mollesque Dithyrambos,
Jambosque ſaltitantes,
Deosque non moleſtos,
Deasque non ſeveras,
Omnesque ſingulosque,
Omnesque ſingulasque.
Sic imperat Lyæus;
Sic flagitat Cupido;
Sic Ipſe poſcit Hymen;
Sic exigit Dione,
Quæ Cimbricos per agros
Noſtras ſecuta Muſas,
Tenerisque juncta Nymphis
Pede ſaltat erudito,
MAVRITIIQVE cantat
SCHÖNBACHIÆQVE Amores.

Mavritii canemus
Schönbachiæqve Amores,
Suaviſſimos Amores,
Fauſtiſſimos Amores,
Quos ſanxit ipſa Cypris,
Queis ipſe ridet Æther.
Mavritivm canemus,
Quem Phœbus ipſe, quemque
Novem chorus ſororum
Parnaſſiis ſub antris
Nutrivit, educavit,
Cui ipſa Diva totam
Aſtræa ſe dicavit,
Numerosque cui per omnes
Eſt abſoluta Virtus;
Nunc muſteum Diones
Venuſtulumque Myſtam
Et undiquaque bellum
Amoriludionem.
Schönbachiam canemus,
Quam finxit ipſa Virtus,
Quam pinxit ipſa Cypris,
Quam dotat ipſa Juno,
Et ornat ipſa Pallas,
Et veſtit ipſa Flora,
Et excitat Juventas,
Et imbuit Voluptas,
Et incolit Venuſtas,
Hanc undiquáque pulchram,
Et undiquaque bellam,
Et undiquaque comptam,
Et Elegantiarum

Voca-

Vocabo promicondam.
Quis pingat iſta Pictor,
Quis fingat ora vates?
Nam tota, quanta quanta eſt
Pudica, bella, pulcra eſt.
Cui non ſereniores
Arrideant ocelli?
Queis inſident Amores
Ipſique tot figuris
Cupidines perorant.
Heic ipſa Gratiarum
Se pandit officina,
Dioptra lucis almæ.
Scintilla viva mentis.
Heic arcus, heic pharetra eſt,
Queis armiger puellus,
Tenerrimus Tyrannus,
De mentibus ſubactis
Dulces agit triumphos.
His proſpicit feneſtris,
Hoc conſidet theatro
Venus, Charis, Voluptas.
Quis purpuram genarum,
Quas tinxit ipſa Virtus,
In queis Pudor profuſo
Decorus ardet auro;
Quis frontis hunc honorem?
Quis hæc adumbret ora?
Quis exprimat labella?
Queis pura mella ſtagnant,
Nectarque ſtillat ipſum,
Quod hauriunt Amores

 Et

Et illinunt ſagittis.
Odor hic Eous halat,
Eteſiæque ſpirant,
Et vox rotatur iſta
Tenella, bella, blanda,
Quæ ſaxa ducat ipſa,
Quæ mulceat leones,
Et imperet procellis,
Dometque pertinaces
Vinclo potente ſenſus,
Menteſque ſemimutis
Effaſcinet ſuſurris.
Quem non & urat iſte
Roſeus per ora fulgor,
Niveus per ora candor,
Curſansque & hinc & illinc,
Per colla, perque frontem,
Per myrteos capillos,
Per & genas manusque,
Per vinulos ocellos
Frequens amoris ignis?

At jam dies ſuprema,
Dies adeſt amœna,
Ipſis ſtatuta fatis,
Ipſis notata Divis,
Et tot ſacrata votis,
Et tot petita curis,
Quæ Virginis ſuperbum
Nomen decusque tollet,
Sponſamque non rebellem
Mutabit in maritam.
Jam Veſper ecce ceſſit,

Jam prima nox propinquat,
Nox pulchra, nox beata,
Nox invidenda & albo
Notanda nunc lapillo.
Bona verba jam loquemur
Bonâ die bonâque
Reciprocanda nocte.
Ut nata ſunt, rubentque
De matre bella verba,
Quæ forſan ipſe dextrâ
Conſignet eleganti
In virginem papyrum
Veneris puer Cupido:
Quæ muſſitaret ipſas
Sororis inter ulnas
Suaviſſimè reclinis
Regnator ipſe Divûm:
Quæ non recuſet ipſe
Proferre nunc Maritus,
Quæ nec recuſet ipſa
Audire verba ſponſa.
Quid ſponſa? jam marita.
(Nam ſic decet vocare.)
Ut ergo ſic vocetur,
Illam vocavit Hymen.
Prodi, puella, prodi
Quin, MAGDALENA, prodi!
Quid ergo nunc moraris,
Tricasque nectis iſtas,
Tardumque ducis annum?
Prodi, puella, prodi!
Cecinere ſigna: prodi!

Nunc

Nunc occupanda nox eſt.
Nox iſta quæ diebus
Eſt præferenda cunctis,
Tot præmium laborum,
Tot noctium medela.
Procede nunc ad acrem
Sine miſſione pugnam.
Sed quid fugis, puella?
Quid extimeſcis iſtam
Horresque, ſponſa, pugnam?
Quis iſte terror? error.
Quem terreat voluptas
Innoxiique luſus,
Quos nulla nupta fugit?
Quid jam fugam capeſſis?
Non hic latebis usquam,
Nec occulent tenebræ,
Spisſiſſimæ tenebræ;
Nec ſi Jovis quadrigas
Inſcenderes, hiantem
Fallas, Puella, Sponſum.
Et quem fugis puella?
Marita tu Maritum?
Tuumque, Sponſa, Sponſum?
Tuum, puella, ERICVM?
Tuum, puella, Regem?
Tuum, puella, Corclum?
Et quid fugis Puella?
Tuam, puella, partem?
Tuum, puella, lumen?
Tuam, puella, mentem?
Tuam, puella, gemmam?

Tuam, puella, dextram?
Tuum, puella, ſolem?
Tuas, puella, curas?
Tuam, puella, metam?
Tuam, puella, vitam?
Tuum, puella, votum?
Et te, puella, totam?
Quorſum fugam capeſſes?
Nam deſerunt propinqui,
Nec audiunt parentes
Ad iſta vota ſurdi.
Quæ forſitan tuentur
Te Virgines inermes,
Dulcisſimæ ſodales,
Mox perfidæ recedent,
Zonamque poſt ſolutam
Raptamque dis-que-ruptam,
Te Victimam Cytheræ,
Vagulamque, nudulamque,
Amoris heu! in ara,
Siſtent ſtatim immolandam.
Quid una, ſola, nuda,
Quid, ô miſella, tentes?
Nec lacrymæ juvabunt.
Quas proſequentur altis
Cupidines cachinnis.
Quas ipſe nunc hiulcis
Superfluas Maritus
Abſorbet è labellis.
Ergo taces Puella,
Nec abnuis tacendo,
Nec abnuis jacendo

Te

Te ſubditam fateri,
Nec amplius repugnas
Iſtas inire pugnas.
Nunc audies maritum,
Lubensque nunc ſequeris,
Quo te trahet Maritus,
Et nunc magis modeſta es,
Quo nunc minus modeſta es,
Et vincla conjugali
Circumvoluta nexu
Non amplius recuſas.
O Suavitas Amoris!
Nec efferenda linguis,
Nec enotanda pennis,
Nec exprimenda votis,
Quâ diffluunt Amantes,
Et noſter hic Amator.
Nunc ille pervagatur,
Et liberè pererrat
Lacertulos tenellos,
Et veſculas papillas,
Ocellulos ſagaces,
Et baſians ocellos
Nil imputat labellis,
Et baſians labella
Nil imputat ocellis.
Hic multa garrientem,
Et multa muſſitantem,
Et multa luſitantem,
Et multa dejerantem,
Et multa vellicantem,
Et multa molientem,

Opa-

Opaca Nox, & atris
Involvit umbra pennis.
Hic Riſus, hîc lepores.
Hîc ludus, hîc Voluptas
Thalami ſuprema lex eſt,
Hic ſaltus eſt Rhodusque.
Jam ſtrenuè rigatis
Premunt labella labris,
Seque oſculis vicisſim
Ferocibus trucidant,
Flexisque tortulisque
Movent duella linguis,
Utque hinc & hinc vagantur:
Sic hinc & hinc ligantur
Tenacibus lacertis,
Nodisque brachiorum
Sibi Gordiis inhærent,
Amplexuumque mille
Helices breves, rotundas
Et usque & undicunque,
Et undicunque & usque,
Suavisſimo tumultu
Plicantque replicantque.
Bene Te! Marite belle,
Qui nunc in his labellis,
Ex intimis latebris
Auras trahis latentes,
Animamque ſugis ipſam,
Tecumque in his labellis
Habitas & ipſe totus,
Et cum Tibi negantur
(Sed ſi tamen negantur)

Furtiva carpis oſcla:
Nec illa pœna furti eſt,
Ut quadruplo rependas,
Sexcenta ſed reponas.
Tercentiesque mille
Des oſcula & reſumas.
  Quid jam, quid hinc ſequetur?
Quos non, Marite, fundes
Cachinnulos procaces?
Quas non, Marite, diſces
Fraudes & illecebras?
Contentiunculasque,
Vexatiunculasque,
Aſſultiunculasque,
Aggreſſiunculasque,
Amplexiunculasque,
Tractatiunculasque,
Subreptiunculasque,
Et mille Amoris artes?
Ut omne Te maritum
Credam tuliſſe punctum,
Ut jam tibi vel ipſos
Credam invidere Divos.
  St! St! tacete Muſæ?
Non prodo plura, & iſtis
Obduco vela ſacris,
Nec illa nunc revelo,
Quæ vult Venus fideli
Silentio recondi.
Harpocrates canorum
Digito premit labellum.
St! St! tacete Muſæ!

In

In
AMOREM TERTIVM
Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri
HENRICI RVDOLPHI REDEKERI,
JCti Acad. Roſt. Celeberrimi & Sereniſſimo Principi Mechlenburgico à Conſiliis.

TEr fauſtus ille, ter beatus eſt dies,
Quo nunc Amori REDEKERVS Tertio
Se tradit unum ſeque totum mancipat,
Jam Cypridos Triumvir in Republica,
Milesque tertii tori triarius.
Adeſte tres, adeſte vos ter tres Deæ,
Et eruditis & benignis plauſibus
Votisque amorem conſecrate tertium.
Vos ô Amorum floridiſſimi greges,
Nudi, Alites, Venuſtuli Cupidines,
Motis ter alis, ter rotatis ignibus,
Jo ter hymen! hymen! hymen dicite,
Vocesque dulces mollibus fractas ſonis,
Laſcivulas, mellitulas, loquaculas,
Et tertiata verba in aurem dicite,
Quæ Conjugi inſuſurret ipſe Jupiter,
Quæ ſemiſomnis muſſitaſſet Marſpiter
In explicato Cypridos jacens ſinu.
Commovit ipſe Apollinis ſeſe tripus,
Terque alia fudit mugiens oracula.
Et ipſa amores fata ſanxerunt tuos,
O REDEKERE: nam tabellis aureis

Tuæque menti; pennâ Amoris alitis
Revulsâ ab alis, literis tribus, ſacram
Scripſere vocem, jusque dixerunt: Ama.
Queîs tres reponis ipſe literas: Amo:
Queis nunc Amor firmatur ille tertius,
Perfectus & ſuo ſacer Ternario,
Numeris in iſthoc abſolutus omnibus.
Qui primus, hic utrinque amor primus fuit:
Secundus ambobus ſecundus exſtitit:
Rurſusque primus tertio nunc jungitur,
Dum ſe Marito Virgo reddit tertio.
Sic primus inter impares Ternarius
Divinus, immortalis atque maſculus
In unitatem priſtinum binarium
Viduum, ſolutum, perduellem, diſſonum
Reducit, atque pars adunat hoc ſibi,
Ut par ſit illud unum & absque ſit pari,
Ut primus idem idemque Amor ſit tertius,
Et unus & triplex in unâ tertiâ,
Quem nunc ſecundum vota dicunt omnium,
Quem nunc ſecundum fata fauſta ſanciunt.
Æquale Amoris dixeris triangulum,
Quod claudit arctum & hinc,& hinc,& hinc latus:
Medium Maritus inter hæc punctum ferat,
Quo puncta ferre, ferire poſſit omnia,
Et brachiorum inducat illa circulo.

Age ergo robur æsque triplex indue
Dum tertium, Marite, tertias agrum,
Ut poſt olus feliciter lupulus tuis *
Excreſcat hortis, ſeque in auras erigat.
Hunc vel ſecundâ & tertiâ vice terties.

Agen-

* *alluditur ad nomina Conjugum.*

Agenda bis vel ter tibi, quæ pulchra ſunt,
Nec pœnitebit acta ter vel ſæpius
Egiſſe rurſus ter quaterque & ſæpius.
Hinc ter trium hoc labore ſurgit tertio
Triplex ſubinde fructus ille menſium
Volventibus ſemper novandus menſibus.
Sed quid Poëta veſter olim, nunc novæ
Illatus oræ Cimbricoque Apollini
Suſceptus hoſpes? quid precabitur novi?
Quod carmen occentabit è trivio ſuo?
Quæ vota fundet? pauculis, notiſſimis
Tribusque verbis dicam Amori tertio:
FELICITER! FELICITER! FELICITER!
Tirynthium precabor hinc trinoctium,
Quo tu Trium vir excubes diutius,
Tuæque pernox accubes diutius,
Nocturnus & percuſſor hanc ferias tuam
Ter mille, mille, mille valgis ſvaviis,
Quo duplicare triplicare gaudia
Poſſis & arcta amplexuum ſuſpendia.
Ne tu triparcus audias nunc Euclio.
Sic tertiana Amoris hæc febris tibi,
Sic illa continuis recurrat noctibus,
Ut frigus omne, torpor omnis exulet,
Sudesque Vir & algeas nunquam Senex.
Nec deſplicebit ille morbus, cui ſtatim
Medetur ELISABETA pharmaceutria.
O creſcat ævum in omne, creſcat hic amor!
Sic tertius ſit, ne ſequatur hinc novus,
Quartoque denuò ligeris vinculo.
Non Parca triplex rumpat illa ſtamina,
Sed Neſtoris tria nectat illis ſecula.

Fortuna ſummo tertioque ſtet gradu
Lautisſima, & lætisſima, & largisſima,
Ternoque ſe bona cuncta ſiſtant ordine.
Sic ter beatus terque felix diceris,
Solersque ſortis Architectus es tuæ,
Sagaxque amoris menſor & faber tui,
Quem fruſtra Jambo nunc trimetro metior:
Nam ſi tuâ Te rectè amuſſi metior,
Nobis amore hoc, REDEKERE, tertio
Ingens Amator atque TRISMEGISTUS ES.

Nobilisſimo Amplisſimoque Viro

FRIDERICO Hecklauer/

S. Reg. Majeſt. Dan. & Sereniſſimi Principis Cimbrici in Comitatibus Oldenburg & Delmenhorſt Conſiliario, nec non Capituli Lubecenſis Canonico, Domum ducenti

Nobilisſimam Elegantisſimamque Virginem,

MAGDALENAM SIBYLLAM Schachten.

ERgo graves animo, jubet hoc Amor, ejice curas,
Quando novum Veneris, Sponſe, tribunal adis.
Nil te pictarum ſinuoſa volumina legum,
Nilque juvant tetrico fulmina ſparſa foro.
Scribit amor tabulas & leges ponit avitas;
Deſcribetque ulnis MAGDALIS ipſa ſuis,
Atque Sibyllino nova jura docebit in antro,
Qualia naturâ ſollicitante patent,

Pan-

Panditur in mediis nova nunc tibi curia plumis,
Et nova nocturnus munia Prætor obis.
Cæca tibi fidam Themis heic memorabit ad aurem,
Quæ tacitis nunquam diſſimulanda toris.
Obligat heic juſtis ſe MAGDALIS optima vinclis,
Atque bonâ tecum contrahit illa fide.
Heic quoque præſcriptis ſtipulatio mutua verbis
Suſcipitur: ſequitur ſed ſua verba fides.
Nec conſenſus abeſt, & res intervenit ipſa,
Et formis geritur pactio quæque ſuis,
Plurima ſuntque novis ſine nomine fœdera ſponſis.
Baſia DAS, ut DET protinus illa Tibi.
Omnia das illi, toti te denique totum;
Se totam toti reddat ut illa Tibi,
Et FACIS, ut FACIAT. Quid enim non tentet Amator?
Resque tuas agis, ut res agat illa ſuas.
Et cauſas Judex decidis agisque Patronus;
Et culpæ cupit hæc ſuccubuiſſe ſuæ.
Nec Te victorem renuit, ſe dicere victam,
Nec causâ toties huic cecidiſſe grave eſt.
O ſint felices, ſint mille in amore triumphi,
Ut veſtros ornent viva tropæa toros.

In Nuptias

Nobilisſimi Ac Perquam Strenui

JOHANNIS WITTEMAKII,

S. R. M. Dan. Caſtrametatoris Generalis, & evocatorum militum pedeſtrium Colonelli, Friſ. Norgosberdicæ Prætoris,

Et

Nobilisſimæ Feminæ

MARGARETHÆ Steinmannin.

Jocus è Nomine Sponſæ!

SAlve pulchra dies, quâ nunc STEINMANNIA Sponſo
WITTMAKIO viduum claudit amica latus!
Salve pulchra dies albo ſignanda lapillo,
Quo lapis in vacuo ponitur iſte toro.
Dicta fuit mulier, quaſi mollior: attamen illi
Impoſuit durus nomina dura Lapis.
Quod terræ lapides, homini ſunt oſſa, & ab iſtis
Natales traxit dura Virago ſuos.
Eſt Lapis illa, Viro ſed nomine junctus eodem.
Miſcentur lapidi mollia membra Viri.
Ne mihi jam duro ſignate hæc ſecula ferro:
Nam molli tactus flagrat amore *Lapis*.
Ad Lapicidinam, Sponſe, hanc damnaris, erisque
Optimus heic Lapidis Tu Lapicida tui.
Ne ſuper hunc lapidem ſedeas lapis, arripe ſcalprum,
Aut gladios adhibe, Martis alumne, tuos.
Nec tamen heic aciem duriſſima ſaxa retundent.
Admittet facilis ferrea ſcalpra lapis.
Fungetur lapis ille Tibi vice cotis, acutum
Quæ ferrum reddet, Sponſe, ſubinde tuum.
Forſan & attritu ſcintilla reſultat ab iſto,
Et lapis ardentis fomes amoris erit.
Adde manus operi, & ponet lapis iſte rigorem,
Cereus in partes & latus omne trahi.
Gutta cavat lapidem non vi ſed ſæpe cadendo:
Tu quoque ſic lapidem ſæpe terendo caves.
Ne te pœniteat ſaxo hoc triviſſe labellum,
Impingasque unum ſæpius in lapidem.
Formabis ſtatuas, ſed Memnonis arte ſonantes,
Perfectumque dabis Deucalionis opus.

Si-

Siſyphius lapis ille Tibi voluendus in orbem eſt,
Extremus donec colligat oſſa lapis.
Hunc ego Magnetem præclaro nomine dicam,
Quem Cypris lapidem dixerit ipſa ſuum.
Nam velut hic ferrum trahit & complexibus ambit:
Sic Martem armatum traxerat illa Venus.
Rectius illa Tibi lapis eſt pretioſus habetque
Præcipuum in gemmis Margaris iſta locum.
Candidus in Veneris Tibi naſcitur Unio conchâ,
Præ quo non adamas, jaſpis onyxque placet.
Hic Tibi diſciſſos nunc unio adunat amores,
Et viduus nunc individuus torus eſt.
Hoc erit illa dies albo ſignata lapillo,
Candidus & noctem calculus iſte notat.

Nobiliſſimo & Conſultiſſimo Viro

ANTONIO HENR. GLOXINIO.

J. U. D. & Comiti Palatino Cæſareo,

& Nobiliſſimæ Virgini,

ANNÆ DERENTHALIÆ,

Sponſis.

MAlus adeſt: veteres Natura reſuſcitat ignes,
Theſaurosque Venus promit ubique ſuos.
Tu quoque, Gloxini, flammis ſtimularis eisdem,
Dum tibi blanda pios explicat Anna ſinus.
Hic Ver molle Tibi eſt; flores tu carpis, & illa
Spargit in obſequium prona, ſupina, tuum.
Sic magni incipient ſenſim procedere menſes,
Atque pari creſcent annus amorque gradu.
Mox grave Solſtitium plenis tibi ſurget ariſtis.
Læta ſeges tumidi quam tibi ridet agri!

Si Veneris præceps deponet in horrea, Cunas
Autumnus Domino munera pulcra ſuo,
Tum tibi, ſed parvo, longè perfectior orbe
Abſolvit numeros Annus & ANNA ſuos.

In Nuptias
Viri Nobiliſsimi & Ampliſsimi
JOHANNIS PHILIPPI ROSMANNI,
J. U. D. Profeſſoris Extraordinarii,
& Academiæ Secretarii,
&
Nobiliſsimæ Virginis
URSULÆ Fauſten.
Jocus è Conjugum Nomine.

QUid inane noſtris carmen imperas Muſis,
ROSMANNE, feſſis jam canendo & exhauſtis?
Cum nil ſit illis, quod tuis ferant tædis,
Jocum parabunt, atque cum joco votum:
Ut qui VIRO, ROSMANNE, es ac EQVO miſtus,
Chirona qualem pingimus, novus jamjam
(Quas Te Venus, Cupido, vertet in formas)
Ex URSVLA VIROQVE prodeas Chiron.

VENVS

VENUS HYGEIA,

In Nuptiis

Nobiliſſ. & Experientiſſ. Viri,

JOHANNIS CASPARIS PFENNINGII,

Medicinæ Doctoris & Practici Feliciſſimi,

&

Nobiliſſimæ Lectiſſimæque Virginis

SOPHIÆ Clauſen.

---

*
* *

Gaudete Medicorum Filii!
Nova ſentit incrementa
Apollinis & Æſculapii familia,
dum inter ſe παῖδας ἰατρῶν jungit
novos ἰατρῶν παῖδας meditata
VENUS HYGEIA:
ſcilicet
JOHANNEM CASPARUM
PFENNINGIUM,
&
SOPHIAM CLAUSENIAM.
Ambo amando ſibi medentur, medendo amant.
Sponſus Medicus, Sponſa Pharmaceutria.
Utrique vulnera inflixere Cupidines.
Inde febres,
ſed continuæ, & ſine frigore.
Nulla hîc catapotia, niſi melliti

verborum globuli,
voces papavere & ſeſamo ſparſæ,
infinitæ ſuaviorum doſes:
Ut enim Pſylli ſuctu ſerpentum morſus;
ita amantes oſculorum ſuctu ſua
ſanant vulnera.
Nec murmura deſunt & Carmina,
ſed innoxia.
Si usquam, in amore Medicina magnetica eſt.
Magna oculorum faſcinantium,
Magna characterum efficacia eſt,
Quorum ideis primas amorum lineas
ducunt Cupidines.
Sed tamen eminus nil *ſolidè agitur*,
niſi remedia propius tangant,
ſuo ſingula tempore applicanda:
Suas enim Venus non dies ſolum
ſed & noctes habet criticas.
Verum â rudi cælibe nihil hîc
diſcet Sponſus.
Suis ille utetur artibus
Empiricus Clinicusque in thalamo
ſagaciſſimus,
Nunc in SOPHIA Panaceam inveniens.
Qualem vocare licet bonam Conjugem:
Malam enim ſi dixeris,
morbos omnes dixeris.
Quam cum tangit maritus, ulcus tangit.
Hæc familiæ ſuæ ſtruma eſt
Capiti mariti adnata.
Nam
ſi inflata, vertigines & tempeſtates excitat:

ſi pro-

ſi prodiga, phthiſin & maraſmum bonis inducet:
ſi ſocors, gangræna erit,
& juncto Conjugi ſuo cadavere
Mezentii imitabitur ſupplicia.
Veriſſimum Hiſpanorum verbum eſt: *
Die illa quo Uxorem ducis,
vel tibi mederis, vel te interficis.
Quod & Tibi, Medice, dictum putes.
Mala interficit: Bona medetur.
Quam ſi dixeris, omnia bona dixeris
& ipſam Salutem.
Nam ſana mens eſt in ſano
familiæ corpore
CONJVX OPTIMA.
Et quidni SOPHIA?
Tua Tibi VENVS, Tua Tibi HYGEIA.
Sibi ſuum uterque pharmacum eſt.
Optimum Sponſus Sponſæ Epithema
& periapton,
de collo amplexibus ſuſpenſum.
Chirurgia hîc exercetur:
Sed ſine ferro & face.
Gratiſſimus à Veneris cauteriis dolor eſt.
Anatome viva inſtituitur,
Sed innoxia, nec tamen incruenta.
Cupidinum tela inſtrumenta hîc Chirurgica.
Juvant & hîc,
ſudores, frictiones, balnea,
ipſumque Amoris opus, ſi Hippocrati credimus,
Medicina eſt.
Diæta etiam hîc ſervatur,
ne morbos trahamus voluptatum

* *El dia que te caſas, ô te ſanas, ô te matas.*

uſu-

uſuras.
Sic Medicè vivere, nec abnuente
Sponsâ, optimè vivere eſt.
Suam hic Amor Chemicam exercet,
fornaces ſuas facibus accendit,
præcipitat, ſolvit, miſcet, coagulat
ſtratum ſuper ſtratum locat.
extrahit, diſtillat, ſublimat, ſeparat.
Hic quoque magnus ille puerorum ludus
magnum mulierum opus diſcitur.
Philoſophorum effatum eſt:
Natura Naturâ lætatur, Natura Naturam continet,
Natura Naturam vincit,
quod non caminis ſolum, ſed & thalamis
dictum puta, Sponſe.
HOC ERGO AGE.
Medice, Medica, Amator Amatoria.
Forſan & hic nova ex incubationibus
Medicina docebitur,
ut olim in Fano Æſculapii.
Omnes votivas tabulas ſuſpendemus.
Munera è triplici regno habebis vectigalia,
Magna illa triplicis Imperii Hermetici Regalia.
E Minerali Aurum tibi dabitur
ſummum fortunæ, ſummum morborum remedium.
Maxima etiam in Amore Panace,
E Vegetabilium ordine
herbas Natura porrigit,
flores thalamo ſpargit,
nobiles terræ filias.
Victrix laurus perpetuum ſpondet virorem,
Neſtorea quercus ſua ſecula.

Ex

Ex animantium regno.
Sola Tibi ſufficit SOPHIA,
Cæterorum omnium compendium.
Vivite! Valete! Amate Medicorum filii
Medicè, Pancraticè, Athleticè.
Nova hic adverſus Mortem palæſtra
medica eſt.
Nunquam enim felicius in illam pugnabitis
quam in thalamo
Immortalitatis præmia merituri,
Si novos Mortis hoſtes in vitam edetis
novos Machaones, Æſculapios, Podalirios,
SIC VOS IPSA SERVET SALVS,
IPSA SOSPITET HYGEIA.

AD
JACOBVM KORNMESSERVM, D.
& Medicum Regium Fridriciæ,
Amicum Veterem,
&
MARGARETAM MARCHIAM,
Sponſos.

POſt tot ergo moras, AMICE, poſt tot
Longi temporis oſcitationes:
(Nam jam ſeptima penè fluxit æſtas
Speranti thalamos ſuos JACOBO:)
Poſt tot ſegnia vota, ſpeſque lentas:
Tot luſtrata ſubinde regna & urbes:
Mutatosque lares, vagasque ſedes,
(Quod felix tibi ſit bonumque!) tandem

E Spon-

E Sponſo veteri novum, benigna
Hæc dies facit atque nox Maritum,
Quæ non tantum animo jubet, ſed omnem
Toto corpore poſſidere Sponſam.
Salve Lentule, nunc Marite, ſalve!
Quo te nomine nunc ſaluto primus,
Inſuetas Tibi mulceat quod aures.
Implumis Tibi fert faces Cupido:
Non qualis Cypriam premens columbam
Jactatis volat hinc & inde pennis:
Sed teſtudine vectus, & modeſto
Adrepens, comitante matre, greſſu.
Nec tortas jacit eminus ſagittas;
Sed quam forte dedit pharetra, *fractis*
Ipſe cominus imprimit medullis.
Feſtinata nocet Venus juventæ
In primos ſine lege prurientis
Ac cum turbine proruentis ignes;
Ignotæ ut Satyrus dat oſcla flammæ,
Ipſisque uritur & perit ſub oſclis.
Vel ipſos jugulatur inter ortus;
Ut ſolet fatuum micare fulgur,
Ac qui per ſtipulas ferocit ignis,
Adſpectu in cineres abit ſub ipſo,
Et ex luce graves dat usque fumos.
Tu prudentem in amore tarditatem,
Fultas conſiliis moras, & annos
Longis uſibus artibusque coctos,
Cunctator modò Sponſe, maluiſti,
Quos pulchræ in thalamos ſinumq; Sponſæ
Maturos, habilesque, vividosque
Circumſpectus amator intuliſti.
Hæc magiſtra ſuum docere myſtam

Vel

Vel natura poteſt. Moram requirit,
Quicquid magna minatur, idque durat.
Occulto ſacra creſcit arbor ævo.
Fulvum non niſi ſecla dant metallum.
Pallentes mora longa tingit uvas.
Fungus unius eſt propago noctis,
Aſt ingloria, ſordibusque nata.
Excreſcunt ſteriles ubique Lappæ,
Perque omnes pedibus teruntur agros.
At nunc rumpe moras, Amice, rumpe.
Ohe jam ſatis eſt ohe morarum!
Ceſſatum ſatis eſt, Marite. Jam Tu
Debendi reus è morâ es. Severus
Te præſtare moram jubebo Prætor.
Nam, ne quid morer, in morâ periclum eſt.
Tricator modò ſolve, ſolve Sponſe.
Alterum petit ipſa Sponſa tantum.
Et hoc jure petit. Nihil remittet.
Tu rem reſtituas, ut ille quondam
Cunctando Fabius, diutinamque
Compenſes gravitate tarditatem:
Sed quæ non gravet, & gravet Maritam.
At iſtâ Tibi lege res geratur:
Ut quot ſera Tibi negavit annos,
Prole tot geminâ Venus quotannis
Fœcundos renovata reddat annos.
Ut qui crevit Amor Tibi tot annis,
Omnes longior usque vincat annos.
Sic Tu ſat citò, ſi benè es Maritus:
Sat Pater citò, ſi benè atque ſæpè es,
Et vocaberis usque & usque nobis
Cunctator bonus atque Reſtitutor.

II. In

II.
In easdem Nuptias
ſcriptum alieno nomine.

ERgo fer optatos tandem non ſegnis amores,
SPONSE, O Apollinei portio magna chori!
Jam tandem ſperata tuis immergitur ulnis
MARGARIS, & Medicis jungitur auſpiciis.
Illa Machaoniâ prognata è Stirpe Virago,
Pronaque nunc medicos Sponſa aditura toros.
Ipſe medetur Amor. ſunt dulcia, ſunt & amara
Pharmaca: at imparibus miſta ſubinde modis.
Hîc pia verba valent, ipſamque moventia Lunam
Carmina, ſed caſtis non aliena toris.
Multa licent oculis per mutua fœdera junctis,
Pinguior à tactu ſed Medicina venit.
Ille doſes medicas thalamo commendet inerti:
Nos ſcimus Medici plus valuiſſe doſes.
Credimus hoc Medici. teſtabitur exitus ingens,
Cùm vivam, reddet MARGARIS alma doſin.

AD

Virum Pl. Reverendum

M. MATTHIAM LOBETANTZIVM,

Menſe Majo, quo Sol Geminos obſidet,
ſecundùm Sponſum.

SIc geminæ coëunt gemino ſub ſidere tædæ,
Fitque unus geminis ille ſecundus Amor!
Præludit pulchris proles Ledæa Hymenæis
Pronubaque in veſtros ſuſcitat aſtra toros,

Aſtra

Aſtra ſerenato nubes pellentia cœlo,
    Aſtra procelloſo frena datura mari.
Hæc mentem veſtris animis illapſa ſerenant,
    Ac unum in geminis fomitem amoris alunt;
Ut qui per geminos Amor immigravit ocellos,
    Qui geminis teritur diripiturque labris,
Qui geminis (ignem ſenſim rapiente medullâ)
    Inque genis rubet his, in genibusque viret,
Qui geminas placidè ſemper circumſtrepit aures,
    Qui geminâ firmat fœdera ſancta manu,
Qui geminis, ceu orbe ſuo, conſtringitur ulnis,
    Qui gemina in medio pectore caſtra tenet,
Qui geminas omnes animo non duplice dotes
    Nutrit, & his fauſtum terque quaterque facit,
Omnia cum geminâ ducantur origine, tandem
    In geminum vobis perficiatur opus.
Ut gemini veſtros fratres teſtentur amores,
    Cum geminos iterum Sol premet Oebalidas,
Eque toris ſurgat novus his cum Caſtore Pollux,
    Nec ſoror huic abſit Tyndaris ipſa pari.

In Amores

Viri Nobiliſſ. & Clariſſimi

PETRI AXEN,

ET

Nobiliſſimæ Elegantiſſimæque Virginis

ANNÆ CATHARINÆ

Bojen.

QUi tot perdo miſer ſubinde chartas,
Ac ungues toties meos momordi,
Attrivi calamos, caputque ſcalpſi
Verna publicus, omniumque vates
Horarum ac hominum laborioſis
Mulctatus malè ſemper à Camœnis:
Et jam ſupplicio velut perenni
Tortus funereos laceſſo planctus:
Jam tot officiis mihi moleſtis
Ne quid deſiet, usque & usque cogor
Vectigalibus inſonare plectris:
Qui tot perdo dies ſubinde, qui tot
Bonis tam malè ſæpe fraudor horis,
Quid non AXENIO lubens volensque
Inſumam modò temporis Marito?
Quos non AXENIO meo lepores?
Quos non BOJENIAE novæ Maritæ
Spargam blanditias & illecebras,
Jocos improbulos venuſtulosque?
Quas non nequitias, ſed innocentes
Plenis fundat utrique Muſa buccis?
Et jam ſponte rotatur in minutos,
Tot inter ſatrapas novos, Amores,
Succuſſor mihi Pegaſus Phaleucos,
Omnes Caſtalio liquore ſparſos,
Omnes nectaris imbre delibutos,
Spirantes Veneres meras Phaleucos.

Ergo nunc veteres retunde curas,
Triſtibusque nimis nimis ſeveris
Nuncium bone nunc remitte Muſis
AXENI, Patriæ decus meumque,

Omni-

Omnium decus elegantiarum:
Ocelle ó Themidos, reconditarum,
Quas vel Hellas habet, vel ipſa Roma
Scrutator ſacer helluoque rerum.
Nil antiqua juvant novum Diones
Tironem, nihil exoleta rerum
Aut vocum virides movent amores,
Quos ſemper nova roborat juventus,
Sed ignava refrigerat ſenectus:
Majorum niſi more Tu Quiritum
Potenter, validè, pièque amare,
Quàm verniliter anxièque malis,
Nam Romana, nec hoc negante Româ,
Antiquis uti moribus ſtetit res,
Sic antiquo in amore more ſtat res,
Et fortuna domus, ſibique conſtat.
Antiquis ita moribus procaris,
Antiquis ita moribus jocaris,
Antiquis ita viribus maritum,
Antiquis agis artibus parentem,
Totamque in gremio tuæ puellæ
Et condis tibi poſſidesque Romam.
Hæc eſt Anna tibi Perenna, ſemper
Quæ novâ tibi prole ſignet annum.
Hæc annat tibi ſemper & perennat,
Hâc annas ſimul auſpice & perennas.
Cuſtos illa ſacri vocetur ignis,
Quem motis agitat ſubinde pennis
Alitum ſtudioſa gens Amorum.
Tu novus Cypridi piusque myſtes
Perennem in thalamis ſacrabis aram.
Hic tribunal erit tibi tuæque,

Quî cum jus tibi, Petre, dividundum eſt.
Hîc ludos veteres, novos celebrans,
Intactum nihil hîc nihilque inauſum
Linquis in veteris reductus ævi,
Dione pariter monente, ritus.
Hîc multas tibi lucubrare noctes,
Non noctes tamen Atticas, placebit;
Sed longas Aſiaticasque; quales
Non tua improbet Anna, tuque noctes.
Hîc ſagax thalamis tuis Magiſter
Adſit Naſo, triumvirique amorum,
Adſit Arbiter. Hîc ſodalis ipſe
Exercet Criticen novam Cupido,
Adverſariaque expedit, notatque
Voces, murmura, ſyllabas amantum,
Et ſuſpiria ſingulosque nutus
Interpres genuinus aucupatur.
Et ſuas habet ille ludus artes.
Heic inter tenebras tori, pudicæ
Commentator eris jocoſus Annæ,
Huc ô collige, confer, erudite,
Conjectanea Symbolasque, Sponſe.
Nec jam tu veteres libros, Latina
Exemplaria volvis atque Græca,
Luxatosque reponis arte ſenſus.
Unum comma tibi notetur, unum hoc,
Sed ſanum tamen integrumque comma
Interpungere ſi, marite, noſti,
Nil porrò tibi reſtat hic agendum,
Et dignus Critices novæ Magiſter,
Optimusque vocaberis Maritus.

Quid

Quid ergo nove nunc Marite ceſſas?
Et quid vota tuæ moraris Annæ?
Quæ pandis ſibi pondus optat ulnis,
Totque delicias ſibi petitas
Mente verſat & ebriis ocellis,
Quæque, ſpe modo temulenta tantâ,
Pii corripitur furoris æſtu.
Jam ſurdas Venus ipſa vellit aures,
Cunctantemque rapit, Cupidinumque
Te greges animant ſecutuleji,
Et jactis tacitis ſubinde telis
Per venas tibi dividunt venenum,
Teque blanda vocant ad arma Martem;

Ergo inſcende toros, patentibusque
Totum, quantus es, abde te lacertis.
Et pulchræ gremium occupa Puellæ.
Jam furvis tibi Nox amica pennis
Plaudit, & tenebræ tegunt fideles.
Heic tu nunc Veneri litas & Annæ,
Vel Annæ Veneri, novusque cunctas
Proteus Cypridos induis figuras.
Hæc novas movet incitatque flammas,
Dum Zonâ modò blandulè ſolutâ,
Veſteque inſidioſulè remotâ,
Omnem ſollicitas Maritus Annam,
Et rarum decus explicare quæris.
Jam tot oſcula totque, totque, totque
Attico medicatiora ſucco,
Et quem Sicaniæ dedêre cannæ,
Hibernis numeroſiora nimbis,
Et tortis penetrantiora telis,

Suis usque animoſiora flammis,
Et motis petulantiora linguis
Undiquaque ſonant, Jocique molles,
Suaves liticulæ, levesque queſtus,
Dulces lacrymulæ, brevesque riſus.
Totque murmura, balbulæque voces
Inſerpunt tacitis tori tenebris.
Tu tot illecebris inebriatus
Omnes, ô Bone, pervagaris artus,
Et totam tibi ferream, ferocem
Pulchris ſubjicis artibus puellam,
Perque brachia flexuoſa ſtrictis
Illigas animos utrinque vinclis.

At vos Hendecaſyllabi piorum
Teſtes atque ſatellites amorum,
Quos ſuo Venus ipſa rore tingit,
Metiturque ſuis Amor ſagittis,
Ite nunc volucres, meo ſalutem
Dicite Axenio, novæque nuptæ,
Ac irrepite præliis amantum.
Hîc ſemper mihi pruriente verſu
Novas delicias novi Mariti,
Novas illecebras novæ Maritæ,
Inter languidulos ciete luſus,
Perque pectora, per genas voluti,
Admorſique tot oſculis, & ipſis
Palpati manibus catullientes
Titillate ſalace dente venas,
Ut novis rapiantur usque flammis,
Ut novis animentur usque pugnis,
Ut tot inde minutuli ſequantur

Naſcan-

Naſcanturque novi ſubinde nati,
Quot, ô Sponſe, minutulos tuorum
Teſtes atque ſatellites amorum,
Quot ſcribo pumilos tibi Phaleucos.

In Nuptias

Viri Reverendi & Clariſſ.

JACOBI FABRICII.

FABRICII virtus celebrata Quiritibus olim:
Jactat FABRICIOS Cimbrica terra ſuos.
Ac velut ille animis, armis invictus & auro;
Sic ſacra magnanimos hos quoque Sparta tulit.
Heic quoque pugnandum eſt: nummus ſpernendus & aurum.
Hei mihi! quàm rari ſunt modò FABRICII!
Tu Cathedram thalamosque Nepos non denegeras, ægis
Quem ſua, quem virtus ornat avita, capis.
FABRICIUM cathedræ & thalamis frugalibus infer.
Frugalem, invictum Lectus & Ambo volunt:
E Cathedra ut populum doceat, thalamoque nepotes;
Ipſe Nepos Patriæ reddat avitus Avos.

LIBER III.

VENUS ALPHABETARIA.

Epithalamium
In Nuptias
Viri Pl. Reverendi & Clariſſimi
LAURENTII GUTZMERI,
Paſtor. Eccleſ. Cathedr. Raceburgenſis,
ET
Nobiliſſimæ Lectiſſimæque Virginis
HELENÆ zur Nedden.

Nob. & Ampliſſ. Viro

ADOLPHO FRIDERICO zur Nedden/ J.U.L.

Sereniſſimo Principi Meclenburgico à Secretis,
AMICO VETERI, ET OPTIMO,
Sponſæ Fratri.

EN, quod petebas, Carmen! En ipſum Librum!
Inuſitata quem mihi facunditas,
Et mira quædam luſuum felicitas,
Et profluentis ingenî velocitas,
Et iſta Nominis tui jucunditas,
Et iſta lucis optima feſtivitas,
Et oris iſta pervicax dicacitas,
Calamique non ſiſtentis improbus furor,
Et excitata mentis efferus calor
Tot ampliârunt verſibus, tot paginis.
Heic iſta panditur Cupidinis Schola.
Sponſo, Sorori panditur. Sed & Tibi.
Cælebs Amico Cælibi Vates ſuo
Commendat Artes, ipſe quas neſcit, novas:
Sed per piorum traditas Vatum manus;
Quas acta Muſis Delioque pectora
Non cogitatis prodidêre vocibus.
Mea nulla culpa eſt. Tu ſed ipſe videris,
An hæc profanâ ſacra tangas dexterâ.
Exoſa Cælibes Dea ſunt nomina,
Et Ales ipſe rejicit ludo puer,
Nî quis repente mutet hîc ſententiam,
Tu videris, Amice, quod Te denuò
Monebo, in ipſo Verba ſcripta limine:
ΟΥΔΕΙΣ (monemus) ΑΝΑΛΦΑΒΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ.

FOrtè Venus volucres dum conſidet inter Amores,
Queſta fuit regni damna vicesque ſui.
Jamque vocat ſegnes oditque Cupidinis arcus,
Ac artes damnat, queis fuit uſa, ſuas.
Jam mihi Doctorum ſurdeſcunt pectora: dixit;
Jam noſtrum nemo numen, ut antè, colit.
Ejuratur amor, ſterilis conſumitur annus,
Et triſtes abeunt & ſine nocte dies.
Nocte, meis fruſtra ſolidam quam vindico ſacris,
Quam Phœbea mihi gens malè juſta rapit.
Non ignes domuêre mei fera corda nec arcus:
Nam fallunt arcus excutiuntque faces.
Pulpita ſunt illis ſua propugnacula, ſuntque
Quos telis clypeos oppoſuêre libri.
Sic noſtras (memini) luſit GUIZMERIUS artes,
Telaque non audit debilitatque faces,
Hic mihi Caſtaliis exſtinxit fontibus ignes,
Frigidus & chartis concolor ipſe ſuis.
Ac velut æthereas laurus ſolet innuba flammas
Spernere, & irati tela triſulca Jovis:
Sic quoque cui nomen LAURENTI laurea fecit,
A telis tutum ſe putat eſſe meis.
Sæpe petebatur noſtris impunè ſagittis,
Eliſit vires nam ſacer ambo meas,
Ligneus hic quamvis, ut murus ahenous, obſtat,
Objecta eſt armis inſula ſæpe meis,
Jactaque ſæpe togæ, tamen irrita cuſpis adhæſit,
Implicuit laxo ſcilicet illa ſinu.

Sæpe etiam collum quæ lintea ſpiſſa coronant,
Spicula cancellis impediêre ſuis.
Ergo artes dediſce tuas, mea, Nate, poteſtas,
Non iſtis capitur doctior ille dolis.
Certa licet manus hæc, & arundo certior arcum
Audiat; hanc alio prævenit ille dolo.
Ergo ipſis irrepe libris & virus adhala,
Lectorem ut feriat litera lecta ſuum.
Jam teneros oculis fugientibus objice Vates,
Quique madent noſtro nectare trade libros.
Inque manus veniat tibi Naſo Magiſter amorum,
Hunc teras ſemper pervolvasque manu.
Mollibus his numeris pro fortibus utere telis.
Quid non blandiſoni Carminis eſca poteſt?
Cynthia prima ſuis olim quem cepit ocellis
Non abſit, nec cui Lesbia dicta fuit.
Nec cujus quondam non lecta impunè Tibulli
Carmina, quosque licet vix numerare, libri.
Hinc ipſis quas forte legit pia nomina chartis
Ingere, ut hæc faciant paginam utramque, vide.
Eliſabetha, Agnes, Catharina, Sibylla, Maria,
Barbara, Gertrudis, Urſula, Clara, Sara.
Adſit & Euphroſyne, ac in ſe revolubilis Anna.
Aſt HELENÆ nomen ſuavius ille putet.
Hanc amet, hanc poſtquam chartis invenit in iſtis,
Ipsâ in Vandalici Principis urbe petat.
Hanc forma videat virtute & ſtirpe decoram,
Protenus & viſam, te duce, lætus amet.
Tum ludo GUTMERUM HELENAMQ; docebis in (uno,
Ut capiant artis dogmata bella tuæ.
Tum varias voces linguamque docebis amantum,
Quæ tamen elinguis ſæpius eſſe ſolet.

Sæpe

Sæpe genæ, nutus, oculi digitique loquuntur,
 Et ſignant vocis muta elementa ſuæ.
Plurima ſunt illis, queis ſcribimus, omnia ſignis,
 Formetur pennâ litera ducta tuâ.
Illam (quod moneo) plumoſis extrahat alis,
 Inque uſus aptet dextera docta ſuos.
Quæque ſonat primum noſcatur litera, quæque
 Conſonat, has etiam jungere novit Amor.
Vox geminis una eſt, velut una in amore voluntas.
 Scilicet, ut ſonat hic; conſonat illa Viro.
Si quis AMO dixit; facile hæc quoque dicet AMABO,
 Diphthongos animos non in Amore fero.
Nunquam verte ſtylum, nullas admitte lituras.
 Mentibus inſcribi ſymbola pulchra volo.
Non his literulas tabulis oblitteret error,
 Nec dente erodant tempora ſæva ſuo.
Nocturnâ verſare manu verſare diurnâ,
 In noſtrâ quicquid diſcitur arte jube.
Lectio lecta placet, decies repetita placebit.
 Sic memori poterunt ſingula mente capi.
Quò tamen hæc animo figantur dicta fideli,
 Diſtinguat claſſes litera picta ſuas.
Scilicet hâc noſtri pateant velut indice ſenſus,
 Ut quæ ſunt vocis, ſint elementa tori.
Dixerat illa Venus, cum jam puer ales Amantum
 Ingrediturque lares, aggrediturque toros.
Hîc ipſa inſtituit ludum ingenioſus in aula,
 Ac HELENÆ præſens forte ibi Noſter erat.
Hîc juvenes inter reſidet Puer atque puellas,
 Et tenero inculcat blanda elementa gregi.
Ornat & Orbilii puerilem Virgula dextram,
 Virgula, Quam matri myrtus amica dedit.

Hâc aures quacunque poteſt deducere ſurdas.
Indociles ferulæ pœna parata manet.
Nam qui culturæ patientem haud commodat aurem,
Heu miſer heu cæſâ crimina pelle luit.
Dumque ſonant impacta trementi verbera tergo,
Verberibus jungit verba ſevera ſuis:
Diſcite connubium moniti & non temnere amores!
Diſcite, & hæc ſpretæ præmia ferte Deæ;
Nil tamen invita fieri vetat iſta Minerva,
Non invita Charis ſi ſit & alma Venus.
Acceſſit ludos HELENA & LAURENTIUS iſtos.
Duxerat incautos inſidioſa Venus.
Heic primum tectos cœcis inſpirat amores
Mentibus, ac animos non ſinit eſſe rudes.
Mutua jam geminant oculorum fulmina, jungunt
Oſcula, complexus præmeditantur, amant.
Jamque lubens eſt illa Cupidinis arte Magiſtri
Uſa, nec hic gratum ſprevit amoris opus.
Ac veluti pueris dant cruſtula blanda Magiſtri,
Diſcere ut è chartis prima elementa velint;
Nectareis cupidos ſolers invitat Amantes
Muneribus, ſegnes exacuitque moras.
Jamque inter medius geminos ſedet ille, noviſque
Artibus emollit, nec ſinit eſſe feros.
Nulla mora eſt, & jam vocis memorare figuras
Incipit, atque ſuas Doctor habere ſcholas.

A.

A*Lpha* ſit *Almus Amor*, rerum qui elementa maritat.
Quisquis *Amo* dixit, cuncta elementa tenet.
Alpha Aperit primum, quos Omega claudit Amores;
Sed medio jungit litera vincta ſono.

Omnia

Omnia non memoro vocis myſteria: magna
Magna ſub hâc Veneris voce Cabala latet.
A capite ad calcem LAURENTI totus Amator
Eſto, tuum quoque ſit, quod fuit Orbis opus.
A capite ad calcem nunc totam adamato puellam;
A capite ad calcem namque puella tua eſt.
Ergo *ut Ameris ama*; hæc *ut ametur amabilis* eſto.
Primum *Aditus* molles tenta, *Animosque* para.
Aude aliquid brevibus gyaris & carcere dignum,
Carcere, quem thalamus Virgoque bella dabit.
Audaces Amor ipſe juvat fortunaque Sponſos.
Heic *Artes* diſcas *Aucupiumque* novum,
Omniaque *Attenta*. Quid non attentet Amator?
Arctus in *Amplexus* eſto *Agilisque* novos.
Annulus in promtu Tibi ſit, qui firmet amores:
Accipe Tu, promtâ quæ dabit illa manu.
Jamque manus manibus junges benè labraque labris
Appones. bellè hæc omnia & *Appoſite*!
Adſidui vobis ſæpe Adſideatis Amantes;
Accubitum Adſiduus namque meretur Amor.
Tunc agere *Athletas* Vos, corcula pulchra, jubebo,
Cum Veneris Vobis eſt celebrandus *Agon*.

B.

B*Landimenta* para, queis exacuuntur amores;
Blandaque ſit facies, *Byſſina* verba Tibi.
Os blandum tenerumque aliquid *Balbutiat* aptè,
Blæſa puellarum pectora lingua movet.
Balnea ne deſint, quæ membra rigentia laxent.
Ipſa Venus, quibus eſt orta, lavatur aquis;
Balſama ne ceſſent, etiam his afflantur amores.
Auribus inſidias *Barbitos* icta ſtruat,

Bar-

Barbitos, ipſa tamen quæ ſæpe laceſſit amantum
Viſcera, Viſceribus dum ſonat illa ſuis.
Baſia ſpiſſa ſonent, & centum optaveris ora,
Ceu Vates, centum ut baſia ferre queas.
Queis ut centenos amplexus jungere poſſis,
Centimanus quoque nunc eſſe velis *Briareus.*
Baſia ſpiſſa ſonent, animæ ſugentia rores,
Baſia tot vicibus, tot geminata modis;
Baſia nectareo Mater quæ perpluit imbre:
Baſia, quæ tactâ preſſius aure ſonant:
Baſia, quæ mutum facunda loquuntur amorem,
Implectuntque ipſis verba vorantque labris.
Dic *Bona Verba*, ſed & factis decet eſſe *Benignum*,
Nec *Bene* dicta placent, ſed *Bene* facta juvant.
Si *Bene* quid facies, facias citò: Qui citò fecit
Bis fecit, neque fit ſat citò, quod *Bene* fit.
Summa eſt hæc *Bonitas*, quâ commendandus Amator,
Cum totum Sponſæ dividit ipſe Virum.
In ſolidum quivis tenet omnia, & omnia ſecum,
Ut vetus ille *Bias*, non rapienda vehit.

C.

C*Aje* para lectos, dabitur Tibi *Caja*, quid ultra?
Arbitrio ſtabit *Caja Cadet*que tuo.
Cauſando veſtros in longum ducere amores
Quid juvat? has ægrè fert *Cytherea* moras.
Ne *Ceſſa*, jam *Caſtra* vocant. jam *Callidus* arma
Conflictusque para, *Claſſica* grata *Cane*.
Ne Tibi *Corvinum* placeat *Cras*, Sponſe, ſed inſta.
Qui non eſt hodie, *Cras* minus aptus erit.
Incipe Damoeta: validos *Compone* lacertos,
Dimidium facti qui bene *Cœpit* habet.

Ne

Ne tamen in portâ titubet *Cantherius* ipſâ,
Subſidio Matris nunc Tibi *Ceſtus* erit.
Cœcus amor ſæpe eſt, eſt *Circumſpectus*, agitque
Multa *Cuniclorum* non minus inſidiis,
Et jam *Colludit*, jam *Certat Cernuus*, urget,
*Conciliat*que animos, *Conſolidat*que toros.
Circumvolvere nunc *Circum*que *Venire* licebit,
Circuitu Claudunt brachia cuncta ſuo.
Omnia *Conando* docilis ſolertia vincit:
Singula nec vobis commemorare queo.
Quisquis *Cautus* erit, facilè hæc quæ juncta *Cohærent*
Colligit, & pulchros *Cogitat* ipſe dolos.

D.

D*Ic cur hîc?* Monitum thalamis inſcribite veſtris.
Hoc memori ſemper volvere mente decet.
Dic cur hîc? ſomnos ut poſſis ducere inertes,
Demiſſisque cubes ſegnior auriculis?
Dic cur hîc? ludis ut tempus inutile perdas,
Et *Digito* in tenebris forte micare queas?
Dic cur hîc? thalamo ut veſtri tumulentur amores,
Frigeat & gelidis nox inamœna toris?
Dii meliora! Etenim Veneris *Dupondius* eſſe
Nec Tu, Sponſe, nec hæc tàm rudis eſſe velit.
Dic: Volo: *Duc* lectum: *Fac* ô Mea, *Fer*que Maritum.
Imperat illa brevi voce Magiſter Amor.
Sit *Dictum* factum, non eſt ſimulare *Decorum*.
Tuque *Deam* Sponſam *Dic Dominam*que tuam.
Dic Corclum, Veneremque voca, *Dic* ſemper Ocellum,
Deliciumque animæ *Dimidium*que tuæ.

De-

Demulce totam, *Deliba* dulcia Sponſæ
Oſcula, *Diſſimulat* nil generoſus Amor.
Multa *Docet* ſincerus Amor, *Demonſtrat* ad unguem
Omnia, *Diſtribuit* cuncta, ſoluta ligat.
Declinate toros, caſus flectendus in omnes
Eſt Amor, ex omni parte movendus Amor.
Dicta ſit hæc Tibi, Sponſe, *Dies*: ſeu *Debita* ſolvis
Jam tua; ſive toro cedis, ut ille foro.
Sed ſolves. Ut lux ſolventibus integra cedit;
Tota *Dies* ſponſo cedit & integra Nox.

E.

E*Xitus* acta probat: docet hîc docet *Exitus* ingens,
Quam fuerint forti prælia geſta manu.
Exemplo quoque conſtat Amor; relegantur amores,
Quos Vatum ſcripſit non peritura manus.
Hæc vos præclaros, reor, *Exſtimulabit* in auſus:
Hæc poterit ſegni ſubdere calcar *Equo*.
Ut tamen & rerum præſens vos adjuvet uſus,
Hunc *Exercitio* diſcite ſæpe novo.
O quam ſpiſſa iſti ſcribetur *Ephemeris* anno!
Spiſſior hæc, ſi nox juncta diebus erit.
Ne Te, Sponſe, tamen, ne Te quæſiveris *Extra*,
Poſtulat Excubias nunc torus ille Tuas.
Erige nunc animos, totumque *Extende* Maritum,
*Eximium*que aliquid perpetuumque para.
Euge Bene! acclamo, felix operare, nec unquam
Te Spes deſtituat ſegnior *Emeritum*.

F.

F*Ato* conſtat Amor, Fatisque volentibus Uxor
Ducitur, invitis non ea tracta fuit.
Fata viam inveniunt, noſter quà tenditur arcus,
Et *Fato* noſter conſolidatur Amor.

Jungite nunc *Flammas*, tacito jam fumigat æſtu
 Pectus, & eſt *Fumo* proxima *Flamma* ſuo.
Jam blandum *Fervebit* opus, ſed *Frigora* ceſſent,
 Frigora ſunt Veneri, ſunt inimica toris.
Jam *Firmate* Manus. *Fortes Fortuna* juvabit.
 Ferrea Formido pectora nulla premit.
Non ungues Sponſæ *Furor* arma miniſtrat aduncos:
 Sed magè grata Viro tela miniſtrat Amor.
Sponſe, *Fave* linguis placidamque exporrige *Frontem*,
 Et *Falcem* in meſſem mittere perge tuam.
Fœdera jam fiant, conceptaque *Formulæ* Amantes
 Obliget; arcanum ſed ſit Amoris opus.
Summa *Fides* celet, tacitæ quod dicitur auri.
 Fingere multa licet: *Fallere* ſæpe licet.
Fraus ſit honeſta tamen, non *Furta* vetantur Amorum.
 Baſia nulla magis quam bene rapta placent.
Tu quoque quid valeant humeri, quid *Ferre* recuſent,
 Sponſa, vide. Leve ſit, quod bene *Fertur* onus.
Nulla *Fatigatas Faciant Faſtidia* Noctes.
 Perpetuum veſtri *Faſcinum* Amoris erit.
Denique & hinc *Fructus* liciti carpentur Amoris,
 Fœcundumque dabit *Fœnus* amica Venus.

G.

G*Enua* virent, GUTZMERE, Tibi, dumque illa virebunt,
 Promptus ama, & Sponſæ dum rubuêre *Genæ*.
Scilicet in *Genibus* poſitus fuit ante Deorum;
 Nunc poſitus veſtris eſt Amor in *Genibus*.
Gliſcit & in tacitis *Gratiſſimus* ille medullis,
 Perque ſuos creſcit perficiturque *Gradus*.
Tu Veneris, *Gradive*, *Gradus* momentaque ſerva.
 Summus erit, præceps qui petit ima *Gradus*.

Nul-

Nullus Amor levis eſt, tantum deſcendere novit,
Semper & innatâ ſe *Gravitate* premit.
Conjugis in gremium deſcendit Jupiter: illum
E ſuperis Veneris pondus ad ima trahit.
Terra levis tumulo eſt, thalamus *Gravis* eſſe jubetur:
Ergo *Gravis* Sponſæ ſis; levis illa Tibi.
Si *Gravis* illa ſibi; Tibi *Gratior* illa futura eſt,
Nec levis inde Tibi *Gloria*, Sponſe, venit.
Ne ceſſa, *Glomera* amplexus, amplexibus inſta,
Nectatur nodus *Gordius* ille Tibi,
Non Martis *Gladio* nec Mortis falce ſecandus,
Hic Veneris *Gryphos* diſce doceque novos.
Heic nudo Sponſæ Tu *Gymnoſophiſta* perores
In *gremio*, aut pugnas *Gymnaſiarcha* pares.
Gignendi auſpicium *Genius* Tibi ritè vocatus,
Ne *Germana* abſint *Germina*, Sponſe, dabit.

H.

HOc *Age*: Præconis vox iſta Cupidinis aures
Perſonet: hæ noſtris ſint bona verba ſacris.
Hoc Age, Sponſe: Viros ſolers Amor odit inertes.
Ad thalamos artes & tua vota refer.
Hoc Age, Sponſa: tuas incide & deſtrue telas:
Texenda eſt alio ſtamine tela Tibi.
Hoc Age, Sponſe, libros & inanes abjice chartas,
Volvendus Codex nunc Tibi vivus erit.
Hoc Age, Sponſa, & acus & iniquas Palladis artes
Pone: nihil noſtrum qui labor ornat opus.
Hoc Age, Laurenti, ſemper Tibi pendeat *Hamus*,
Quæque illam capiat, grata ſit eſca Tibi.
Hoc Age, Sponſa, tuique audi Rectoris *Habenas*,
Inque animoſa lubens Oſcula ſemper *Hia*.

Hoc Age, Sponſa, Tibi jam grata ſupervenit *Hora*.
Hannibal ad portas! *Hoc Age*, Sponſa, veni,
Hoc Age, Sponſe, novos meditaberis *Hiſtrio* luſus.
Vibrat *Hymen* tædas, *Heſperus* ipſe vocat.
Hoc Age, Sponſa, HELENAMQVE ipſis amplexibus infer
Conjugis, ac *Helice* ſis per opaca Viro.
Hoc Age, Sponſe, ut agas: decies agere acta juvabit,
Hoc Age, Sponſa, ut agas & patiare libens.

I.

I*Licet!* ad thalamos loris potes *Ire* ſolutis,
Te *Jota* in thalamos litera longa vocat.
Litera longa meo non ignoranda clienti;
Litera non Helenæ diſſimulanda tuæ.
Iſtàque longa tuis Tibi litera *fiat in ulnis*:
Litera Tu Sponſæ longior eſſe velis.
Ilicet! en *Janus* Pater ipſe *Patulcius* adſtat,
Nec patulas claudit Cluſius ille fores.
Ilicet! aureolum novus hîc rape vellus *Jaſo*.
Ilicet! Ignotam pronus *Inito* viam.
Non hîc in ſcopulos *Impinges*, inque Charybdin,
Et Scyllam vobis *Incidet* acta ratis.
Ilicet! Imbelles nunc *Impiger incipe* pugnas,
Victor ut in thalamo ſtes jaceasque tuo.
Dulcia *Inexperto*, experto dulciſſima bella
Sunt ea, nec clades eſt metuenda Tibi.
Hîc clauſæ Te, Sponſe, vel *Impetus* inferet arci,
Sive per *Inſidias Inſinuare* potes.
Hîc *Idola* Tibi ſpirantia, viva trophæa,
Victori figet victa Puella ſuo.
Jurgia tum ceſſant, quamque *Intus* & in cute noſti
Imperium Virgo non inhibebit Heri.

Ceſ-

Ceſſet & *Ira:* novi niſi cotem dicere Amoris
Quis velit. *Inſtinctus Incitat* illa novos.
Indulge quoque, Sponſa. Virum *Indulgentia* fortem
Efficit, *Ignavum* Virgo coacta Virum.

K.

KAΠΠA KAKON noſtris plane exulet ex Elemen-
Ad Græcosque ſuos aut Garamantas eat. (tis,
Litera promeritas hæc ſignet Remmia frontes:
At frontes veſtras exaret ipſa Charis,
Non veſtros inviſa *Klumnia* vexet Amores.
Non timet innocuum nomina dira *Kput.*
KAΠΠA KAΛON noſtris non exulet ex Elementis,
Gaudia ſed vobis & bona multa ferat.
Sint in amore vices, & ament alterna *Kamœna,*
Nox vacet ut Veneri, Pieriſinque dies.
Per cunctas celebrate *Klata* comitia noctes.
Ipſe toris veſtris ipſe *Klator* ero.
Conſilia ipſa dabit *Kligo Klentia* noctis.
Tetricus haud turbet florida ſacra *Kto.*
Diſpoſtas vobis per tempora juſta *Klendas*
Computet & doctus *Klculo* ſignet Amor.
Cum magni incipient vobis procedere menſes,
Decurritque orbem jam Cypris alma ſuum.
Junoni ſacras ſi credimus eſſe *Klendas:*
Ipſa *Klendaris* Vos quoque Juno juvet.

L.

L*Ætitiæ* jam cuncta patent, proſcribite *Luctus.*
Improbus exeſto diſpereatque *Labor.*
Libertas jam ſera venit, reſpexit inertes.
Nunc etenim Vobis quod *Libet,* omne *Licet.*

Non tantum extremæ vobis ſunt *Linea* Amorum ;
Sed ſolidus thalamos firmat & unit Amor.
Ne Te pœniteat *Labiis* triviſſe *Labellum*
LAVRENTI, ſed jam *Largior* eſſe velis.
Jam digitos *Lauda* teretes, jam colla genasque,
Quæque *Latent Lauda*, vel meliora puta.
Jamque *Latus* firma, validos jam ſtringe *Lacertos*.
Præludat pugnis *Lingua* diſerta ſuis.
Hinc animos moveas *Logodædalus*, oſcula *Libes*.
Quâ via Te ducit *Lactea*, *Lætus* eas.
Pertenta *Latebras*, velo procede *Levato*.
Dulce eſt in *Lecto* deſipere inque *Loco*.
Hic *Locus* eſt, Teque iſta palæſtra requirit Athletam.
Sume mares animos, hîc decet eſſe Virum.
Nil cunctare, nec hîc cunctando reſtituas rem.
Hîc Fabius nemo & *Lentulus* eſſe poteſt.
Nil *Lacrymæ* Te Sponſa juvant. quid *Lumina* perdis?
Nec *Lædit*, tribuit ſed tuus ille ſuum.
Lucina at veſtros ſolabitur ipſa labores,
Et ſteriles vobis non ſinet eſſe *Lares*.

M.

M*Acte* animis! ô Sponſe, meis tibi ducitur Uxor
Auſpiciis, Noſtro crede *Magiſterio*.
Magnanimum decet eſſe Virum, *Marpeſia* cautes
Ne ſit, & in lecto ſit lapis ille ſuo.
Militiæ ſpecies Amor eſt, diſcedite ſegnes,
Tu fortis nova nunc *Miles* ad arma veni.
Miles ad arma veni, *Magnum* & *Memorabile* nomen
Femineâ in pugna eſt, nec leve, crede, decus.
Tum Conjux mihi dignus eris, & *Magnus* Apollo,
Phyllidaque hanc ſolus dignus habere tuam.

Jam-

Jamque novâ Veneri *Mirmillo* placebis in arte,
    Cum ſtringent Sponſæ retia jacta latus.
Mobilis eſſe velis. Sit *Mobilis* illa; *Movendo*
    Quicquid in hoc genitum eſt orbe operatur Amor.
Ille movet cœlos rerumque per intima lapſus
    Fœcundâ miſcet ſemina cuncta manu.
In tenebris oculata *Manus* ſit: pervia cuncta
    Sint Tibi. *Majorum more* potenter ama.
Sed monitum ſerves: *Medio* tutisſimus ibis,
    Ne Tu diverſas hîc *Meditare* vias.
Hos aditus *Molles* olim *Meminiſſe* juvabit,
    Cum *Matrem* poteris, Sponſe, vocare novam.
Tum tibi tum felix & docta vocabitur Uxor,
    Quæ pulchrè nôrit *Multiplicare* Virum.

N.

NE *Quid*, Sponſe, *Nimis*. Sunt certi denique fines,
    Quos intra Virtus hîc ſua quemque tenet.
Ne Quid, Sponſe, *Nimis*. Non omnia poſſumus omnes.
    Omnia ſi perdis, prodige, pauper eris.
Extremâ Tibi ne Spes pyxidos avolet orâ:
    Sera eſt in fundo parcior illa manus.
Ne quid, Sponſe, *Nimis*: Si ſemper fulmina mittat
    Jupiter, exiguo tempore inermis erit.
Ne Quid, Sponſa, *Nimis*. omnis non omnia tellus
    Fert; ſed & hîc *Nimium* vertitur in vitium.
Ne Quid, Sponſa, *Nimis*. *Nimio* Sole arva fatiſcunt.
    Suffocat *Nimius* ſed ſata læta liquor.
Ne Quid, Sponſe, *Minus*. neque dum Tu prodigus eſſe
    Neſcis, Euclio vel Trico triparcus eris.
Ne Quid, Sponſe *Minus*. Medium tenuêre beati.
    Ne Tu ne *Nimium* da, *Nimiumque Nega*.

E cœlo in thalamum deſcendit ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ:
Hîc quoque *Se* Virtus *Noſcere* magna fuit.
Ne tu littus ara, aut corvos dum ludit hiantes,
Ut Canis è *Nilo* baſia ſumma bibas.
Tu nihil invitâ tentes faciasve Maritâ.
Ad Dominæ *Nutus* omnia verte tuæ.
Tuque nec in calido *Niobe* ſis ſaxea lecto,
Teque vel amplexu ſubtrahe, Sponſa, pio.
Ne pro Junone hîc lapidem *Nubemve* prehendat,
Diſcerpantque leves irrita vota *Noti*.
Ne ſitis *Numeri*, & fruges conſumere nati,
In Numeros iterum creſcat uterque *Novos*.
Pauperis eſt *Numerare* pecus, *Numerate Nepotes*,
Quot numerat cœlum ſidera, ſylva feras.

O.

OTia ne tollas, noſter ne langueat arcus,
Otia nam noſtras, Sponſe, vocabo Scholas.
Et jam Diva Paphi vobis hæc *Otia* fecit.
Feſtivas noctes nunc agite atque dies.
Ludus erit labor hic, & dum labor actus in *Orbem*
Ille redit, vobis commoda multa feret.
Hoc Opus, hîc labor eſt! ludo eſto operoſus in iſto,
Nec perdas *Oleum*, Sponſe, *Operamque* tuam.
Ceu *Opera* atque dies Vates præſcripſit ab Aſcrâ,
Vos *Opera* & noctes diſtribuiſſe velim.
Sique capillata eſt *Occaſio*, Sponſe, prehende,
Incautas fallat ne tibi calva manus.
Obline baſiolis & dictus mollibus *Ora*.
Obteſtare fidem ſervitiumque tuum.
Obſequere. *Obſequium* parit & tibi ſervat amicam,
Fingere ſi deſint *Omina* multa licet.

Oppor-

Opportuna tuos diſtinguant *Oſcula* luſus,
Facque tuum variis artibus *Officium*.
Obſerva vultus, *Oculisſimaque* ipſa vocetur.
Arctè cingenda eſt *Obſidione* Tibi.
Obrepe inſidiis, precibusque *Obtunde* ſeveris,
Occupet ut tandem pectora Victor Amor.
Omnia vincit Amor. quid enim non vinceret ille?
Omnia perrumpit, ſubjicit ille ſibi.

P.

P*Ande* toros Genetrix, *Procul Hinc Procul Eſte Profani !*
Ecce *Patent* vobis omnia, adite toros!
Hoc *Pretium* virtutis erit *Prognataque* vobis
Gaudia nulla dies & mala nulla prement.
I celer I! tua te *Patulis* Helene excipit ulnis,
Sponſe, nec injuſtas *Protrahe* porrò moras.
I celer & felix *Præſentibus* utere rebus,
Tempora ut eſſe Tibi fauſta futura queant.
Incidit ecce tuos delapſum ex æthere lectos
Palladium ſancti Spesque Salusque tori.
Palma datur, ſed quæ tua *Pondera* ferre præoptat,
Hæc oneri jacet hic ſuccubitura tuo.
Quam fœcunda Tibi *Promittitur* inde *Propago*?
Quam Tibi erunt caſti *Pignora* multa tori!
Ergo *Para* jam, Sponſe, tuæ Te *Promere* Sponſæ:
Pareat ut *Promptò Promptius* illa Viro.
Denique ſic curabis, ut illa *Puerpera* tandem,
Te *Pulchra* faciat *Prole* ſubinde *Patrem*.

Q.

Q*Uo* Te quo Cytherèa trahit retrahitque ſequaris,
Quicquid id eſt, motus ne preme, Sponſe, pios.

Quid Quæris? ſi forma haud *Quotidiana* petatur,
Quantivis pretii nunc Tibi forma datur.
Quid Quæris? pulchras in pulchro corpore dotes?
Ad mores *Quadrat* quâm bene Sponſa tuos!
Seu *Quadrata* Tibi; ſeu ſit teres atque rotunda
Virtus, appoſitè *Quadrat* & illa Tibi.
Quantus Quantus eris, totus nunc eſto Maritus.
Inſula jam *Qualo* ſupplicet ipſa ſuo.
Exclamat Vates: *Quantum* eſt in Rebus inane!
Triſte tamen Vacuum non alat ille torus.
Junonique tuæ ſemper Jovis omnia plena
Sint, & fæcundis ſit domus aucta bonis.
Quantus es, in pugnas & dulcia bella feraris,
Quaſſanda eſt iſta Pelias haſta manu.
Hic gratas Helenæ volupe eſt audire *Querelas*.
Qua Queritur, quod vel *Quærere* ſponte velit.
Nulla *Quies* thalamo eſt. Movet omnia amatq; moveri
Intima qui nobis viſcera carpit Amor.
Deſinit omnis Amor, cum molliter oſſa *Quieſcunt*.
Quisquis amas, motus dum Tibi reſtat, ama.
Quod ſupereſt, parvos vobis ſupereſſe *Quirites*
Exopto, ut ſemper prole ſit aucta domus.
Si fiunt tamen hæc, (ſed fient illa *Quotannis*)
His debet meritis *Querna* corona dari.

R.

R*Es* agitur tua, Sponſe, ad *Res* attentior in *Rem*
Præſentem tu nunc, ut decet, ire potes.
Jam Tibi jam ſumma eſt *Rerum* conceſſa poteſtas,
Eſtque Status *Ratio* non aliena toro.
En Tibi ſubjicitur *Rerum* pulcherrima Sponſa.
Heic pro *Re* nata, *Res* gere, Sponſe, tuas.

Regnat

Regnat Amor, ſunt & thalamis ſua ſceptra, ſuæque
Sunt leges, ſua queîs colla ſupinat amans.
Clauditur exiguâ Majeſtas arctior aulâ.
Scilicet aula magis, quo magis arcta placet.
Rex eſto Gutzmere; ſed hæc *Regina*, ſimulque
Et tuus atque tori ſit thronus illa tui.
Quæ Tibi nonnunquam Domina eſt, mox ſubdita fiet.
Parcere ſubjectæ Tu quoque, Sponſe, cave.
Res privata Tibi regitur; *Respublica* non eſt,
Quàm tegit arcani ſpiſſior umbra tori.
Communes geminis Res ſunt, neque ſolus habeto
Res Tibi, Sponſe, tuas, ſolaque Sponſa, tuas.
Rem meminit ſi quisque ſuam, dum *Res* feret illa,
Res age, Sponſe, tuas, *Res* age, Sponſa, tuas.
Sed tamen haud geminam *Rem* vos agitatis, at unam.
Nil abs *Re*, præter *Rem* neque debet agi.
Sit *Res* lauta domi, ſit nullum in *Rebus* inane;
Nec dum friget Amor, *Res* ubi magna domi eſt.
Ipſe etiam auget Amor *Res* & concordia parvas.
Recula quæ fuerat, *Res* erit ampla brevi.
Abdita *Res* Amor eſt, quam *Res* tamen ipſa loquetur;
Sponſe, tamen tanges *Rem*, niſi fallor, acu.

S.

ST! *Samii* Vobis impono *Silentia* Ludi.
Nam regitur nutu non malè mutus Amor.
Nic clamatus Hylas vel *Stentoris* ora juvabunt.
Arbiter hîc abſit, nox taciturna tegat.
Scilitet hîc tacitam doctiſſimus Hiſtrio *Scenam*
Sponſe, velut quondam Roſcius egit, ages.
Huic *Scenæ Servire* decet; ſed *Sibila* ſola,
Sola monent grato murmura preſſa ſono.

Ede breves gemitus, *Suſpiria. Sat Sapienti!*
Hæc factis *Schola* non vocibus iſta docet.
Et jam Sponſe *Sapis*, *Sapit* & tua Sponſa, Tibique
Submittet placidum ſponte *Supercilium*.
Nil *Subterfugiet*. grato *Subſcribet* Amori,
Secretis & erit *Senſibus* illa *Sequax*.
Ne *Simula*, Sponſa, aut *Scrutantem* multa repelle,
Semper at argutos excipe prima *Sales*.
Improbulas tacitam voces Tu ſemper in aurem
Suggere, & amplexus nîl remorata *Subi*.
Vos per continuas conferte heic *Symbola* noctes,
Sontica ni gratum cauſa moretur opus.
Non *Saties* capiat, donec vivumque vidensque
Sæpius hinc *Specimen* tempora ſera ferent.

T.

T*Ollite Theta* nigrum, veſtris nec Amoribus illud
Figite, tollatur ne quoque veſter Amor.
Triſtia non veſtro, non ſint mala *Tædia* lecto,
Non in Amore *Timor*, non in amore *Tepor*.
Non ſit *Tardus* Amor, nec Tu ſis *Tardus* Amator;
Tergiverſatrix eſſe ſed illa poteſt.
Sint omnes procul hinc *Turbæ* nullisque malorum
Turbinibus veſter corripiatur Amor.
Sit procul hinc *Terror*, *Truculentia*, ſæva *Tyrannis*,
Et *Tetricum* quicquid nomen & omen habet.
Turpe nihil ſubſit, nec amaræ *Toxica* linguæ
Infeſtent veſtros inficiantque lares.
Nec malè compoſitus inimicus *Torpor* in artus
Sæviat, aut quatiat *Tuſſis* anhela latus.
Nil *Titubet*, *Truncumque* nihil ſit; nulla *Tumultus*
Prodat Eris, virus vel ferat illa ſuum.

Deni-

Denique nec veſtros citior diſcindat Amores
Terminus. à tumulis eſt procul omnis Amor.
Tollite Theta, (cruces nec enim ſibi figet Amator)
Et cognata nigrum *Tartara Theta* petat.

V.

V *Eniſti*, Sponſe, & *Vidiſti*, nunc quoque *Vinces*,
Et *Victas* Helenæ mox dabis ipſe manus.
En Divina datur tibi *Virgula*, quam Tibi, Sponſe,
Arbore felici carpſit amica *Venus*.
Hanc cape, quâ ſegnem potes expugnare puellam.
Hâc tibi tacta ungues ponet acusque ſuas.
Vivite felices, meditataque *Vincite Vota*,
Veſper adeſt, vobis jam *Venit* ipſa *Venus*.
Jam Venas agitat. Plus *Ultra*. Collige *Vires*.
In lectum Te jam *Veſcula Virgo* vocat.
Si deſint *Vires*, non eſt laudanda *Voluntas*.
Non hîc, Sponſe, logos & mera *Verba* dabis.
Non hîc pro facto eſt vel pro ratione *Voluntas*.
Non *Volviſſe* ſat eſt, nec *Voluiſſe* ſat eſt.
Omnes Te in partes *Volvas Vigil* atque revolvas:
Jam *Te Vertumnum* jam tenet illa ſuum.
Multa novum faciat Veneris *Vertigo* Quiritem:
Ne *Viduus* maneat, qui fuit antè torus.
Denique ſic cures thalamos, ſic omnia *Vertas*,
Ut *Ventente* anno non malè *Vertat* Amor.

X.

X procul hinc & Theta! cruces mala litera format
Utraq;. Græcum ad Π vel malam abite crucem!
Scilicet illa ſono *Xantippes* proferat aſpro,
Quæ figunt animis corporibusque cruces.

Aſt Helenæ Nomen molles adſpirat amores,
Atque animos liquido mulcet agitque ſono.

Υ.

Υψιλὸν vitæ mortalis imago vocatur.
Conjugii ſpecies hîc quoque viva patet.
Scilicet ut duplicem diſcrimine ſecta bicorni
Litera Pythagoræ ſignat adunca viam,
Quarum dextra quidem eſt erecta ; ſed altera præceps:
Sic quoque præcipitat, ſic quoque tollit Amor.
Te ſtabilis dextrâ Fortuna in ſede locavit,
Præcipites alios unde videre queas.

Z.

ZONA Tibi ſolvenda : nihil jam *reſtat. id unum* eſt,
Quod volo, Sponſe, Vale. Tu quoque, Sponſa, Vale.

* * *

EPIGRAMMA AD SPONSUM.

ABducens Helenam Spartâ Phryx Paſtor amatam
Exitium Patriæ ſtruxerat inde ſuæ:
Tu non è Sparta Paſtor ſacer abripis illam,
Aſt Helenam in ſpartam ducis, AMICE, ſacram,
Ergo Helenam Spartamque tuam ; quam nactus es, orna.
Ornant Paſtorem Sparta Heleneque ſuum.

In

In Amores
Viri Nobil. & Clariſſ.
HENRICI OPITII,
Græcar. Literar. Profeſſ.
&
Nobil. Lectisſimæque Virginis,
DOROTHEÆ ELISABETÆ
Dögens.

SIc tuis thalamis, ô Alpha Amantum,
Abſit Theta nigrum malumque Kappa!
Mitte nunc Elementa Græca, mitte
Exemplaria, Sponſe, Græca, quæ Tu
Nocturnâ ſubigis manu & diurnâ.
Nova hîc naſcitur Ilias bonorum.
Novâ hîc panditur in ſinu Puellæ,
Sed quæ jam melius placebit, Hellas,
Et nunc Græca Venus, Charisque Græca
Totum Te ſibi poſtulant alumnum.
E Græcis Venus eſt & ore Græco
Arridet Tibi, jam Suo, atque Græco,
Gentiles & habes Deos Amores,
Gentiles & habes Deas Camœnas.
Si felicibus inquilina Grajis
Ore Muſa dedit loqui rotundo;
Et nunc Muſa Venusque Graja, Sponſe,
Ore figere Te docet rotundo
Grajis baſia delibuta ſuccis,
Quos vel Phocis alit, vel Attis halat
Vatum delicias, Apum labores.
Amplexus docet unculos, rotundos:

Totum

Totum Te teretem & facit rotundum:
Hanc totam teretem & facit rotundam.
Nunc ergo, ô bone, nunc memento Sponſe
Græcos ſpargere & Atticos lepores,
Et totas Veneri ſacrare noctes,
Colludet tepido ſubinde lecto,
Alludet lepido ſubinde plauſu
Veſtris Græculus his Amor ſuſurris,
Et quod neſcit uterque, nunc docebit
Curtis noctibus Atticè jocari.
Sed Tu, Sponſe, nec abnuente Sponsâ,
Iſtis ebrius, ô Bone, illecebris
Mavis nunc Aſiaticè jocari,
Longas nectere jam moras amorum,
Nunc longos iterare ſæpè amores,
Longa baſia, pluſculosque morſus,
Riſus, murmura, vellicationes,
Amplexusque reciprocos & arctos,
Et, Græcæ quod & artis eſt, in iſtis
Græcari novus helluo illecebris,
Totasque in thalamo, in ſinu Puellæ
Pergræcarier usque & usque noctes,
Pergræcarier usque & usque luces.

IN NVPTIAS
SALLERO - STAHLIANAS
Circa ipſum Solſtitii tempus celebratas.

Dum nunc ſiderei tetigit ſpatia ultima Circi,
Et ſummo Solis ſiſtitur axe labor,

Mutandi ſtat certa ſtatus ſententia, habetque
Nunc, SALLERE, ſuum ſors tua ſolſtitium.
Et bona Juno tibi, & rerum ſtator iſte tuarum
Inſidiis, telis, ignibus inſtat Amor.
Jam ſtabilis ſtabili fortuna paratur amore,
Dum ſtabilit thalamos STAHLIA pulchra tuos.
Heic tecum mollem per ferrea ſecula vitam
Ducet, & in chalybe hoc aurea ſecla feres.
Heic ſtativa Venus tibi caſtra parabit, ut illâ
Pervigil excubias in ſtatione geras.
Fallor an ipſe tuos Phœbus ſpeculatus amores
Se propiore tuis ingerit igne toris,
Et faciet, quoniam ſi credimus iſta Lycéo)
Sol & homo blandum format amoris opus,
Plenior ille tuis præſens miſcebitur oſclis
Et quæ tu rapies, baſia & ipſe feret,
Et medius veſtris amplexibus illabetur,
Et ſi quod reſtat, dulce patrabit opus.
Sic volet æſtivis tædas accendere flammis,
Et rivalis erit, qui fuit ante pater.
Sed quoque majores, quò ſtat ſublimior, ignes
Subdet & ignavum non ſinet eſſe latus.
Noctibus excutiet quæ forſan frigora reſtant,
Fitque per hunc cerâ mollior ille Chalybs,
Hoc ita ſtante, toros firmet Venus optima veſtros,
Quò perſtet veſter, quò ſibi conſtet amor!
Stat medio Sol ille die: verum incipit inde
Solſtitium mediâ ducere nocte Venus.
Et tibi jam veſper noxque inſtat opaca. Quid obſtat,
Quo minus hâc acie ſtes Vir, & illa cadat?
Et jam tempus erit geminæ te tradere Sponſæ.
Fortuna heic pandit STAHLIAQVE iſta ſinus.

Quam bene res ſtabunt cedentque negotia, Sponſi
Si Fortuna ſtet à partibus, illa cubet.

In Amores
Reverendi & Cl. Viri
CHRISTOPHORI Stämmen/
Paſtoris Wabſenſis,
&
Lectiſſimæ, Elegantiſſimæque Virginis
MARGAR. DOROTHEÆ MOSINGÆ.
*
* *
Ad Sponſum
In Literis ſuis rura ſua Carmine meo non indigna vocantem.

Rus ergo me, Sponſe, vocas & ut ipſe jocaris,
Non indigna meo Carmine rura putas.
Cur indigna putes? habitârunt Dii quoque ſylvas,
Ipſeque Theſſalicum pavit Apollo pecus.
Non urbes amat atque domos ſacer ordo ſororum;
Sed mons, & nemus, & flumina nota placent.
Non indigna tuis ſi credis amoribus illa;
Cur indigna meo carmine, Sponſe, putas?
Non ſordent mihi rura, ſed ipſe ſubinde remiſſus
Rusticor & peregrè Carmina Vatis eunt.
Et mea jam, STEMMI, quam prodigus ipſe vocâſti,
Inviſit thalamos ruſtica Muſa tuos.
Agreſtem tenui meditatur arundine cantum,
Et calamis, tua quos rura dedêre, ſonat.
Non ingrata tamen canit, aut indigna; ſed ipſos
Prædicat agreſtes exhilaratque toros.

Scili-

Scilicet apta toris, STEMMI, tua rura vocabo,
In mediiſque places bellus amator agris.
Non tibi vulgaris, non forma domeſtica riſit:
Namque tenet nullas urbs inamœna Deas.
Sunt Nymphæ faciles, & habent ſua numina ſylvæ.
Dignius hæc, ſi quis malit, Amator amet.
Per medios inventa fuit Peneia Daphne,
Quam Phœbus toties ipſe petebat, agros.
Jupiter ipſe ſuos in ſylvis quærit amores.
Non urbes temerè vel loca clauſa ſubit.
Plurimus hîc iſtis intervenit arbiter auſis.
Liberiore magis ſub Jove ridet amor.
Primus homo aggeſto thalamos ſibi ceſpite ſtruxit,
Dulceque Naturâ teſte peregit opus.
Sic ætas quondam Saturnia junxit Amantes,
Queis ſtravêre vagos obvia rura toros.
Scilicet illa tuis quæ nunc illabitur ulnis
Nympha fuit, thalamis & Dea digna tuis.
Hanc Tu Daphnis ames. Præludit amoribus illis,
Gratatur que tibi ruris imago tui.
Ipſi te fontes ipſa hæc arbuſta ſalutant,
Auguriumque tibi garrula cantat avis.
Ipſa tuis Veneris creſcit tibi myrtus in agris,
Nec noſtra plecti debuit illa manu.
Pan cuſtos ovium gracili tibi ludit avenâ,
Et pinu cincti tempora ſemicapri.
Jam Dryades Tibi jam glomerantur Oreades: ipſa
Officioſa Tibi carmina balat ovis.
Dumque meus tua nunc per paſcua Pegaſus hinnit,
Ipſe quoque his thalamis creber adhinnit equus.
Forſitan & tenui ſcribat nova cortice Paſtor
Nomina, &, ô dicat, creſcite, noſter amor.

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi
Creſcite, & ignavas hinc removete moras.
Forſan & ipſa iterum quercus vocalis amori
Accinat & ſpiret lenior aura tuo.
Ipſa Pales flores & amicas congeret herbas,
Quasque nuces ſparges, hortulus ipſe dabit.
Scilicet hic muti præeunt in amore Magiſtri.
Ipſaque jam Veneris Rus Schola, crede, Tibi eſt.
Hic Te primus equis oriens ſol afflat anhelis,
Suſpenditque toris lumina Luna tuis.
Conjugis in gremium hic deſcendit Jupiter: unde
Exemplum veſter ſumere poſſit amor.
Ambulat hic ſolâ ſolus cum Phyllide Thyrſis,
Et Sponſæ figit baſia ſpiſſa ſuæ.
Omnia cum rident, cum formoſiſſimus annus,
Tu Veneri ride non minus ipſe tuæ.
Cum flores delibat apis, tu dulcia liba
Oſcula & ex ipſis confice mella labris.
Cum graciles nutant in mutua verbera rami,
Induit & vites ulmus amica ſuas,
Arctaque connectunt hederæ ſua brachia, diſces
Metiri amplexu brachia pulchra tuo.
Cum ſua pugnaces abeunt in prælia Galli,
Atque Ducem ſequitur læta Capella ſuum,
Cumque ſalax prurit repetita in gaudia Paſſer,
Roſtraque cum Paphias jungere cernis aves?
Hæc præcepta tuis præſcribunt ſingula tædis.
Ad leges formant te tua rura ſuas.
Cum Tellus vario pubeſcit Dædala flore:
Sic pictas Sponſæ Tu quoque crede genas.
Cum venit Autumnus pomis fœcundus & uvis:
Poma, botros iſtos crede tenere ſinus.

Cum

Cum metiris agros, iſtum ne negligе fundum:
  Vel digitus vel pes exigat omne latus.
Heic tumidi colles; ibi depreſſæ convalles,
  Heic vocat ad numeros regula plana ſuos.
Cum ſubigis facilem ſplendenti vomere terram:
  Ille novus, videas, ne ſterileſcat ager.
Hunc etiam aſſiduis agrum inſectabere raſtris,
  Ut tibi naſcatur plurima ſæpe ſeges.
Ac velut Agricolis redit hic labor actus in orbem,
  Sic eat iſte Tibi nunc redeatque labor.
Ne ceſſa. nulla eſt inaratæ gratia terræ.
  Quisquis amator eris, ſemper arator eris.
Cumque ſuos falces jam mittet meſſor in agros,
  In meſſem falces tu quoque mitte tuam;
Ut tibi fœcundæ Veneris ſint horrea cunæ,
  Inque novas ſemper ſpes animetur ager.
Jam Natura præit, quæ ſulcis ſemina mandat,
  Ut Segetes æſtas det reditura novas.
Tu ſequere, ô STEMMI, quâ te veſtigia ducunt
  Illa, nec æſtivum tum tibi deerit opus.
Invitat genialis hyems, ignava colono,
  Scilicet illa tamen non peragenda tibi eſt.
Non & agrum Boreæ penetrabile frigus aduret.
  Sirius æternas ventilet ipſe faces.
Huic adſcriptus eris glebæ, dum fata Deusque
  Non ſolvent, curvâ mors neque falce metet.
Singula quid memorem? formant Te Rura Maritum.
  Quam bene digna tuo carmina rure damus!
Quam bene rus ſapimus, STEMMI! mea Muſa tuusque
  Hoc Amor argutæ Ruſticitatis habet.

Ad

Virum Præſtantiſſimum Doctiſſimumque

PAVLVM ERICI,

Notarium Cæſ. Publicum,

&

Virginem Lectiſſimam

CATHARINAM Büllen/

Sponſos.

SCripſiſſe teſtes veritatis literas,
Feciſſe publicam negotiis fidem,
Seu illa pactis orta, ſive litibus,
Hæc, ô ERICE, muneris res eſt tui.
Quàm nunc eandem Sponſus artem exerceas,
Teſtamur omnes, Tuque non negaveris.
Volumen ecce! panditur novum Tibi,
Quod uncialibus notandum literis.
Heic primus Aſbi, ERICE, corruptor tui
Arare chartam diſce ſolers Virginem,
Memores Notator imprimens ei notas;
Ut Te notantem connotantem plurima
Laudare nos quidem queamus Publicum;
Puella privatum probet Notarium.

IN NVPTIAS MEDICI.

Amici nomine ſcriptum.

QUi Medicam exerces feliciter hactenus artem,
Ac Helenam fauſto ſidere Sponſus amas,
Nil agis inſoliti, pars hæc eſt muneris, & quod
Egiſti Medicus, nunc quoque Amator ages.

Et jam, Sponſe, tuos, votis quam ſæpe petebas,
Nunc adit ipſa Salus ipſaque Hygeia toros.
Hæc Helena eſt, Medico proles quæ nata parente
Blanda ſalutiferam nunc Tibi præſtat opem.
Morbus Amor, Medicina Tibi eſt, Helenæq; mederis,
Illa Tibi (quid Amor neſcit?) uterque ſibi.
Fervent continuæ verum ſine frigore noctes,
Vulnera ſunt, telis quæ ferienda novis.
Mellifluis Helene fundit Tibi pharmaca labris,
Baſia, quæ grato perpluit imbre Venus.
Heic Verba & tacito lenſe inſerpentia lecto
Murmura Theſſalici carminis inſtar erunt.
Vivite par Medicum! per Vos Phœbea propago
Vivet, & hoc Medicæ non minus artis opus.
Adverſus mortem telis hæc pugnet avitis.
Victrices morbis & ferat usque manus.
Vivite Par Medicum! Nam ſic (non Sponſa negârit,
Non Sponſus) Medicè vivere, amare bonum eſt.

AD

Virum Integerrimum ſpectatæque fidei Mercatorem

LAVRENTIUM Tückſen/

&

CHRISTINAM SOPHIAM TRIBBECHOVIAM,

Sponſos.

DUm ruit in Venerem rerum natura ſinusque,
Explicat immerſo Veſta rigata Jovi.

Atque Dionæus felici ſidere menſis
Fulget, adit veſtros Cypris amica toros,
Et Tibi, Sponſe, novus; primus Tibi naſcitur ignis,
Sponſa, Viri viduum non fugitura latus.
Jamq; novam thalamus vocat hic te, Sponſa, maritam.
Ipſeque Amor merces fundit utrique ſuas.
Nam quod barbaricis expreſſum nobile cannis
Sponſus habet, cupidis allinit ille labris.
Dulcius huic nectar pharetrati Mater Amoris
Miſcet & Hybleis imbuis ora favis,
Et totas Cilicum redolent pia baſia meſſes,
Totque per Eoum germina nata ſolum.
Si poſcat ſibi vota, ſuas modò Sponſus acerras
Impleat, atque ſuo thure Marita litet.
Qui poterat flores, vobis modò cruſtula ſpargit,
Deliciiſque novis ſemper ineſcat Hymen;
Sint dulces in amore dies, ſint mollia vitæ
Tempora, & usque ſuo nectare ſparſa Venus.
Exulet hîc mordax, rupes quod rumpat acetum;
Bilis amara; pius ne ſit amaror Amor.

AD

ALEXANDRUM ZESCHIUM,

poſt collatos honores Philoſophicos Nuptias celebraturum.

SIc triplici fortuna gradu Tibi ſurgit, & omnes
Abſolvet numeros, & decus omne dabit.
Inſula nam ſanctos primùm Tibi ſignat honores:
Nunc premit hoc, ZESCHI, noſtra tiara caput.
Mox Tibi, credo, novos pariet novus annus amores,
Et tituli partem Sponſa habitura tui eſt.

Quin

Quin dabit ipſa Tibi titulum nova nupta Mariti,
 Tuque novo thalami jure Magiſter eris.
Macte tuis, ZESCHI, titulis! augeberis usque
 Hinc titulis anno Tu redeunte novis.
Sic Titulis thalamum & cunas ſpirantibus imple:
 Uxori titulos da: dabit illa Tibi.
Si titulis certas; titulis ſuccumbimus iſtis.
 Judice me titulos vincit honoris amor.

In Nuptias

ERICI MAURITII, JCti,

al. nom. ſcr.

CYpri fave, tuus auſpiciis felibus intrat
 MAURITIUS fato non renuente toros.
Sit procul his Aſtræa Sacris, & tetrica Pallas.
 Non facit ad noſtros illa vel illa lares.
Sat roſtris Themidique datum, procul eſto ſevera
 Aſtræa & tricæ Triboniane tuæ.
Codice jam miſſo Sponſo nova jura reſurgant,
 Quæ celant cathedræ, quæ ſilet omne forum.
Non onerata gemant bullato pulpita Baldo,
 Hæc ſunt à placido longè aliena foro.
Triſte ſupercilium hæc cortina relegat, & ipſe
 In thalamis neſcit Jupiter eſſe tonans.
Aggredere ergo novos, MAURITI Maxime, amores,
 Inque puellari fer nova Jura ſinu.
Perpetuus dictator ibi cum Matre Cupido eſt.
 Te vocat ad leges illeque & illa ſuas.
Heic te diſcipulum poſcit Cytherea; Magiſtrum
 Te licet hic nobis juſſerit eſſe Themis.

Totum Te teretem & facit rotundum:
Hanc totam teretem & facit rotundam.
Nunc ergo, ô bone, nunc memento Sponſe
Græcos ſpargere & Atticos lepores,
Et totas Veneri ſacrare noctes,
Colludet tepido ſubinde lecto,
Alludet lepido ſubinde plauſu
Veſtris Græculus his Amor ſuſurris,
Et quod neſcit uterque, nunc docebit
Curtis noctibus Atticè jocari.
Sed Tu, Sponſe, nec abnuente Sponsâ,
Iſtis ebrius, ô Bone, illecebris
Mavis nunc Aſiaticè jocari,
Longas nectere jam moras amorum,
Nunc longos iterare ſæpè amores,
Longa baſia, pluſculosque morſus,
Riſus, murmura, vellicationes,
Amplexusque reciprocos & arctos,
Et, Græcæ quod & artis eſt, in iſtis
Græcari novus helluo illecebris,
Totasque in thalamo, in ſinu Puellæ
Pergræcarier usque & usque noctes,
Pergræcarier usque & usque luces.

IN NVPTIAS
SALLERO - STAHLIANAS
Circa ipſum Solſtitii tempus
celebratas.

DUm nunc ſiderei tetigit ſpatia ultima Circi,
Et ſummo Solis ſiſtitur axe labor,

Mutan-

Mutandi ſtat certa ſtatus ſententia, habetque
Nunc, SALLERE, ſuum ſors tua ſolſtitium.
Et bona Juno tibi, & rerum ſtator iſte tuarum
Inſidiis, telis, ignibus inſtat Amor.
Jam ſtabilis ſtabili fortuna paratur amore,
Dum ſtabilit thalamos STAHLIA pulchra tuos.
Heic tecum mollem per ferrea ſecula vitam
Ducet, & in chalybe hoc aurea ſecla feres.
Heic ſtativa Venus tibi caſtra parabit, ut illâ
Pervigil excubias in ſtatione geras.
Fallor an ipſe tuos Phœbus ſpeculatus amores
Se propiore tuis ingerit igne toris,
Et faciet, quoniam ſi credimus iſta Lycéo)
Sol & homo blandum format amoris opus,
Plenior ille tuis præſens miſcebitur oſclis
Et quæ tu rapies, baſia & ipſe feret,
Et medius veſtris amplexibus illabetur,
Et ſi quod reſtat, dulce patrabit opus.
Sic volet æſtivis tædas accendere flammis,
Et rivalis erit, qui fuit ante pater.
Sed quoque majores, quò ſtat ſublimior, ignes
Subdet & ignavum non ſinet eſſe latus.
Noctibus excutiet quæ forſan frigora reſtant,
Fitque per hunc cerâ mollior ille Chalybs,
Hoc ita ſtante, toros firmet Venus optima veſtros,
Quò perſtet veſter, quò ſibi conſtet amor!
Stat medio Sol ille die: verum incipit inde
Solſtitium mediâ ducere nocte Venus.
Et tibi jam veſper noxque inſtat opaca. Quid obſtat,
Quo minus hâc acie ſtes Vir, & illa cadat?
Et jam tempus erit geminæ te tradere Sponſæ.
Fortuna heic pandit STAHLIAQVE iſta ſinus.

Quam bene res ſtabunt cedentque negotia, Sponſi!
Si Fortuna ſtet à partibus, illa cubet.

In Amores
Reverendi & Cl. Viri
CHRISTOPHORI Stämmen/
Paſtoris Wabſenſis,
&
Lectiſſimæ, Elegantiſſimæque Virginis
MARGAR. DOROTHEÆ
MOSINGÆ.

*
* *

Ad Sponſum
In Literis ſuis rura ſua Carmine meo non indigna vocantem.

Rus ergo me, Sponſe, vocas & ut ipſe jocaris,
Non indigna meo Carmine rura putas.
Cur indigna putes? habitârunt Dii quoque ſylvas,
Ipſeque Theſſalicum pavit Apollo pecus.
Non urbes amat atque domos ſacer ordo ſororum;
Sed mons, & nemus, & flumina nota placent.
Non indigna tuis ſi credis amoribus illa;
Cur indigna meo carmine, Sponſe, putas?
Non ſordent mihi rura, ſed ipſe ſubinde remiſſus
Ruſticor & peregrè Carmina Vatis eunt.
Et mea jam, STEMMI, quam prodigus ipſe vocâſti,
Inviſit thalamos ruſtica Muſa tuos.
Agreſtem tenui meditatur arundine cantum,
Et calamis, tua quos rura dedêre, ſonat.
Non ingrata tamen canit, aut indigna; ſed ipſos
Prædicat agreſtes exhilaratque toros.

Scilicet apta toris, STEMMI, tua rura vocabo,
In mediisque places bellus amator agris.
Non tibi vulgaris, non forma domeſtica riſit:
Namque tenet nullas urbs inamœna Deas.
Sunt Nymphæ faciles, & habent ſua numina ſylvæ.
Dignius hæc, ſi quis malit, Amator amet.
Per medios inventa fuit Peneia Daphne,
Quam Phœbus toties ipſe petebat, agros.
Jupiter ipſe ſuos in ſylvis quærit amores.
Non urbes temerè vel loca clauſa ſubit.
Plurimus hic iſtis intervenit arbiter auſis.
Liberiore magis ſub Jove ridet amor.
Primus homo aggeſto thalamos ſibi ceſpite ſtruxit,
Dulceque Naturâ teſte peregit opus.
Sic ætas quondam Saturnia junxit Amantes,
Queis ſtravêre vagos obvia rura toros.
Scilicet illa tuis quæ nunc illabitur ulnis
Nympha fuit, thalamis & Dea digna tuis.
Hanc Tu Daphnis ames. Præludit amoribus illis,
Grataturque tibi ruris imago tui.
Ipſi te fontes ipſa hæc arbuſta ſalutant,
Auguriumque tibi garrula cantat avis.
Ipſa tuis Veneris creſcit tibi myrtus in agris,
Nec noſtra plecti debuit illa manu.
Pan cuſtos ovium gracili tibi ludit avenâ,
Et pinu cincti tempora ſemicapri.
Jam Dryades Tibi jam glomerantur Oreades: ipſa
Officioſa Tibi carmina balat ovis.
Dumque meus tua nunc per paſcua Pegaſus hinnit,
Ipſe quoque his thalamis creber adhinnit equus.
Forſitan & tenui ſcribat nova cortice Paſtor
Nomina, &, ô dicat, creſcite, noſter amor.

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi
Creſcite, & ignavas hinc removete moras.
Forſan & ipſa iterum quercus vocalis amori
Accinat & ſpiret lenior aura tuo.
Ipſa Pales flores & amicas congeret herbas,
Quasque nuces ſparges, hortulus ipſe dabit.
Scilicet hic muti præeunt in amore Magiſtri.
Ipſaque jam Veneris Rus Schola, crede, Tibi eſt.
Hîc Te primus equis oriens ſol afflat anhelis,
Suſpenditque toris lumina Luna tuis.
Conjugis in gremium hîc deſcendit Jupiter: unde
Exemplum veſter ſumere poſſit amor.
Ambulat hic ſolâ ſolus cum Phyllide Thyrſis,
Et Sponſæ figit baſia ſpiſſa ſuæ.
Omnia cum rident, cum formoſiſſimus annus,
Tu Veneri ride non minus ipſe tuæ.
Cum flores delibat apis, tu dulcia liba
Oſcula & ex ipſis confice mella labris.
Cum graciles nutant in mutua verbera rami,
Induit & vites ulmus amica ſuas,
Arctaque connectunt hederæ ſua brachia, diſces
Metiri amplexu brachia pulchra tuo.
Cum ſua pugnaces abeunt in prælia Galli,
Atque Ducem ſequitur læta Capella ſuum,
Cumque ſalax prurit repetita in gaudia Paſſer,
Roſtraque cum Paphias jungere cernis aves?
Hæc præcepta tuis præſcribunt ſingula tædis.
Ad leges formant te tua rura ſuas.
Cum Tellus vario pubeſcit Dædala flore:
Sic pictas Sponſæ Tu quoque crede genas.
Cum venit Autumnus pomis fœcundus & uvis:
Poma, botros iſtos crede tenere ſinus.

Cum

Cum metiris agros, iſtum ne neglige fundum:
Vel digitus vel pes exigat omne latus.
Heic tumidi colles; ibi depreſſæ convalles,
Heic vocat ad numeros regula plana ſuos.
Cum ſubigis facilem ſplendenti vomere terram:
Ille novus, videas, ne ſterileſcat ager.
Hunc etiam aſſiduis agrum inſectabere raſtris,
Ut tibi naſcatur plurima ſæpe ſeges.
Ac velut Agricolis redit hic labor actus in orbem,
Sic eat iſte Tibi nunc redeatque labor,
Ne ceſſa. nulla eſt inaratæ gratia terræ.
Quisquis amator eris, ſemper arator eris.
Cumque ſuos falces jam mittet meſſor in agros,
In meſſem falces tu quoque mitte tuam;
Ut tibi fœcundæ Veneris ſint horrea cunæ,
Inque novas ſemper ſpes animetur ager.
Jam Natura præit, quæ ſulcis ſemina mandat,
Ut Segetes æſtas det reditura novas.
Tu ſequere, ô STEMMI, quà te veſtigia ducunt
Illa, nec æſtivum tum tibi deerit opus.
Invitat genialis hyems, ignava colono,
Scilicet illa tamen non peragenda tibi eſt.
Non & agrum Boreæ penetrabile frigus adurer.
Sirius æternas ventilet ipſe faces.
Huic adſcriptus eris glebæ, dum fata Deusque
Non ſolvent, curvâ mors neque falce metet.
Singula quid memorem? formant Te Rura Maritum.
Quam bene digna tuo carmina rure damus!
Quam bene rus ſapimus, STEMMI! mea Muſa tuusque
Hoc Amor argutæ Ruſticitatis habet.

Ad
Virum Præſtantiſſimum Doctiſſimumque
PAVLVM ERICI,
Notarium Cæſ. Publicum,
&
Virginem Lectiſſimam
CATHARINAM Büllen/
Sponſos.

SCripſiſſe teſtes veritatis literas,
Feciſſe publicam negotiis fidem,
Seu illa pactis orta, ſive litibus,
Hæc, ô ERICE, muneris res eſt tui.
Quàm nunc eandem Sponſus artem exerceas,
Teſtamur omnes, Tuque non negaveris.
Volumen ecce! panditur novum Tibi,
Quod uncialibus notandum literis.
Heic primus Aſbi, ERICE, corruptor tui
Arare chartam diſce ſolers Virginem,
Memores Notator imprimens ei notas:
Ut Te notantem connotantem plurima
Laudare nos quidem queamus Publicum;
Puella privatum probet Notarium.

IN NVPTIAS MEDICI.
Amici nomine ſcriptum.

QUi Medicam exerces feliciter hactenus artem,
Ac Helenam fauſto ſidere Sponſus amas,
Nil agis inſoliti, pars hæc eſt muneris, & quod
Egiſti Medicus, nunc quoque Amator ages.

Et jam, Sponſe, tuos, votis quam ſæpe petebas,
Nunc adit ipſa Salus ipſaque Hygeia toros.
Hæc Helena eſt, Medico proles quæ nata parente
Blanda ſalutiferam nunc Tibi præſtat opem.
Morbus Amor, Medicina Tibi eſt, Helenæq; mederis,
Illa Tibi (quid Amor neſcit?) uterque ſibi.
Fervent continuæ verum ſine frigore noctes,
Vulnera ſunt, telis quæ ferienda novis.
Mellifluis Helene fundit Tibi pharmaca labris,
Baſia, quæ grato perpluit imbre Venus.
Heic Verba & tacito lenſe inſerpentia lecto
Murmura Theſſalici carminis inſtar erunt.
Vivite par Medicum! per Vos Phœbea propago
Vivet, & hoc Medicæ non minus artis opus.
Adverſus mortem telis hæc pugnet avitis:
Victrices morbis & ferat usque manus.
Vivite Par Medicum! Nam ſic (non Sponſa negârit,
Non Sponſus) Medicè vivere, amare bonum eſt.

AD

Virum Integerrimum ſpectatæque ſidei Mercatorem

LAVRENTIVM Tückſen/

&

CHRISTINAM SOPHIAM TRIBBECHOVIAM,

Sponſos.

Dum ruit in Venerem rerum natura ſinusque,
Explicat immerſo Veſta rigata Jovi.

Atque Dionæus felici ſidere menſis
  Fulget, adit veſtros Cypris amica toros,
Et Tibi, Sponſe, novus; primus Tibi naſcitur ignis,
  Sponſa, Viri viduum non fugitura latus.
Jamq; novam thalamus vocat hic te, Sponſa, maritam.
  Ipſeque Amor merces fundit utrique ſuas.
Nam quod barbaricis expreſſum nobile cannis,
  Sponſus habet, cupidis allinit ille labris.
Dulcius huic nectar pharetrati Mater Amoris
  Miſcet & Hybleis imbuis ora favis,
Et totas Cilicum redolent pia baſia meſſes,
  Totque per Eoum germina nata ſolum.
Si poſcat ſibi vota, ſuas modò Sponſus acerras
  Impleat, atque ſuo thure Marita litet.
Qui poterat flores, vobis modò cruſtula ſpargit,
  Deliciisque novis ſemper ineſcat Hymen;
Sint dulces in amore dies, ſint mollia vitæ
  Tempora, & usque ſuo nectare ſparſa Venus.
Exulet hîc mordax, rupes quod rumpat acetum;
  Bilis amara; pius ne ſit amaror Amor.

AD

ALEXANDRUM ZESCHIUM,

poſt collatos honores Philoſophicos Nuptias celebraturum.

SIc triplici fortuna gradu Tibi ſurgit, & omnes
  Abſolvet numeros, & decus omne dabit.
Infula nam ſanctos primùm Tibi ſignat honores:
  Nunc premit hoc, ZESCHI, noſtra tiara caput.
Mox Tibi, credo, novos pariet novus annus amores,
  Et tituli partem Sponſa habitura tui eſt.

Quin dabit ipſa Tibi titulum nova nupta Mariti,
Tuque novo thalami jure Magiſter eris.
Macte tuis, ZESCHI, titulis! augeberis usque
Hinc titulis anno Tu redeunte novis.
Sic Titulis thalamum & cunas ſpirantibus imple:
Uxori titulos da: dabit illa Tibi.
Si titulis certas; titulis ſuccumbimus iſtis.
Judice me titulos vincit honoris amor.

In Nuptias
ERICI MAURITII, JCti,
al. nom. ſcr.

CYpri fave, tuus auſpiciis felibus intrat
MAURITIUS fato non renuente toros.
Sit procul his Aſtræa Sacris, & tetrica Pallas.
Non facit ad noſtros illa vel illa lares.
Sat roſtris Themidique datum, procul eſto ſevera
Aſtræa & tricæ Triboniane tuæ.
Codice jam miſſo Sponſo nova jura reſurgant,
Quæ celant cathedræ, quæ ſilet omne forum.
Non onerata gemant bullato pulpita Baldo,
Hæc ſunt à placido longè aliena foro.
Triſte ſupercilium hæc cortina relegat, & ipſe
In thalamis neſcit Jupiter eſſe tonans.
Aggredere ergo novos, MAURITI Maxime, amores,
Inque puellari fer nova Jura ſinu.
Perpetuus dictator ibi cum Matre Cupido eſt.
Te vocat ad leges illeque & illa ſuas.
Heic te diſcipulum poſcit Cytherea; Magiſtrum
Te licet hic nobis juſſerit eſſe Themis,

Magna Tibi mediis hic Lex ſcribetur in ulnis,
Ut tribuas Sponſæ nunc in amore ſuum.

In
SAMUEL. REYHERI, JCti & Mathematici, Nuptias.

NE noſtros Tibi quære pedes, REYHERE. Vel uno
Metiri poteris Teque Tuamque pede.

In Nuptias
DEGINGO-FINHAGIANAS
XII. Martii die celebratas.
Ad Ciconiam eo die reducem.

O Salve patrias redux ad oras,
Nec tamen patrii propago cœli,
Semeſtris patriis ſed hoſpes agris,
Regina o Volucrum, Ciconia, Orbis
Ad Solem revoluta Circulatrix.
O Salve patrias redux ad oras
Tot emenſa poli ſolique tractus;
Huc (nam te quoque cura tangit illa)
Cum nobis teneri calent amores,
Adſis carminibus vocata noſtris,
Nec ſint te ſine noſtra teſte ſacra.
Num quid illa (reos laceſſo Vates)
Nam quid commerita eſt, dicata nullis
Ut ſit Diis, Veneri dicanda tota,
Sed ſanctæ Veneri, piæ, & pudicæ,
Cujus dignius ornet illa currum,
Quam Columba ſalax inersque Cygnus.

Una

Una (nam meminiſtis illa docti)
Virtutum titulis tot & triumphis
Avitos avium implet illa faſtos
Juſta, grata, pia, innocens, pudica,
Una degenerum magiſtra morum,
Viva MUTUI & una imago AMORIS,
Cui nomen Latium negat; ſed Hellas
(Quamvis exulet ipſe nunc avique
Cum cognomine mutet usque terras)
Unâ nomen & inſtar omne ab illâ
Dediſcentibus exhibet Magiſtris.
Nunc bonis avibus ſi agenda res eſt,
Novis augurium det una Sponſis,
Una addicat Avis novos amores.
Salve terque quaterque & illa Sponſis
Exſpectata novis, Bona, effer ora.
En ut Te pueri advenam laceſſunt!
Et clamoribus obviis ſalutant:
Da fratrem, Bona, da mihi ſororem.
Occurrit Puer Ales ipſe, ſed nec
Etruſcæ rudis artis, hincque captat,
Fingit omina muſteis maritis.
O Salve, Bona, Salve, & ore pando
Ventre imo, crotaliſtria, evolutum
Noſtris clange ſacris thalaſſionem,
Et longo bona, longa verba roſtro
Sonis æmula verba dic Eois.
Tecum auræ ut veniunt ſolo ſalubres;
Sic auræ veniant toris ſalubres,
Tuque dicta meis, canenda Muſis,
Dedignata hyemes, nives, procellas,
Veris nuncia, ſolſtitIque alumna,

Vere

Vere hos perpetuo toros ſerena,
Auris imbue maſculis, ut illa
Quæ vidit venientis ora Virgo,
Te Mater redeunte ſpectet anno.
Sic annis redeuntibus refertos
Et vertentibus usque & usque fœtos
Tu nidos videas, & illa cunas.

IN EASDEM,

al. nom. ſcript.

Ad Sponſum.

CUm Menſis Tibi MARTIUS MARITUS
Verſo nomine fiat, & Maritum
Te novum faciat, Tibique pulchram
Fœcundus modo junxerit Maritam,
E toto tibi fauſtus unus anno,
Et toto redimendus unus anno eſt,
Unus pluribus æſtimandus annis,
Qui lapſam bene finiens juventam
Annos nunc Tibi parturis viriles.
Hinc Magni incipient ſubire Menſes,
Et novas Veneris palæſtra Lunas
Per totas Tibi texet usque noctes.
Gravis ſolſtitio tumebit æſtas,
Unus omnia complet, & peractum
Abſolvet Veneris December annum.

In
GEORG-ERNESTI Heldbergs /
&
ANNÆ VON DEGING,

Nuptias.

Quam

QUam Tibi felices, venerunt Sponſe, Kalendæ,
Unus quem gemino mactat honore Dies!
Sparta Tibi duplex: Doctor Sponſusque vocaris:
Fallor an inde Viro vis geminata venit?
Paulatim incipient magni procedere menſes,
Et grati, Majus cum nitet ore, dies.
Tunc, quando geminos Sol occupat aureus ignes,
Exeat in geminum Tunc labor omnis opus.

SECUNDIS AMORIBUS
PERILLUSTRIS DOMINI
DN. JOHANNIS HENRICI
KIELMANNI A KIELMANSECK,
Domum ducturi
VIRGINEM GENERE AC VIRTUTIBUS ILLUSTREM
DOROTHEAM REVENTLOVIAM,
ſubmiſſo affectu gratulatur
ACADEMIA KILONIENSIS.

KIELMANNE, ô noſtris ſpes altera, magnaque Muſis,
O DOMINI, ô Patriæ Kiloniique decus!
Cum Tibi ſideream rapiebant fata Maritam,
Ac unguis Tibi in hoc ulcere primus erat,
Flevimus & Cimbrorum inter lamenta tuorum
Mœroris fuimus pars quotacunque tui.
Nunc Tibi cum placido fortuna benignior ore
Ridet & inſomnes reſpicit alma toros.

Nos

Nos quoq; nunc læti, quamquam abdita nubibus atris
Sed tamen ad vultus vertimus ora tuos.
Scilicet hi vultus noſtros ac ora ſerenant,
Pectoraque inſpirant ſenſibus aucta tuis.
Te læto, ſenſus nobis minor ille malorum eſt,
Et minus hoc feriunt publica damna caput.
Cum Tibi poſt viduas Venus auget gaudia noctes,
Et rediviva novo ſuſcitat igne toros,
Hæc Muſis inter feralia tempora ſurgat
Lætior, ac pulchro ſplendeat ore dies.
Plaudimus & feſtos votis accendimus ignes.
Civibus & Muſis vox ſonat una tuis:
Macte novis *Sponſi* titulis & amoribus iſtis,
Queis thalami pulchrè damna repenſa tui.
Hoc Soboli Matrem, Domino Domuique Maritam,
Seque illis, ac Se reſtituiſſe Sibi eſt.

MAGNIFICO EXCELLENTISSIMOQUE

VIRO
DOMINO
MAGNO WEDDERKOPFIO,
Reverendiſſimo & Sereniſſimo Principi Cimbrico à Conſiliis Sanctioribus, &c.
Domum ducenti
NOBILISSIMAM VIRGINEM,
MARGARETAM ELISABETAM PINCIERIAM,
APPLAUDIT
ACADEMIA KILONIENSIS.

Ergo Tibi Veneris tandem alea jacta marito eſt.
Occinimus titulis nunc bona verba novis.

Mille

Mille damus plauſus, quando PINCIERIA amoris
Eſt, WEDDERKOPFI, victima grata tui.
Captus es & teneræ ſtringunt te vincla puellæ:
Nunc quoque victorem Te feret illa ſuum.
Heic Tu perpetuos ducens in amore triumphos
Exuvias tumidæ virginitatis habe.
Hoc Te merge ſinu: nam Tu (ſic omina produnt)
Ut ſerus fueris, magnus amator eris.
Heic tenerum Veneris Tibi ſanctior aula ſenatum
Convocat, illa tuis Numina grata toris.
Cum face venit Hymen, venerunt Baſia, Riſus,
Cumque Jocis Charites, aligerique greges:
Pone pharetratos Muſæ comitantur Amores;
Has quoque Tu teſtes Sponſus amoris habe.
Harum Tu quondam, nunc magni magna Senatus
Pars, Phœbi vultu proximiore cales.
Huic ſepone dies: habeat PINCIERIA noctes:
Sique nimis longi, carpat & illa dies.
Non pereunt Domino, quæ tempora danda Marito.
Nox quoque conſilium ſæpe benigna dedit.
Promtior ad nutus procedet amator heriles,
Qui ſocio poſuit Membra levanda toro:
Ut tactâ Antæus vires tellure reſumit,
Quo jacuit ſurgens fortior usque loco.
Hæ pariant Domino, pariant Tibi ſecula luces;
Hæ pariant noctes ſecula longa Patri.
Surget ab his ulnis animus Tibi major; ab iſto
Pro Duce continuus creſcet amore labor.
O titulis MAGNUM MAJORIBUS ille miniſtrum!
Illa Virum titulis augeat usque novis!
Hinc Te perpetuus fortunæ rivus inauret,
Et læti veniant, ac ſine nube, dies.

Hinc magni incipiant ſenſim procedere menſes,
Et majora ſibi regna figuret amor!
MAJORES videas Magnus Pater uſque nepotes
Vincere Grammaticos nomine, ſorte gradus.

In Nuptias
HENNINGI WEDDERKOPFII,
&
ANNÆ MARGARETÆ
Johanſen/
ineunte Decembri celebratas.

Quam bellè veniunt Tibi Kalendæ!
Aſtrææ Veneriſque digne Cultor,
Quam felix Tibi fulget hic December!
Quam lætas Tibi ſpargit ille luces!
Sed noctes feret ille lætiores;
Sed noctes trahet ille longiores,
Creſcantesque morâ novos amores,
Quos ſpiſſis Venus implicat tenebris,
Et mergit tepidis benigna plumis,
Et pulchræ gremio occulit puellæ.
Quam bellè Tibi prodeunt Decembres!
Cum denſæ foris incubant procellæ,
Æolique remugiunt Quirites,
Cum nimbis ſonat æther, & malignus
Agros Jupiter urget & nivoſo
Spargit vellere, ponte ſternit undas,
Tum Venus Tibi, tum puella ridet,
Tum tædis Hymenæus excitatis
Frigentem cupido reſolvit annum;
Tempeſtas ruit hinc & hinc jocorum,

Dul-

Dulciumque procella baſiorum.
Ex ipſis violæ, roſæ labellis
Naſcentur, calidoque Ver amœnum
Regnabit Tibi Siriusque lecto.
Nam Tempe nova, nam beata Sponſo
Pandit ipſa ſuis puella in ulnis.
O fauſti Tibi tranſeant Decembres!
Et læti veniant & usque fœti.
Nunc totum celebrabis illa amorum
(Saturno ſata ſancit illa Cypris)
Saturnalia prodigus per annum.
Obſignet Tibi JANUS annum, amores,
Bifrons, CLUSIUS : at novos amores,
(Nam tandem exitus id docebit ingens)
Parvulos, veniente ſemper anno,
JANOS, ille PATULCIUS reducat.

In Nuptias
NICOLAI NICOLAI,
&
ANNÆ MARGARETÆ FABRICIÆ,
Die Chryſogoni celebratas.

PRoles aureola aurei Parentis,
NICOLAE, decusque dulce Phœbi,
Cui mentem meliore de metallo
Incoxit rutili architectus auri;
Cui Vatum Pater & Patronus idem
Molles Carminis aurei figuras,
Et plectrum dedit aureum & ſonorum,
Quod vel aurea Roma non recuſet,

Et quæ Chryſogoni * ſuperbit aſtro;
Quam fauſtum Tibi Nomen illud omen!
Quas Lux aurea ſpondet illa noctes!
Quem partu Venus aureo ornat, Anna,
Quæ ſacro pia vota ſignat auro.
 Proles aureola aurei Parentis,
Ipſa Te Charis aureique mores
Huic ferrugineo dedêre ſeclo.
Namque nunc nihil aurei atque ſancti eſt.
Queis frons ferrea ſaxeumque pectus,
Queis ærugine tincta mens, canoris
Queis vox ænea tinnit uſque nugis,
Vox quæ montibus aureis diſerta
Vix lutum Tibi præſtet atque plumbum,
Sed queis unca tamen manus doloſo
Occurrit cupidè & refulget auro,
Ignavum pecus, aurei aſt Aſelli,
Quos non ipſa neget Madaura Cives;
Hi ſunt qui caput efferunt ſuperbum,
Hi nunc perpetuos agunt triumphos,
Omne hi Chryſogoni tulêre punctum.
 Proles aureola aurei Parentis,
Mitte hæc tempora perditosque mores,
Et cum Fabricia, revinctus auro,
Fortunæ faber aureæ, infer ipſe
Aurea in thalamos domosque ſecla.
Adſit aureus, at pudicus imber.
Omnem heic Colchida pandat & novellus
Vellus tondeat aureum hoc Jaſon.
Sic Phœbo redeunte ſurgat usque

Novis

* *Hoc nomine Auguſtus appellabatur.*

Novis Chryſogonus novus Maritis,
Proles aureola aurei Parentis.

In Nuptias
JOHANNIS Schultzen/
&
DOROTHEÆ Falcken.

QUi teneram, SCHULZI, doctus formare juventam
Pallados auſpiciis omnia rite geris,
Te novus hinc Cypridos Ludus vocat. Ipſe Magi-
ſtrum
Diſcipulum magnæ Te facit artis Amor.
Ut teneram formes etiam hic aliquando juventam
Te facit, atque ſua format in arte Virum.
Pallados illa die; Cypridos Schola nocte tenenda eſt:
Tuque utriusque bonus, Sponſe, Magiſter eris:
Hâc *benè dixiſti* ſi nempe SOPHISTA; ſed illâ
Si *benè feciſti* GYMNOSOPHISTA Scholâ.

In Nuptias
MICHAELIS FREUDII,
Junioris.

NOn uno, FREUDI, ſapientum exercite ludo,
Quid Tibi nunc animi, cum Cytherea vocat?
Nunc Tibi vel veteris ſapientia ſordeat ævi,
Ut placeas Annæ Gymnoſophiſta Tuæ.
Diviſum imperium eſt; Pallas ſibi ſola diurnas;
Nocturnas habeat ſola ſibi ANNA Scholas.

In JOACH. LINDEMANNI, & ANNÆ KORTHOLTIÆ NUPTIAS.

ET jam tempus adeſt nova carpere præmia vitæ,
Cum Tibi de chara ſpes nova prole venit.
Nempe Maritus eras felix, felix Pater: omnes
Suave fuit numeros & ſuperare gradus.
Nunc Tibi, cum digno data filia prima Marito eſt,
Incipit ex illa creſcere parte decus.
Magna Viri, major Patris eſt: ſed ſumma voluptas,
Cum ſubit ipſa novos læta propago toros,
Et ſua quando Senes venienti adoleſcere ſeclo
Nomina, & in natis usque renata vident.
Macte novis titulis! macte his in amore triumphis!
Et generi Socero vota nurusque ferant!
His quoque quos Pietas felici ſidere junxit
Incipiant fatis lenibus ire dies.
Sint illis placidi, fœcundi pignore multo,
Exemploque tuo ſancti hilarisque tori.
Sic, quoties nati thalamos natæque parabunt,
Multus & è caſto ſurget amore nepos;
Illi Te ſemper connubia teſte celebrent:
Hi, quoties Pater es, Te venerentur Avum

VENUS LIBRIPENS. IN NUPTIAS KOLTMANNO-WINKLERIANAS

ſub Solis in Libram ingreſſum celebratas.

EPI-

EPITHALAMIUM.

CUm ſibi KOLTMANNUS genialia feſta pararet,
Et Venus & Veneris venit ad iſta puer.
Venit & alma Themis, librâ gladioque decora;
Quam jubet illa ſuis nunc procul eſſe ſacris.
Tu tua regna tene, tua jurgia, triſte tribunal:
Illa ait: hæc Veneri dicta jocisque dies.
Si Tu cœca venis: cœcus meus ille Cupido eſt,
Ipſa videns: oculi ſunt in amore duces.
Nil opus enſe tuo: ſunt nobis tela facesque,
Et tua libra novo nunc quoque jure mea eſt.
Hæc ſi per ſuperas nobis eſt propria ſedes,
Heic eadem noſtri pignus honoris erit.
Heic antiqua ſequens ſapientum oracla Quiritum
Sacra bilance novi pondero jura tori.
Anteſtatus adeſt, memorem qui vellicet aurem,
Filius, & fratrum gens vaga teſtis adeſt.
Heic ego non renuentem emancipo tradoque Sponſam,
Impoſitoque bilanx mobilis ære ſonat.
Multa monet Sponſos mea Libra, monetque Maritos.
Omnia ſunt æquis diſtribuenda modis.
Omnia librat Amor: mentes & corpora librat:
Æſtimat hic pretio pondera quæque ſuo.
Forſitan & nummos mea Libra expendit & aurum:
Fortunas Sponſo nec male librat Amor.
Si mihi ſidereas domus eſt habitata per arces
Libra, novusque domos hoſpes Apollo tenet:
Quæ Sponſis nituere faces! duo Numina queis nunc
Inſtaurant unam Solque Venusque domum.

AD

MEDICUM SPONSUM.

TE Medicum Phœbus vocat, & Venus alma Maritum:
Sic quod agis Medicus, mox & Amator ages.
Tu Medice, ægrotas: tua languet amore puella:
Nunc morbum curas illius; illa tuum.

In Nuptias

KIRCHHOFIO - BUSCHMANNIANAS.

Ad Sponſum.

NOn fumum è fulgore, ſed è fumo dare lucem
Qui cupit, is lentis ignibus ardet amor.
Sic tuus à longo qui viſus creſcere fumo,
Kirchhofi, in flammas tardus, at omnis abit.
Te totum tuus ignis agit, Sponſamque perurit.
Servat inexſtinctos hæc Tibi Veſta focos.
Nec tantum ſplendore vago tibi fulgurat: urit
Acrius, ac æſtu viſcera tota rapit.
Sic Tibi perpetuus flagret, ſic luceat ignis,
Ut torus uſque focus, nec velit eſſe rogus.

MA-

MANES.

LIBER I.

FUNERA

olim dictus.

MAGNIFICO DOMINO.

DN. CHRISTIANO CASSIO.

COM. PAL. CÆSAREO,
S. ROM. IMPERII. EXEMPTO,
CONSILIARIO HOLSATICO,
CANCELLARIÆ UTHINENSIS
DIRECTORI,

DOMINO AC FAVTORI SVO MAGNO

FUNERA SUA

D. D. D.

D. G. M.

En

EN iſta furvis prodiens ſepulchretis,
Vir Magne, Fautor ô colende, noſtrarum
Judex benigne, Cenſor æque Muſarum,
Siſtit Cadaveroſa ſe Tibi Muſa,
Quæ claudicans inter ſatellites Umbras
Lemuresque (Manesque & nigri pecus Ditis,
Inauſpicato prona fertur occurſu.
Stat præfica illa nænias quiritantes
Leſſusque fundens, frigidisque frigentes
Nugas ab umbris: forficeſque Parcarum
Unguesque adunci plectra lancinant noſtra:
Ipſe inter urnas, buſta, funerum ſordes
Pollinctor & Veſpillo repo Phœbeus.
Te noſtra legit arbitrum ſibi Muſa.
Vel vivat hæc, Cenſore Te, vel exſpiret,
Vel luce dignam judica; vel æternis
Damna ſepulchris, mortuosque conclamans
Sit Muſa conclamata, ſitque compoſta,
Quosque illa functis, tu rogos ſtruas illi.

AMOR LACRYMANS,

IN FUNERE

ILLUSTRIS ET INCOMPARABILIS

MATRONÆ

MARIÆ ELISABETÆ

HEISTERMANNIÆ à ZIELBERG

NATÆ KIELMANNIÆ

A KIELMANSECK.

IN Lacrymas ſe laxat amor, totoque redundat
Flumine, dum Tanti Conjugis Uxor obit.
Orta mari Venus eſt, & amaris paſcitur undis,
Hinc & Amor ſalſo proluit ora mari.
Patria non ſiccis hæc funera ſpectat ocellis,
Et MAGNUM in lacrymas vidimus ire PATREM.
Sunt Charites, ſterit ipſa Venus lacrymaſque laceſſit,
Et natale ſapit guttula quæque ſalum.
Ipſe ſuæ MARIÆ CONJUX mare fundit amarum,
Poſſit ut in lacrymis naufragus ire dolor.
Prorumpunt lacrymæ, lacrymiſque curulibus ignis
Exit, & admiſtas æſtuat inter aquas.
Ructanti flammas Oculum componimus Ætnæ,
Quas inter medio flumine Nilus eat.
Hîc teneri fabricant Veneri ſua tela Cyclopes,
Ac eadem affuſo flumine tela lavant.
Ergo illi in mediis rogus hic educitur undis,
Unda lavat corpus, flammaque membra cremat.
Quis [illegible] are vetet? nimis ille immittis & atrox,
[illegible] re aquâ quisquis & igne velit.

Fru-

Fruſtra ego Caſtalias lacrymis admiſceo guttas,
Nec ſalſas dulcis diluit humor aquas.
Non ea Lethéum conſumet flumina flumen,
Iſta ſed æternis imbribus ora rigant.
Non tamen heic lacrymis molleſcunt corda profuſis,
Induit ex ipſis marmora pectus aquis.
Saxea ſic flentes Niobe riget inter ocellos,
Femineusque vomit flumina ſalſa lapis.
Cor abit in lapidem, tumulus ne deſit amatæ,
Dulcia in hunc infert funera dulcis amor.
Queisque ulnis jacuit, nunc iisdem ea conditur urnis.
Sic parit ex ipſo funus amore Venus.
Nunc capulum capit hoc, ubi copula pectoris olim.
Quam texere olim, nunc quoque corda tegunt.
Non hanc Terra capit, cœlum quæ mente tenebat:
Non etenim exiguâ clauditur illud humo.
Deficiente loco, pectus capit ecce Mariti.
Iſta capax tanti corporis urna fuit.
Heic agit, & veteres intus propagat amores,
Iſtaque viventem viva ſepulchra tegunt.

IN EXEQVIAS
Generoſiſſimi Domini
DN. NICOLAI à QVALEN,
Sereniſſimo Principi Cimbriæ, à Conſiliis Provincialibus, Præfecti in Neuſtadt, Ciſmar & Oldenburg, Terrarum Femariæ Inſpectoris, Hereditarii in Siggenâ.

ERgo fugis patioque infers tua ſidera cœlo,
Et ſuperûm Victor ſede receptus ovas?

Te

Te Patria & Princeps, VIR MAXIME, quærit ademptum.
Publica Te Pietas, Publicus optat Amor.
Spargimus has lacrymas, lacrymarum efferbuit æſtu
Caſtalis, & dotes luget Apollo tuas.
Juſta damus Juſto. Moreris, quia Juſtus, & iſtis
Dum pares fati legibus, æquus eris.
Has tabulas Natura dedit, lex omnibus una eſt,
Ut fatis cedant omnia viva ſuis.
Tu Lex viva tuis, nec erat Te juſtior: Ergo,
Publica ne per Te Lex violetur, obis.
Vita Tibi tranquilla fuit; mors inde beata,
Principium felix ipſeque finis erat.
Hæc Tibi conſpirant, finisque ab origine pendet,
Sic es Ariſtarchus: * Sic es Ariſtoteles. **
Sic pulchrum eſt, VIR MAGNE, mori, generoſaque Mortem
Mens præit, & victam poſt ſua terga trahit,
Sic fatis dominaris & ipſo à funere vivis,
Et nihil in Te Mors improba juris habet.
Omnia partiris. ſervabit Patria Nomen:
Oſſa capit tellus: Spiritus aſtra ſubit:
Virtutes recipit ſoboles generoſa paternas:
Secla ferunt famam: pars quota Mortis erit?
Omnia Teſtator donas, te denique totum
Omnibus: Exheres Mors Tibi ſola fuit.

* *boni principii.*
** *boni finis.*

MONU-

MONUMENTUM
Prænobilis & maxime ſtrenui Domini
DN. HENRICI VON DER DEILEN,
SS. Reg. Majeſt. Suec. â Conſiliis Commerciorum, ConſulisReip. Viſmarienſis optimè meriti.

ÆTERNITATI.

* * *

Heus. Viator.
Immorare. huic. tumulo.
Monet. te. hoc. monumentum.
Sta. ad. hunc. lapidem.
Non. tamen. lapis. ſuper. lapidem.
Lege. quæ. lapis. hic. loquitur. non. mollia. verba.
ſed. lapides.
Quæ. non. lapidi. dicta. puta.
ſed. Tibi.
Qui. vivus. omnem. lapidem. moves.
Ut. demum. ſub. lapide. mortuus. quieſcas.
ſub. cujus. duro. tegmine. durum. mortalium. genus.
molliter. quieſcit.
In. hunc. neceſſario. impingimus. lapidem.
Tantali. lapis. eſt.
qui. uti. vivorum. capitibus. imminet.
ita. mortuos. obruit.
Heracleo. hunc. lapidi. ſimilem. dicas.
Uti. enim. hic. trahit. ferrum. ita. ille. homines.
manifeſto. inter. homines. & lapides. magnetiſmo.
ut. qui. ejusdem. creduntur. originis.

Ter-

Terræ. oſſa. lapides. tegunt. oſſa. hominum.
Vel. ex. ipſa. terræ. medulla. vel. ejusdem. oſſibus.
conditorum. vel. ipſorum. lapidum.
Tegitur. quoque. (ſi. homo. lapis. eſt.) ſub. hoc. lapide.
Lapis.
ſed. pretioſus. ſed. gemma. patriæ.
ſed. adamas. Adamigena: ab. omnibus. adamatus.
Vir. maxime. Strenuus. &. Nobiliſſimus.

HENRICVS. VON. DER. DEILEN.

SS. Regiæ. Majeſt. Suecicæ. à. Commerciorũ. Conſiliis.
&. Reipubl. Viſmarienſis. Conſul.
Vitæ. ſuæ. viam. hoc. extremo. lapide. demum. decurrit.
Qui. ita. vivus. lapidem. amuſſi. applicuit. Optimus.
Reipublicæ. Patriæ. Architectus.
ut. nunc. demum. amuſſim. applicuerit. lapidi.
ſepulchrali.
Quem. &. Lydium. dixeris.
ad. quem. aureos. vitæ. mores. examinavit.
Mortis. enim. examen. ad. vitæ. normam.
Vitæ. examen. ad. mortis. normam. inſtituit.
Conditur. ergo. ſub. hoc. tumulo.
Sed. Quis? Nemo.
Neque. enim. hic. homo. condi. poterat.
Sed. Quid? Nihil. vel. hominis. umbra.
Cujus. tamen. nulla. quantitas. eſt.
ut. quia. (ceu. mera. ſuperficies.) cumulari. in. corpus.
non. poteſt.
pro. corpore. hic. non. poſſit. tumulari.
Tantum. enim. abeſt. ut. totus. tumuletur. hic.
DEILENIUS.
ut. nec. pars. quidem. ejus. condatur.

Neque.

Neque. illi. cum. morte. aut. morti. cum. illo. lis. eſt. de. communi. dividundo. aut. familia. herciſcunda.
Carnem. ſuam. è. terra. concretam. terræ. reliquit.
Spernendas. animi. id. eſt. hominis. exuvias.
Uti. enim. veſtes. non. ſunt. pars. corporis.
Ita. nec. corpus. pars. hominis.
Terram. dedit. terræ. ſpiritum. ætheri.
Illam. tamen. ex. ſemiſſe. heredem. ne. credas.
Hic. enim. heres. ex. aſſe. eſt.
Corpus. enim. ut. inſtrumentum. plane. non. neceſſarium.
cum. pro. derelicto. habitum. fuerit.
ceſſit. terræ. occupanti.
Neque. enim.
Diviſum. Imperium. cum. Jove. Veſta. tenet.
Nec. terræ. fuit. filius. ſed cœli.
Ut. quod. Æterno. Patrefamilias. permittente. poſſidebat. peculium.
quodam. cognationis. jure. eo. gradu. aſcenderet. quo. deſcendit.
Animum. id. eſt. ſe. totum. legavit. cœlo. nihil. terræ.
Non. tamen. ex. parte. teſtatus. ex parte. inteſtatus. deceſſit.
Nec. in. morte. integer. eſſe deſiit
qui. vivus. fuit. integerrimus.
Nec. mortuus. in. partes. diſtractus.
Qui. dum. viveret. maxima. Reipublicæ. Patriæ. pars. nunquam. abiit. in. partes.
odio. habens. illos.
Qui. à. partibus. vel. ſuis. vel. aliorum. ſunt. toti.
Deteſtabatur. illos. qui. ſemper. erant. alii. nunquam. iidem.

Inter.

Inter. feras. vulpes. inter aves. Milui. inter. piſces. lupi.
Adeo (quod Pythagoræ monitum eſt.) diſcebat.
UNUS. fieri.
Addo. etiam. VERUS. &. BONUS.
Vitiorum. ceu. Harpyiarum. ungues. vitavit. ab. ipſis. unguiculis.
Juveni. quoque. jam. tum. erat. candor. pro. canitie.
Vir. erat. in. ferreo. Martis. ſeculo. aureus.
In. aureo, Pluti. ſeculo. ferreus.
Pretioſior. quod. ferreus. quam. quod aureus.
Mollibus. vitiis. duram. virtutem.
Duris. vitiis. molliſſimam. virtutem. miſcuit.
ut. varia. materies. eſſet. in. Virtutis. &. Fortunæ. officina.
Jam. ductilior. auro. jam. rigidior. ferro. &. ſaxo. jam. mollior. cera.
Ne. â. ductili. auro. duceretur. in. partes. animus. prohibuit. rigida. virtus.
Uti. rigidus. erat, in. vitia. ita. cereus. in. virtutes. flecti. Norat.
ut mollia. fandi. ita. mollia. agendi. tempora.
Et. quando. duro. nodo. durus. quærendus. cuneus.
Nunquam. vitiis. corruptus. nunquam. divitiis.
Quas. tum. maxime. ſuas. credidit. cum erogaret. in. alios.
Sciebat. enim. illos. qui. opes. â. Deo. conceſſas. ut. ſuas. poſſident.
Malæ. fidei. eſſe. poſſeſſores.
Verus. fuit. &. in. curia. &. extra. curiam. Curius.
Cui. dum. patria. data. eſt.
Reddita. eſt. ſibi. &. Virtuti.
Exhibebat.

Pru-

Prudentia. ARGUM. actione. BRIAREUM.
ut. nec. perſpicaci. oculo. deeſſent. manus. validæ.
nec. manibus. oculi,
quæ. Aſtrææ. alias. cœcæ. debent. eſſe. oculatæ.
Et. præfuit. civibus. &. profuit.
Nulli. defuit. niſi. ſibi.
Ope. conſilioque. illis. aderat. quorum. intererat.
Omnes. amavit. præter. ſe. unum.
Aliis. vacans. ſeipſum. neglexit.
Aliis. lucens. ſeipſum. conſumſit.
Tum. enim. integer. &. ſui. juris. videbatur.
cum. totus. eſſet. alieni.
Felix. ſibi. videbatur. cum. cauſas. miſerorum. ageret.
Ipſe. malum. potius. ferebat. quam. inferebat.
Letheo. diluvio. extinguebat. calumniarum. flammas.
Nunquam. læſus. ſemper. lætus.
Nunquam. illi. contractæ. ex. ſimulatione. ſimultates.
Non. latebant. in. iſta. cedro. vemiculi. ſimulationis.
&. fraudis.
Cor. gerebat. in. manu.
Animum. in. fronte.
Popularem. auram. uno. difflabat. ſpiritu.
mollem. blandientium. favonium. diſſipans. rigido.
Virtutis. aquilone.
Quæ. aliis. ſalivam. movebant. illi. bilem.
Nihil. illi. ad. palatum. niſi. quod. ad. mentem.
Secum. habitabat. ceu. teſtudo. φερέοικος.
Nunquam. â. ſe. id. eſt. à. bona. mente. aberrans.
In. vita. tamen. peregrinabatur.
Citius. vero. à. vita. diſcedebat. quam. â. virtutis. via.
In. vitæ. via. tanquam. in. loco. Ædilem. metuente.
pede. ſuſpenſo. proceſſit.

 iſti.

LIBER I.

FUNERA

olim dictus.

MAGNIFICO DOMINO.

DN. CHRISTIANO CASSIO.

COM. PAL. CÆSAREO,
S. ROM. IMPERII. EXEMPTO,
CONSILIARIO HOLSATICO,
CANCELLARIÆ UTHINENSIS
DIRECTORI,

DOMINO AC FAVTORI SVO MAGNO

FUNERA SUA

D. D. D.

D. G. M.

En

EN iſta furvis prodiens ſepulchretis,
Vir Magne, Fautor ô colende, noſtrarum
Judex benigne, Cenſor æque Muſarum,
Siſtit Cadaveroſa ſe Tibi Muſa,
Quæ claudicans inter ſatellites Umbras
Lemuresque (Manesque & nigri pecus Ditis,
Inauſpicato prona fertur occurſu.
Stat præfica illa nænias quiritantes
Leſſusque fundens, frigidisque frigentes
Nugas ab umbris: forficeſque Parcarum
Unguesque adunci plectra lancinant noſtra:
Ipſe inter urnas, buſta, funerum ſordes
Pollinctor & Veſpillo repo Phœbeus.
Te noſtra legit arbitrum ſibi Muſa.
Vel vivat hæc, Cenſore Te, vel exſpiret,
Vel luce dignam judica; vel æternis
Damna ſepulchris, mortuosque conclamans
Sit Muſa conclamata, ſitque compoſta,
Quosque illa functis, tu rogos ſtruas illi.

AMOR LACRYMANS,

IN FVNERE

ILLVSTRIS ET INCOMPARABILIS

MATRONÆ

MARIÆ ELISABETÆ

HEISTERMANNIÆ à ZIELBERG

NATÆ KIELMANNIÆ

A KIELMANSECK.

IN Lacrymas ſe laxat amor, totoque redundat
  Flumine, dum Tanti Conjugis Uxor obit.
Orta mari Venus eſt, & amaris paſcitur undis,
  Hinc & Amor ſalſo proluit ora mari.
Patria non ſiccis hæc funera ſpectat ocellis,
  Et MAGNVM in lacrymas vidimus ire PATREM.
Sunt Charites, ſtetit ipſa Venus lacrymasque laceſſit,
  Et natale ſapit guttula quæque ſalum.
Ipſe ſuæ MARIÆ CONJVX mare fundit amarum,
  Poſſit ut in lacrymis naufragus ire dolor.
Prorumpunt lacrymæ, lacrymisque curulibus ignis
  Exit, & admiſtas æſtuat inter aquas.
Ructanti flammas Oculum componimus Ætnæ,
  Quas inter medio flumine Nilus eat.
Hîc teneri fabricant Veneri ſua tela Cyclopes,
  Ac eadem affuſo flumine tela lavant.
Ergo illi in mediis rogus hic educitur undis,
  Unda lavat corpus, flammaque membra cremat.
Quis plorare vetet? nimis ille immittis & atrox,
  Interdicere aquâ quisquis & igne velit.

Fruſtra ego Caſtalias lacrymis admiſceo guttas,
Nec ſalſas dulcis diluit humor aquas.
Non ea Lethéum conſumet flumina flumen,
Iſta ſed æternis imbribus ora rigant.
Non tamen heic lacrymis molleſcunt corda profuſis,
Induit ex ipſis marmora pectus aquis.
Saxea ſic flentes Niobe riget inter ocellos,
Femineusque vomit flumina ſalſa lapis.
Cor abit in lapidem, tumulus ne deſit amatæ,
Dulcia in hunc infert funera dulcis amor.
Queisque ulnis jacuit, nunc iisdem ea conditur urnis.
Sic parit ex ipſo funus amore Venus.
Nunc capulum capit hoc, ubi copula pectoris olim.
Quam texere olim, nunc quoque corda tegunt.
Non hanc Terra capit, cœlum quæ mente tenebat:
Non etenim exiguâ clauditur illud humo.
Deficiente loco, pectus capit ecce Mariti.
Iſta capax tanti corporis urna fuit.
Heic agit, & veteres intus propagat amores,
Iſtaque viventem viva ſepulchra tegunt.

IN EXEQVIAS
Generoſiſſimi Domini
DN. NICOLAI à QVALEN,
Sereniſſimo Principi Cimbriæ, à Conſiliis Provincialibus, Præfecti in Neuſtadt, Ciſmar & Oldenburg, Terrarum Femariæ Inſpectoris, Hereditarii in Siggenâ.

ERgo fugis patioque infers tua ſidera cœlo,
Et ſuperûm Victor ſede receptus ovas?

Te

Te Patria & Princeps, Vir Maxime, quærit ademptum.
Publica Te Pietas, Publicus optat Amor.
Spargimus has lacrymas, lacrymarum efferbuit æſtu
Caſtalis, & dotes luget Apollo tuas.
Juſta damus Juſto. Moreris, quia Juſtus, & iſtis
Dum pares fati legibus, æquus eris.
Has tabulas Natura dedit, lex omnibus una eſt,
Ut fatis cedant omnia viva ſuis.
Tu Lex viva tuis, nec erat Te juſtior: Ergo,
Publica ne per Te Lex violetur, obis.
Vita Tibi tranquilla fuit; mors inde beata,
Principium felix ipſeque finis erat.
Hæc Tibi conſpirant, finisque ab origine pendet,
Sic es Ariſtarchus: * Sic es Ariſtoteles.**
Sic pulchrum eſt, Vir Magne, mori, generoſaque Mortem
Mens præit, & victam poſt ſua terga trahit,
Sic fatis dominaris & ipſo à funere vivis,
Et nihil in Te Mors improba juris habet.
Omnia partiris. ſervabit Patria Nomen:
Oſſa capit tellus; Spiritus aſtra ſubit:
Virtutes recipit ſoboles generoſa paternas:
Secla ferunt famam: pars quota Mortis erit?
Omnia Teſtator donas, te denique totum
Omnibus: Exhæres Mors Tibi ſola fuit.

* *boni principii.*
** *boni finis.*

MONU-

MONUMENTUM
Prænobilis & maxime ſtrenui Domini
DN. HENRICI VON DER DEILEN,
SS. Reg. Majeſt. Suec. â Conſiliis Commerciorum, ConſulisReip. Viſmarienſis optimè meriti.

ÆTERNITATI.

* * *

Heus. Viator.
Immorare. huic. tumulo.
Monet. te. hoc. monumentum.
Sta. ad. hunc. lapidem.
Non. tamen. lapis. ſuper. lapidem.
Lege. quæ. lapis. hic. loquitur. non. mollia. verba.
ſed. lapides.
Quæ. non. lapidi. dicta. puta.
ſed. Tibi.
Qui. vivus. omnem. lapidem. moves.
Ut. demum. ſub. lapide. mortuus. quieſcas.
ſub. cujus. duro. tegmine. durum. mortalium. genus.
molliter. quieſcit.
In. hunc. neceſſario. impingimus. lapidem.
Tantali. lapis. eſt.
qui. uti. vivorum. capitibus. imminet.
ita. mortuos. obruit.
Heracleo. hunc. lapidi. ſimilem. dicas.
Uti. enim. hic. trahit. ferrum. ita. ille. homines.
manifeſto. inter. homines. & lapides. magnetiſmo.
ut. qui. ejusdem. creduntur. originis.

Ter-

Terræ. oſſa.lapides.tegunt.oſſa. hominum.
Vel. ex. ipſa. terræ. medulla. vel. ejusdem. oſſibus.
conditorum. vel. ipſorum. lapidum.
Tegitur. quoque. (ſi. homo.lapis.eſt.)ſub. hoc.lapide.
Lapis.
ſed. pretioſus.ſed. gemma. patriæ.
ſed. adamas. Adamigena: ab. omnibus. adamatus.
Vir. maxime. Strenuus. &. Nobilisſimus.
HENRICVS. VON. DER. DEILEN.
SS.Regiæ.Majeſt.Suecicæ. à. Commerciorũ.Conſiliis.
&. Reipubl.Viſmarienſis.Conſul.
Vitæ.ſuæ.viam. hoc.extremo.lapide.demum.decurrit.
Qui. ita. vivus. lapidem. amuſſi. applicuit. Optimus.
Reipublicæ. Patriæ. Architectus.
ut. nunc. demum. amuſſim. applicuerit. lapidi.
ſepulchrali.
Quem. &. Lydium. dixeris.
ad. quem. aureos. vitæ. mores. examinavit.
Mortis. enim. examen. ad. vitæ. normam.
Vitæ. examen. ad. mortis. normam. inſtituit.
Conditur. ergo. ſub. hoc. tumulo.
Sed. Quis? Nemo.
Neque. enim. hic. homo. condi. poterat.
Sed. Quid? Nihil. vel.hominis. umbra.
Cujus. tamen. nulla. quantitas. eſt.
ut. quia. (ceu. mera. ſuperficies.) cumulari. in. corpus.
non. poteſt.
pro. corpore. hic. non. posſit.tumulari.
Tantum. enim. abeſt. ut. totus. tumuletur. hic.
DEILENIUS.
ut. nec. pars. quidem. ejus. condatur.
Neque.

Neque. illi. cum. morte. aut. morti. cum. illo. lis. eſt.
de. communi. dividundo. aut. familia. herciſcunda.
Carnem. ſuam. è. terra. concretam. terræ. reliquit.
Spernendas. animi. id. eſt. hominis. exuvias.
Uti. enim. veſtes. non. ſunt. pars. corporis.
Ita. nec. corpus. pars. hominis.
Terram. dedit. terræ. ſpiritum. ætheri.
Illam. tamen. ex. ſemiſſe. heredem. ne. credas.
Hic. enim. heres. ex. aſſe. eſt.
Corpus. enim. ut. inſtrumentum. plane. non. neceſſarium.
cum. pro. derelicto. habitum. fuerit.
ceſſit. terræ. occupanti.
Neque. enim.
Diviſum. Imperium. cum. Jove. Veſta. tenet.
Nec. terræ. fuit. filius. ſed cœli.
Ut. quod. Æterno. Patrefamilias. permittente. poſſidebat. peculium.
quodam. cognationis. jure. eo. gradu. aſcenderet. quo. deſcendit.
Animum. id. eſt. ſe. totum. legavit. cœlo. nihil. terræ.
Non. tamen. ex. parte. teſtatus. ex parte. inteſtatus. deceſſit.
Nec. in. morte. integer. eſſe deſiit
qui. vivus. fuit. integerrimus.
Nec. mortuus. in. partes. diſtractus.
Qui. dum. viveret. maxima. Reipublicæ. Patriæ. pars.
nunquam. abiit. in. partes.
odio. habens. illos.
Qui. à. partibus. vel. ſuis. vel. aliorum. ſunt. toti.
Deteſtabatur. illos. qui. ſemper. erant. alii. nunquam. iidem.

Inter.

Inter. feras. vulpes. inter aves. Milui. inter. piſces. lupi.
Adeo (quod Pythagoræ monitum eſt.) diſcebat.
UNUS. fieri.
Addo. etiam. VERUS. &. BONUS.
Vitiorum. ceu. Harpyiarum. ungues. vitavit. ab. ipſis.
unguiculis.
Juveni. quoque. jam. tum. erat. candor. pro. canitie.
Vir. erat. in. ferreo. Martis. ſeculo. aureus.
In. aureo. Pluti. ſeculo. ferreus.
Pretioſior. quod. ferreus. quam. quod. aureus.
Mollibus. vitiis. duram. virtutem.
Duris. vitiis. molliſſimam. virtutem. miſcuit.
ut. varia. materies. eſſet. in. Virtutis. &. Fortunæ.
officina.
Jam. ductilior. auro. jam. rigidior. ferro. &. ſaxo.
jam. mollior. cera.
Ne. â. ductili. auro. duceretur. in. partes. animus. prohibuit. rigida. virtus.
Uti. rigidus. erat, in. vitia. ita. cereus. in. virtutes. flecti.
Norat.
ut mollia. fandi. ita. mollia. agendi. tempora.
Et. quando. duro. nodo. durus. quærendus. cuneus.
Nunquam. vitiis. corruptus. nunquam. divitiis.
Quas. tum. maxime. ſuas. credidit. cum erogaret.
in. alios.
Sciebat. enim. illos. qui. opes. â. Deo. conceſſas. ut.
ſuas. poſſident.
Malæ. fidei. eſſe. poſſeſſores.
Verus. fuit. &. in. curia. &. extra. curiam. Curius.
Cui. dum. patria. data. eſt.
Reddita. eſt. ſibi. &. Virtuti.
Exhibebat.

Pru-

Prudentia. ARGUM. actione. BRIAREUM.
ut. nec. perſpicaci. oculo. deeſſent. manus. validæ.
nec. manibus. oculi.
quæ. Aſtrææ. alias. cœcæ. debent. eſſe. oculatæ.
Et. præfuit. civibus. &. profuit.
Nulli. defuit. niſi. ſibi.
Ope. conſilioque. illis. aderat. quorum. intererat.
Omnes. amavit. præter. ſe. unum.
Aliis. vacans. ſeipſum. neglexit.
Aliis. lucens. ſeipſum. conſumſit.
Tum. enim. integer. &. ſui. juris. videbatur.
cum. totus. eſſet. alieni.
Felix. ſibi. videbatur. cum. cauſas. miſerorum. ageret.
Ipſe. malum. potius. ferebat. quam. inferebat.
Letheo. diluvio. extinguebat. calumniarum. flammas.
Nunquam. læſus. ſemper. lætus.
Nunquam. illi. contractæ. ex. ſimulatione. ſimultates.
Non. latebant. in. iſta. cedro. vemiculi. ſimulationis.
&. fraudis.
Cor. gerebat. in. manu.
Animum, in. fronte.
Popularem. auram. uno. difflabat. ſpiritu.
mollem. blandientium. favonium. diſſipans. rigido.
Virtutis. aquilone.
Quæ. aliis. ſalivam. movebant. illi. bilem.
Nihil. illi. ad. palatum. niſi. quod. ad. mentem.
Secum. habitabat. ceu. teſtudo. *Φερέοικος*.
Nunquam. â. ſe. id. eſt. à. bona. mente. aberrans.
In. vita. tamen. peregrinabatur.
Citius. vero. à. vita. diſcedebat. quam. â. virtutis. via.
In. vitæ. via. tanquam. in. loco. Ædilem. metuente.
pede. ſuſpenſo. proceſſit.

 iſti.

illi. quidem. luto. pedum. veſtigia. imprimens.
cœlum. tamen. vertice. feriens. & animo.
Geometræ. alii. malunt. eſſe.
In. vita. Epipedometræ, ſuperficiem. hanc. terræ.
vel. poſſident. vel. metiuntur. obambulando.
poſt. vitam. Stereometræ. telluris profundum.
non. pedibus. metiuntur. ſed. toto. corpore.
Quisquis. è. terra. &. ad. terram. genitus. eſt.
vivum. &. ſui. ipſius. cadaver. eſt. &. portatile. ſepulchrum.
Terra.
cui. vivens. incumbit. ceu. feretro.
Sui. quondam. tumulo. erit. pro. tumulo.
cui. pedibus. inſiſtit. obruet. jacentem.
Ille. vero. quidam. quaſi. Aſtronomus.
Aſtra. &. cœlum. mente. complexus. ultra. terram. ivit.
ad. puriſſimam. lucem. elatus.
Ultra. nebulonum. nebulas.
Fatuorum. ignes. fatuos.
Calumniatorum. Dracones. volantes.
Luciferi. ſtellas. cadentes.
Ætatem. ſuam. intra. curas. ſuas. publicas. ita. attrivit.
quaſi. nullam. ſperaſſet. ex. attritu. ſcintillam. honoris.
&. gloriæ.
Ortæ. tamen. e. ſcintillis. iſtis.
Illuſtres. honoris. flammæ.
quas. in. iſto. Virtutis. fomite. incendit.
ILLUSTRISSIMUS. ORBIS. ARCTOI. SOL.
Gloriæ. magis. capax. erat. quam. avidus.
quæ. illi. potius. reperta. eſt. quam. inventa.
Inter. generoſæ. nobilitatis. nomina. referebatur.
De-

Debebatur. hoc. ejus. virtuti.
Quæ. ſola. auſpicari. nobilitatem. poteſt.
Debebatur. ingentibus.
In. Potentiſſimos. Sueciæ. Reges. meritis.
Stat. ergo. digniſſima. Nobiliſſimæ. poſteritatis. Radix.
è. qua. enaſcuntur. Rami.
qui. animantur. ad. ingenium. ſuæ. ſtirpis.
At. in. illo.
vere. animo. &. virtute. Nobili.
Virtutes. quæ. in. aliis. ſingulæ. erant. ſingulares.
ut. non. unum. hominem. ſed. multos. in. uno.
aut. unum. multis. parem. nunc. amiſiſſe. videamur.
Parem. habuit. ad. omnes. fortunæ. vultus. vultum.
Privatam. etiam. frontem. oſtentabat. in publico.
Non. purpuram. induit. ut. pudorem. exueret.
deteſtatus. illos. qui. ex aliorum.
ignominia. nomen.
contentione. quietem.
tenebris. lucem.
quærunt.
qui. ut. latrones. & ſicarii. in. iſta. honorum. ſemita.
graſſantur.
Non. aliam captavit. auram. quam. quæ. à. Virtute.
aſpirabatur.
Adverſas. res. ceu. virtutum. materiem.
convertit. in. proſperas.
Optimus. Fortunæ. Faber.
Invidiæ. falce. uſus. ad gloriæ. meſſem.
Sed. nunc.
inſequitur. Nobilitatem. Immortalitas.
ſummum. gloriæ. complementum.
ANCHORA ILLA GENTILITIA.

alis. ſuis. ſupra. maris. procellas. elata.
in. cœleſti. ſolo. figitur.
Qui. aliis. leges. dicebat. CONSUL. JUSTUS.
cujus. faſces. erant. civium. faces.
qui. ad. legum. vivebat. placitum.
nunc. quoque. mori. viſus. eſt. ſecundum. naturæ.
legem.
quam. ſtatuit. Neceſſitas. non. admittens. legem.
Prætulit. illi. non. ſolum. ſecurim. ſed. &. inflixit.

LICTOR. MORS.

Sed. fallimur.
Triumphum. potius. de. mortalitate. egit.
ſuorum. humeris. &. hoc. capulo. delatus. in. Æternitatis. Capitolium.
Subſequuntur. Equi. arma. vexilla. inſignia.
Opima. mundi. ſpolia.
Triumphalia. ornamenta.

IO. PÆAN! IO. TRIUMPHE!

Lugent. tamen. omnes.
Corpus. hoc. &. ſuis. &. civium. vinculis. ſolvi.
Cui. omnes. obſtricti. erant. nodo. plusquam. Gordio.
quem. nunc. Parcæ. fatali. ſcindunt. forfice.
Longiores. illi. annos. &. ſecula. precabantur. omnes.
Sed. Mors. omnium. prævertit. vota.
Omnium. dimovit. calculos.
Dum. enim. annorum. numeros. nos. congerimus. &.
multiplicamus.
illa. ſubtrahit. &. dividit.
infelici. Arithmeticâ.
Oculos.

quos.

quos. clauſit. civibus. abſtulit.
qui. illum. gerebant. in. oculis.
Lacrymas. tamen. reliquit.
Neque. enim. ſicco. oculo. ſpectaret. Patria pupillam.
ſibi. exciſam.
Oculos. claudit.
ut. nunc. clauſis. oculis. videat. quæ. oculus. non. vidit.
verè. nunc. Lynceus. &. Argus.
tot. conſitus. ſtellis. quot. Argus. oculis.
Aures. obturantur.
ut. audiant. quæ. auris. non. audivit.
Patebunt. non. ad. Pythagoricum. ſiderum. concentum.
ſed. ad. ſuaviſſimas. Geniorum. voces.
Jamdudum. ad. mundi. ſtrepitus. velut. ad. Nili.
Catadupa. ſurdæ.
Os. elingue.
ſonat ῥήματα ἄῤῥητα
&. nunc. infantiâ. ſuâ. ſummè. eſt. diſertum.
Sed. fallitur. ſanè.
Quisquis. illum. verè. obiiſſe. putat.
Obeat ſanè. diem. ſi. ineat. ſecula.
Quod. diſpendium?
Obitu. ejus. mortalitas. non. vita. terminatur.
Qui. vixit. omnibus.
Nunc. quoque. vivit. in. omnibus.
Sibi. ſuperſtes. &. aliis.
Vivit. viva. in. Animis. vivis. viventium. ſepulchris.
ejus. fama.

VIVAT! VIVAT! VIVAT!

FATUM POETICUM
(aut ſi mavis)
ONOMASTICUM
In Funere
Viri Ampliſſimi & Clariſſimi
ANDREÆ TSCHERNINGII
Poëſ. Profeſſ. in Academia Roſtochienſi
celeberrimi.

Fatum I.

MagIſter AnDreas TsChernIng sILesIVs,
Eſt annus Mortis è nomine erutus
M. DC. LVIIII.

Fatum II.

Magiſter Andreas Tſcherningius, Sileſius, Poëta
Idem hoc vaticinium continet.

per anagramma ἔμμετρον
Surge, migra; Eliſias te in ſedes portat hic annus.

Epigramma I.

Mirare Lector: Vatis illud eſt fatum,
Caraque vocis triſte fatum & effatum;
Fatalis hic Vatum annus obtulit fato.
Diis illa viſa & ſic fuêre fata.
Hæc fata fatis veriora Chaldæis,
Fatuisque vaniſque orbium poli fatis
Fataliumque ſanctione ſignorum.
Cede ergo fatis, quando fixum habes fatum
Beate Vates, tuque marmoris lector,
Mirare Vatum ineſſe literis fatum.
Mirare fatum hoc inſimulque da votum.

Epi-

Epigramma II.

Excuſatio ad pie defunctum.

VEllem profundos ire pronus in luctus,
Turpeſque leſſus nænia quiritanti
Sacras in umbras fundere. Intimos vellem
Tibi ciere fontibus ſuis imbres,
Non falſus aſt inglorius tuæ laudis
Ebuccinator. Sed quid hoc? quid affligor
Ceu faſcinatus ſulphurisve divini
Pulſatus ictu. Nempe lacrymas ſupra eſt
Mœror nefandus victaque improbâ fati
Acerbitate Muſa noſtra tam grandi
Minor dolore eſt. Nec pia hæc poteſt eſſe
Miſeraque juxta: Namque ut officii primos
Pertentat orſus, illico riget pollex
Torporque dextræ inſedit & ſtupor menti.

In Obitum

Viri Admodum Reverendi, & Ampliſſimi

MICHAELIS WATSONII,

SS. Theol. & Philoſ. D. & in Kilonienſi Academia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & Politicæ Profeſſoris celeberrimi.

SIc novus his noſtris ſuccedis ſedibus hoſpes,
Watſoni, fato ſic retrahente, fugis!
Si præceps tibi vita ruit, ſic culmine ab ipſo
Labitur, atque diem terminat ante diem!
Laurea Pierides damnarunt ſerta cupreſsô,
Ipſeque nunc cytharam fregit Apollo ſuam.

Crudeles fuſis ulciſcitur imbribus urnas,
  Amiſſumque gemit turba novena decus.
Lympha loquax vatum ſubit auxiliaribus undis,
  Ac lachrymas inter non bene miſta fluit.
Tu caſus oculis metire madentibus iſtos
  Cimbria; nec leve nunc, Patria, vulnus habes.
Namque abit ille Tibi; cujus per ſecula nomen
  Exit, & in cujus nomine Pindus ovat.
Namque jacet, cujus ſteterat quoque gloria talis
  Publica: nam terræ conditur ille ſinu.
Qui mollem duxit per ferrea ſecula vitam,
  Ecce ſub hoc ſaxo ſaxea ſecla trahit.
Pars tamen illa tui minima eſt, quæ traditur umbris,
  Nec totus nobis, Vir Reverende, peris.
Ecce tuæ ducunt membranæ carbaſa, quæ nunc
  Fulta auris calami te ſuper aſtra ferent.
Irruis æthereos famæ talaribus orbes,
  Quodque animo quondam, nunc pede carpis, iter.
Nos vitam heic trahimus mediâ vel parte ſepultam,
  Omnia ſi non mors, plurima ſomnus habet.
At tu nunc vivis cœleſti ſede receptus,
  Æternosque agitas nunc ſine labe dies.
Carpis inexhauſtum divino à lumine lumen,
  Numinis aſpectu ſaucia corda gerens.
Deſpice, ſub pedibus totus tibi ſternitur orbis:
  Suſpice, quod videas, nil niſi numen habes.
Nil tibi nunc moritur. Sic vives, ô BONE, vives,
  Ipſe tibi ſuppar, ipſe ſuperſtes eris.

In Obitum

Viri Nobilisſimi, & Conſultisſimi

HERMANNI WERNERI,

Conſulis & Syndici Wiſmarienſium
bene meriti.

Ad

Filium mœſtisſimum,
Amicum ſuum optimum.

QUos Tibi nunc elegos, quos poſſum fundere leſſus,
Cum mihi nunc elegos qui canat, ipſe petam?
Dum ea fata fleo, propioraque funera ploro,
Vix poſſum in lachrymas totus abire tuas.
Dum mihi ſtat calido ſuffuſus vulnere ſanguis,
Felices vobis vix adhibebo manus.
Eſt equidem in numeris animi medicina ſoniſque,
Et medicam confert nobile Carmen opem.
At nunc indoctos cum veſtris miſceo fletus,
Et gemit ad gemitus inſcia Muſa tuos.
Publicus hic dolor eſt: quivis pro parte dolemus,
Et cumulat lachrymas Patria mœſta ſuas.
Illa quidem queritur: ſed Tu ſolatia præbes:
Nam nunc, quod de Te Patria ſperet, habet.
Quem nobis rapuit duri inclementia fati,
Hunc Tu (nam fas eſt poſcere) redde Patrem.
Mortuus hic totus non eſt, in prole ſuperſtes.
Tu vitam reparas illius: ille tuam.
Ille tibi nomen peperit: Tu redde Parenti.
Sic mortem prohibes illius: ille tuam.

Denique quid morti reſtat? quæ denique mors eſt?
Scilicet hæc mors eſt, ne moriare mori?
Vita parit mortem: Mors vitam. Circulus idem eſt.
Quod perit hîc, alio naſcitur omne modo.
Tu nobis eſto ſalvus: tunc incipit in Te
Quodam accreſcendi vivere jure Pater.

AD

Nobiliſſimum & Conſultiſſimum Virum

HENRICUM RUDOLPHUM REDEKERUM

J. U. D. & Prof. in Academiâ Roſtoch. Collegam & Amicum honoratiſſimum,

Nunc altera vice viduum mœſtiſſimum.

ELEGIA EXTEMPORALIS.

Quæ tam ſæva tuos exercent fata penates?
Quæ Tibi nunc fixæ ſtant, Redekere, cruces?
Ergone pro tumulo ſemper Tibi ducitur Uxor,
Lethalemque ſubit juncta marita torum?
Primus Amor periit tumulo Tibi conditus: & nunc
Ut viduus poſſes eſſe, maritus eras.
Ergò domum duxti, quam effers, illaque nupſit,
Ut nunc ferali ſit Tibi nupta togâ?
Vix ſacræ luxêre faces, & tæda favillas
Non vidit, vento flammam abolente, ſuas.
Non alios Hymen Tibi ventilat improbus ignes,
Quam quos erecto ſubjicit ille rogo.
Confundit Natura vias: quâ vita paratur,
Ex ipſo peperit funus amore Venus.

Ipſe ſuas virus miratur habere pharetras
  Ales Amor, ſua qui non pia tela dolet.
Heic Natura rea eſt; nondum jus illa Marito
  Solverat, ac iſto jure ligata fugit.
Debuit iſta ſacro cariſſima pignora lecto,
  Pignora perpetuæ ſigna probata fidei.
Sed quæ non genuit mortalia nomina mater,
  Nunc genita eſt CHRISTO Sponſa petita proco.
Paſcitur heic pia mens, & in oſcula diffluit Agni,
  Æthereusque piâ nunc face carpit Amor.
Dulcis Amor thalami tepuit vix igne novello;
  Nunc illi æterno pectus ab igne calet.
Hæc major nobis & mentibus omnibus exſtans
  Humanas ſecum ridet & odit opes.
Hæc per inacceſſos cœlorum volvitur orbes,
  Præſentisque notat lumina ſancta Dei.
Naturæ patet aula novæ, neque ſordibus ævi
  Squalet, vel ſenio carpitur illa ſuo.
Plenior in facie ſpecies divina refulget,
  Ingentis radios dum bibit ore Dei.
Exuit ille artus, terreſtria pondera, morbos
  Remigioque polos liberiore ſecat.
Non grave nunc Vitæ eſt ſpolium mortale caducæ;
  Illius infeſtâ mens ſine labe nitet.
Tu tamen heic tua damna doles, REDEKERE, tuoque
  Altius infixum pectore vulnus alis.
Ipſe tuos pateris manes cum manibus illis,
  Et capiti lucent ſidera ſcæva tuo.
Si poteras bis amore capi, bis jungere dextras;
  Diceris duplici nunc ratione miſer:
Namque novus veteres refricat dolor ille dolores,
  Ac animos luctus frangit uterque tuos.

Eſt

Eſt onus, in viduo vacuum latus eſſe cubili,
  Cum periêre joci, ſed meminiſſe datum eſt.
Mente etenim veteris remanent depoſta favillæ
  Non perimenda umbris ſemina, non & aquis.
Stant faciles ante ora ſales, ſtant oſcla, ſuſurri,
  Quos toties fidis auribus illa dedit.
Occurſant arcti deamatâ in Conjuge plexus.
  Labitur in ſe & ſe ruminat orbus amor.
Sic motore carens crebros agitata per actus
  Ignavum primum dat tibi tæda jubar,
Perque gradus crepero ſe nox interſerit igni:
  Priſca ſed in calidâ ſe pice flamma tenet.
Sed quid degeneres juvat hic ceciniſſe querelas,
  Et cœlo voces oppoſuiſſe graves?
Ne pete in amplexus, quam nunc amplectitur æther,
  Inque toros revoca per tua vota tuos.
Illa ſinu Divi felix requieſcit Abrami:
  Nec velit hæc ulnis nunc recubare tuis.
Illa Deo vivit formas oblita priores,
  Longè extra fluxas ſortis & orbis opes.
Nam quæ materies poterit ſupereſſe doloris?
  Nec rectè in luctum te pius armat amor.
Si pius ille Tibi eſt, franges pietate dolores.
  Neo pius à Cœlo rapta repoſcet amor.
Immatura doles dilectæ fata maritæ?
  Immatura Deo non ſolet eſſe dies.
Quæ roſa purpureo floret jucundior ævo,
  Carpitur, exuſtis ſpernitur illa comis.
Nec mors ſola gravis, ſapiens quam nemo cavebit,
  Morteque majores nos decet eſſe viros.
Quid non in toto morti patet orbe? peritne,
  Momentum nobis quodlibet hora, dies?

Noſque per ætates morimur, per luſtra, per annos.
Quantaque votorum funera mente jacent!
Eſt Natura ſui tumulusque uterusque, ſepulchro
Quod capit, in vitam concipit illa novam.
Vivimus in mortes, Vitam moriuntur in unam
Omnia, & interitu ſunt rediviva ſuo.
Per mortes alimur, vitamque alimenta propagant,
Milleque per mortes unica vita viget.
Quid mortes nos mille juvent, ſi denique nolit
Vita ſemel pro tot mortibus una mori?

IN EXEQVIAS
Viri Nobiliſſimi Strenuique
SIMONIS Dehnſi,
Militiæ in Republ. Lubecenſi Præfecti meritiſſimi,
à pede ſecto exſtincti.

*
* *

SIc Te non virtus, ſic Te non arma tuentur,
Dehnsi, ſic morti, Vir Generoſe, pates!
Qui mediis toties fortiſſimus irruis armis,
Obſtantesque fero disjicis enſe viros:
Quem nunquam potuit vel glans inimica, vel enſis,
Hunc indigna poteſt perdere cauſa virum,
Dum non auſa caput, non cor, non nobile pectus,
Mors, rapis incautos inſidioſa pedes.
Egregiam verò laudem! dum Militis ora,
Dumque times dextræ pondus, adire pedem!
Oribus ora, manus manibus conferre decebat;
Cauſaque tunc lethi milite digna foret.
Imbelles fata iſta decent, fugientibus apta:
Illis nempe pedem tolle, ſimulque fugam.

Impi-

Impiger hic quoniam ſtans vel pede pugnet in uno,
Ut cadat, exſectum tollis iniqua pedem.
Ante oculos toties te parte cavebat ab omni,
Ante ſuos poſitam non cavet ille pedes.
Dextra cavet gladio, galeâ caput undique clausâ,
Et triplici magnum pectus in ære ſedet.
Hac à parte fugit, ſequiturque pediſſequa tergum,
Et demum à pedibus mors tibi certa venit.
Ergò jaces; ſtatione tuâ mors ſubmovet atrox,
Metirique tuo te docet illa pede.
Quàm leve, mortali quod vitam corpore pellit!
Et pravè ſecto mors vel ab ungue venit!
Scilicet ut totus toto ſe corpore volvit
Spiritus, & quovis totus in articulo:
Integra ſic lethi tabes diffuſa per omne
Corpus, & in quavis integra parte latet.
A capite ad calcem morimur, perque omnia membra:
Ac uno degunt vitaque morsque loco.
Ac Tu quem gemimus, quem non truculentia Mortis
Sed caſus nobis abſtulit atque Deus,
Sis felix, longumque vale! Te patria plorat,
Præſidio quondam tuta Lubeca tuo.
Te Civis luget, Tibi tela ingloria miles
Veſteque tecta ſilens poſt ſua terga trahit.
Gloria non levis eſt: tibi ſuccubuiſſe tot hoſtes;
Te non mortali ſucubuiſſe manu.

IN. EXEQVIAS.

VIRI. NOBILISSIMI. ET. AMPLISSIMI.

HENRICI. RHANII. JCti.

STA.

STA. VIATOR.
EFFERTVR. ECCE. INDICTIVUM. FVNVS.
VIRI. DVM. VIVERET.
NOBILISSIMI. ET. AMPLISSIMI.
HENRICI. RHANII. JCti.
ANTECESSORIS. SENIORIS. IN. VARNIACA.
CELEBERRIMI.
ET. OB. CONTINVATVM. PROPE. PER. XXX.
ANNOS. MVNVS.
ILLVSTRIS.
CONSISTORII. DVCALIS. ASSESSORIS.
GRAVISSIMI.
VIRI. VERE. VIRI.
ID. EST. QVOD. MIRACVLVM. DICAS. BONI.
ET. VERE. ΤΕΤΡΑΓΩΝΟΥ.
QVEM. LACONES. VOCABANT.
DIVINVM.
NON. ILLI. SINON. IN. FRONTE. NEC. VLYSSES.
IN. PECTORE.
IPSA. ERAT. PROBITATIS. IDEA. CONSTANTIÆ.
IMAGO.
EXACTVM. PRVDENTIÆ. EXEMPLAR.
INTOLERABILIS. NVLLI.
NISI. QVI. TOLERARI. VEL. NON. POTERAT.
VEL. NON. DEBEBAT.
MORES. EJVS. OMNIVM. AMORES.
VERBA. NVLLI. DEDIT. NEQVE. VENDIDIT.
IPSE. VERO.
ÆTERNITATIS. AMANTIOR. QVAM. SECVLI.
VIVERE. NVNC. DESIIT. VT. INCIPERET.
TV. VERO. VIATOR. LVGE.
NON. MORTALITATI. EREPTVM.
SED. MORTALIBVS.
EGO. NVNC. IN. VNO. MVLTOS. DEPLORO.
PRÆCEPTOREM. COLLEGAM. IMO.
PARENTEM.

ADDO.

ADDO. ET. HOSPITEM.
ET. SVPREMO. HONORI.
METRA. QVÆ. IPSE. DOLOR.
TRVNCAVIT.
SCRIBO.

ΕΠΙΜΙΚΤΑ.

*
* *

SOlvitur in lacrymas tandem ſtupor, atque ſemiroſis
Prodit dolorem vocibus.
Invenêre viam longo ſuſpiria niſu,
Jam jamque profundi
Erumpent gemitus foras.
Muſæ ſine lege ruentes
Incedunt pede fracto,
Incomptaque confuſaque verba fortuitos
Inveniunt numeros.
Nam nunc nihil me, ſicut anteà, juvat.
Non unda Caſtalis,
Non plectra nunc amica,
Pro Pimplâ mihi nunc bibetur
Lacrymoſus imber humidique ſingultus.
Et ſtreperos ſuavi pro carmine nunc tinnitus
Diſſonantibus increpabo nervis.
Quid primum quid deinde querar
Devio calore raptus?
Meus heu! meus ille jacet!
Gloria noſtra jacet, noſter communis amor
RAHNIUS OCCIDIT.
Fortunate Senex, quas tibi nunc ſcribere nænias,
Quos tibi plangere leſſus
Incipiam? quem nunc miſerabilibus lamentis
Invido raptum funere lugent,

Queis

Queis amor recti pietasque cordi eſt.
Plorat & ipſa tuo viduata Academia nomine, tantis
Cladibus impar.
RARVM DECVS,
Non lethi fatale chaos;
Nec Lethe tacitis fluctibus obruet,
Quem pietasque fidesque poli ſuper aurea ſidera
Extulit egreſſum mundo:
Sed eſſe Te non ſenſibus obvium
Noſtris dolemus;
Quod Tui non ſit capax ocellus, auris, dextera.
Mente vivis, ipſa Mens, in Mentibus
Perviusque Mentibus,
Æthereasque potes poſt tergum ducere Formas,
Interque miſtus cœlites
AGNI-LEONIS maximi
Æterna carpis oſcula.

AD VIRUM
Magnificum & Nobiliſſimum
JOH. KOTHMANNUM
JCtum, & Principis Mecklenburgici Cancellarium,
SUPER OBITU
Filii deſideratiſſimi
ERNESTI COTHMANNI,
LL. STUDIOSI.

SEnſimus æthereos aliquando fortius ignes
Et ſtimulos vocalis aquæ: neque Caſtalis unquam

Tam jejuna ſuo porrexit pocula vulgo;
Seu noſtra ad thalamos ſtetit olim fiſtula; ſeu ſe
Imbrem in fœmineum & feralia murmura ſolvit.
At nunc de toto migrant Helicone ſorores,
Nec faciles in verba volant noſtriſque reſiſtunt
Protenus auſpiciis; ſilet ejuratus Apollo,
Tergaque muta feræ, nec jam propiore favilla
Mens calet & fruſtra Thymbræum Numen adorat.
Sic ubi Threïcius raptâ bis conjuge Vates
Baſſaridum thyrſos & inertes ſenſerat ungues,
Detractumque caput multum reſonante ſub Hebro
Eurydicen clamabat & Eurydice clamanti
Redderet Eurydicen: jacuit teſtudo ſonare
Neſcia, divini jamdudum pollicis expers:
Non erat, inſolitis qui flecteret artibus ornos,
Mulceretque ſacro ſalientes carmine Nymphas:
Tunc pictæ volucres tunc & genus omne ferarum
Induit effrenes habitus, tunc flumina, montes,
Sylvaque Byſthonii flevêre ſilentia plectri:
Tunc Pater intonſus; tunc & matertera cantus
Sopiit & cunctos juſſit reticere ſodales,
Quos idem nunc caſus habet, noſtramque refutat
Ille chelyn: tandem lacrymis & murmure mixtum
Ungueque demorſum dedit Indignatio carmen:
Dî! quænam eſt cœlo pietas? cur perditis alma
Nomina? quo ruitis? cur rerum congruus ordo
Vertitur & crudo mactantur funere Nati,
Qui proprii genuere ultorem funeris, ipsâ
Naturâ fugiente nefas? nunquamne cruentæ
Pauſa datur cladis? vultiſne exſcindere montem
Et vobis affine genus, quod veſtra frequentat
Limina congenitumque in cordibus æthera ſpirat?

Fal-

Fallacem ſortis genium! vah falſa Parentum
Conſilia & ſterili lactatas omine mentes!
Hoc moriente Patris moritur ſpes omnis & omnis
Gloria Caſtalidum, Pietas, patrimaque fibra
Et ſanguis non falſus Avûm: namque alta Parentis
His ſtetit, (incertis eheu!) fiducia talis,
Inque ſua quondam veſtigia poſtuma vidit
Progenie, inſtruxitque ſibi laudabile pignus:
Nil adeò puerile ſapit puer improbus altis,
Auſpiciis; ceu cui mento nix Troica oberrat
Longaque cretatos probat experientia vultus.
Sic ubi magnanimum videt inter plena juvencum
Agmina adhuc vacuâ mentiri prælia fronte
Paſtor & audaci per paſcua ludere ſaltu:
Nec minor, inquit, eris genitore, nec es modo noſtris
Degener armentis, & honos erit huic quoque tauro.
Nempe ſedet nobis incocta atque inſita Virtus
Patria & ingenitæ reſtant præſagia fibræ;
Nam neque quod tenui peniclo ſcribit Apelles
Schemata diſſimulat rerum: neque pinguia rura
Lappas producunt ſteriles, nec vinea ſpinas,
Nec Roſa decidui eſt genitrix Peſtæa liguſtri;
Nec leo producit catulos capreasque fugaces;
Nec leporem furibundus aper; nec ſtruthio pullum;
Non aſinus generatur equo; non anſer olori;
Nec Ganymedæo volucris Cithereïa furi.
Novimus & qui te jam primis ſemper ab annis
Cothmanni de ſtirpe ſatum invigilare paternis
Vidêre auſpiciis & ſpe majore patrare.
It Mons atque aſtris minitatur fronte ſuperbâ
Contiguus ſuperans impoſtum Pelion Oſſæ.
Dorſum immane, ingens; nam per convexa ſupinat

Non fidos greſſus. quoties Dea protulit altâ
Arce caput prensâque illum cum mole cadentem
Ægra tulit! quoties terebranti corpora dumo
Erravit male fulta manus & glarea presſit,
Pulvisque inſuetos tenero ore momordit ocellos!
Tantæ molis opus congeſtum aſcendere culmen,
Atque latus fulcire Deis & pellere nubes!
Aſt tanta anguivorus ſurrexit ad omina Livor
Pallidus ora tenus ſemeſarumque relinquens
Corpora ſerpentum: Quænam eſt, ait, iſta, furentes
Quæ fugiat fortuna manus? quænam abdita Tellus,
Quæ non tabifico marceſcat tota veneno?
Quæ noſtris exempta malis? COTHMANNIA abibit
Sic impune domus? fiet; moriemur inulti:
Ergo Cimmeriâ ſoror eſt de ſede movenda
Omnis? Erynnis io! ades intempeſta Megæra,
Tiſiphoneque impexa comas! agitate beata
Limina & immodicæ diſpellite ſemina ſortis.
Sic ait & ſævæ vomit infera toxica linguæ
Eripuitque Patri ſobolem lacrymasque reliquit.
O cæcas rerum ſortes! præviderat illud
Ante Parens rejcitque nimis matura juventæ
Ingenia atque catam juvenili in fronte ſenectam,
Cur toties ſancti bona damnavêre Parentes,
Oreque de tenero mentis documenta ſenilis
Verba nefaſta putant: licet inter denſa vagentur
Vota, tamen metuunt luctuque bonam ſpem truncant.
Scilicet exiguos ſtat vita ſuperſtes in annos,
Queis Natura breves præſcripſit ad ardua gyros:
Sæpius una dies florem quem vidit & Eos,
Aura ſub occaſum modo veſpertina retondit.
Ecce Therapnæum non per viridaria florem
Deji-

Dejicit Autumnus; dedit unus & abſtulit unus
Martius & Paphiis non vult ſociare roſetis:
Narciſſum haud æſtate leges, neque Theſtylis illum
Serpillo Cyaniſque & olenti junget anetho,
Quantillum eſt quod ſervat humi naſcentia fraga
Temporis! haud parcus feret inter fercla December,
Neu autumnales inter numeraveris uvas.
Ergo repentinos comitetur Gratia manes,
Et Pietas laniata comam Virtusque ſubacta
Planctibus & ſciſſo veniat Themis horrida peplo;
Namque illis COTHMANNUS abit, nam pulvere nigro
Clauditur Aonii quondam pars digna Roſcii.
Sis felix longumque vale; jam ſidera nomen
Inſcripsêre tuum; ſeu ſtas ubi candida Cygnus
Remigia explicuit, vel ubi eſt vicina bilanci
Virgo; tamen poteris dejectas cernere terras.

IN EXEQVIAS
INCOMPARABILIS THEOLOGI
JOHANNIS GEORGII DORSCHEI.

CONtinuant nunc fata neces & ſyrmate nigro
Incedit non una domus. Jam grandibus ora
Fœta ſedent lacrymis decumaniſque humida guttis
Lumina, nec tantos datur exantlare dolores.
Oſtendit mœſtas Academia noſtra Cupreſſos,
Et pullas myrtos, & amantes funera taxos.
Nec ſupereſt nunc ipſa ſibi, dum maxima perdit
Nomina, & infauſtis claudit ſopita tenebris.
Luximus ecce tuas & nondum eluximus urnas,

TSCHERNINGI, ô omni Vir longè excelſior ævo,
Nec thyrſo Invidiæ bacchantis denteque nigro
Tacte, nec obſcuro Vates claudende ſepulchro,
Cui nec caſca fides, generoſique ardor honeſti
Nec Pietas volucris fati tardaverat alas.
Vivit adhuc animis hæc flamma ſuperſtes & ægrè
Rore pio lacrymarum & honeſto diditur imbri.
Jamque alio rogus igne calet, majoreque flammâ
Paſcitur & pullâ novus heu caligine fumat.
Involvitque animos & ſacrum obnubilat orbem
DORSCHEANA cui fata ac illuſtre cadaver
Maximaque ingrato lugentur funera leſſu.
Mox aberunt exempla Viris, nunc protinus omni
Ibimus exequias Pindo, viduataque nobis
Secla manent, ſtabitque inhonoro nomine virtus
Et ſimulata Fides, dum magni nominis umbra
Paucorum eximiam è numero ſe pluribus addit.
Quo DORSCHEE fugis? quò præpetis alea fati
Te vocat? Ingenti titubantia ſecula fulcro
Exuis & noſtrum defraudas ſidere mundum,
Dum ſuprema ſacris convexa advolveris Euris
Sublimis ventorum alis & nube curuli.
Immoritur tanto genetrix ALSATIA luctu,
Turritumque caput, faſtigiaque alta Tribocum
Urbs præclara ſui jam ad buſta reponit alumni,
Vulneribus proſtrata piis. Jam Pruſia vadit
Lentior ac imo murmur lacrymabile fundo
Excitat, & mites temerat jam ſpiſſior undas
Ellus, nec ſocius jactat ſua cornua Rhenus.
Ipſa tibi tepidos fluvialia Numina fontes
Expreſsêre oculis, undiſque ſodalibus augent
Æquora. Sed tamen & primas in luminis auras

Te duxiſſe juvat; luctus ſolatia tanti
Sola manent, gemitusque ea gloria ſublevat iſtos.
Naſcentem Pietas vivis diſtincta Pyropis
Et violis, Amethyſte, tuis, viridique Smaragdo
Excepit, quæ parte poli deſcendit ab iſtâ,
Qua picturatis radians interlita gemmis
Surgit in æternos ædes adamantina ſoles,
Multa ſuper natâ diffundens jubila prole.
Tunc primum plauſus movet Argentina ſecundos,
Præſentitque Virum, qui nomina conderet illi
Aurea, Magnanimi tunc pulpita magna Lutheri
Exultaſſe ferunt, &, ſeu per amica ferantur
Templa, vel alta penes divini ſidera Manes
Graſſentur, pulchræ edicunt præſagia mentis.
Primum Anser cecinit ſacrati dogmata verbi,
Voceque Cygnæâ venturum dixit Olorem
Ante ignes, ô Papa, tuos: poſt ſecula tandem
Cygnus hic immenſis ſacra ſolvit vocibus ora:
Nunc Piscis non mutus erit. Jam verbera ſenſit
Impingenda tuis impar ſibi Zwinglius armis,
Jamque etiam inceſtum viſum eſt trepidare tribunal
Vejovis Auſonii, ac Acherontia pabula quotquot
Exſpuit ex imis teter penetralibus orcus,
Mangones Superûm; tunc Arrius adſecla Chriſto
Bellum inferre timet, nec ſacris impius undis
Obloquitur Sciolus. Triplices tibi Cerberus iras
Tergeminosque ferox rictus compeſcuit. Ipſe
Parcior infernus tunc intrat ovilia prædo.
Protinus implicitas mens explicat ardua dotes
Ordirisque ſenex juvenem, iuvenisque ſenectam,
Ætatemque facis dubiam. Tunc protinus intras
Arduus atque ipſi Te monti celſior infers,

O Superi! queis indiciis! Sic alta vagatur
Arbor, cui rigua ſuccus tellure ſubintrat.
Non illam Icarius furibundo dente Moloſſus
Rodit & urit hyems, ſed multo prodiga fructu
Confirmat cupidi præconia juſta Coloni.
Nulla mora eſt, & pulchra ſedet jam flamma medullis,
Atque pio movet igne animos: Tibi fama triumphos
Aſſerit, & ſimplex non ſufficit ad tua laurus
Tempora. Prima fuit mordere Epigrammate ſeclum
Gloria. Tunc triplices tria *κάππα κάκιϛα* coronas,
Et Papam Phaëthonta feris, commerciaque illi
Sacra negas, quæ ſacrilegus locat inſtitor, & jam
Venales ex aſſe polos ſemiſſeque ſignat,
Jam ſacra cuncta Deumque infami comparat auro;
Nec Monachos vis eſſe pigros talique notari
Crimine, cùm tumidi ventris ſub mole laborent,
Nec levis hunc portare labor, nec ſit minor illa,
Quam quæ cœliferis requieſcit ſarcina in ulnis.
Inde virum ad majora animas jam miſſa Popalis:
Vapulat & falſi ſuſpecta volumina Henochi,
Stupraque cœlicolûm: jam Bellarminus ad arma
Poſcitur, & ſua nunc DORSCHEO vindice, quaſſat
Bella ac arma minus. Jam Zachariana revolvis
Tradita, jam ternos teſtes, miteſque cruenti
Balatus agni, & magnæ miracula mortis.
Et fraudes, Calvine, tuas, temerataque Divûm
Fercula: quantum ſit, Divini Numinis artus
Atque ipſum prandere Deum: jam grandibus auſis
Cantatam ſuperis pacem, Chriſtumque Parenti
Majeſtate parem celebras, Chlamydemque ſacratam
Divinâ

Divinâ compingis acu, pulchroque refutas
Putrida Romanos venerantes oſſa cachinno.
It cœlo fama & pernicibus evehit alis
Tam celſi monumenta animi; Zephyrique faventes
Magna per intentum diffundunt nomina Mundum.
Nec latuit, GUSTAVE, tibi. GUSTAVE, beato
Qui diam turges ſuffer(c)tus numine mentem,
Ingenioque ſapis tantum ad cœleſtia nato.
Ergo pius te livor habet, tantumque volebas
Te decorare Virum, novaque addere lumina Varno.
At pia non tantis nimis eſt gaviſa Rhodanthe
Deliciis, & ceu facilis dedit Argentina,
Hæc peccat rapiendo Virum. Sed ſervat amica
Rudera & ingentes complet ſingultibus urnas,
Tantaque per ſeras ſparget ſua damna nepotes.
Ipſæ illum Charites diæ flevêre, Fidesque
Carbaſeum contuſa ſinum immortaleque peplum
Et pulchras lacerata comas. Tu, Maxime, cœlo
Ingredere, indictosque auguſtior ede triumphos
Nil mortale gerens ſuperisque ſimillimus ora.
Jam potes auratas poſt tergum ducere formas,
Sidereamque poli ſegetem, jam Tu jubar ingens
Præſentis perferre Dei totamque per æthram
Spargere ovantem animam ſperataque carpere ab agne,
Oſcla potes junctisque ligare amplexibus ora.
Sis felix & vive Deo bene paſtus amico
Infamen pertæſus humum ſortesque ſceleſtas.
Nos, (nam tota tui nobis non perdita imago eſt)
Hæc probitate tui ſolamur funera Nati.

Cygnea Cantio

Viri Nobiliſſimi & Conſultiſſimi

DANIELIS SANDOVII.

J.U.D. & Com. Palatin. in Patria mortui

HEi mihi quam rapidis devolvitur orbibus ætas!
Quam ruit effuſis Menſis & Annus equis!
Quam præceps hæc vita fugit, quam culmine ab ipſo
Labitur, atque diem terminat ante diem!
Triſte dedit nuper nobis *Sandovius* inſtar,
In medio cui nunc vita vigore perit.
Scilicet ipſe ſui præſenſerat omina fati,
Hunc ſibi fatalem cum vocat ipſe locum;
Hîc moriar: dixit. Tellus hoc patria corpus
Edidit, illa ſuum rurſus habebit opus.
Sic ait: aſt olli volat irrevocabile verbum,
Quodque erat in votis, nunc quoque fata probant.
Sic vicina ſibi meditatur funera Cygnus,
Anticipatque ſuos augure voce rogos.
Sic Tibi ferales edit mens præfica voces,
Metiriſque tuam nunc reſupinus humum.
Hæc Tu debebas magnæ tam frigida matri
Oſcula & amplexus ſic tulit illa tuos?
Hæc rota fatorum eſt, jamque orbis hic actus in orbem eſt.
Quæ vitam dederat, nunc Tibi terra rapit.

In Exequias

Baronum de GERA

quos Roſtochii terræ mandari curabat Facultas Theologica.

VIcturos cineres & non moritura Baronum
Funera Vandalicâ nunc tumulamus humo.
Partimur lacrymas & portio cuique dolorum eſt,
Et quâ parte venit plaga, cruenta venit.
Huc ades atque tuis illuſtria buſta querelis
Dignare, & leſſus incipe, Varne, pios.
Depoſitum tibi grande datur, maneſque verendos
Grata peregrinæ nunc tegit umbra Roſæ.
Quos ingrata ſuis â finibus arcuit olim
Patria, nunc facili ſuſcipit urna ſinu.
Sublimes animæ, cœlum ſine fraude petiſtis,
Et pietas vivis plena dolore fuit.
In Virtute ſcelus malè ſano quæritur Orbi,
Et pœnam probitas ceu inhoneſta luit.
O fugite, ô tam grande nefas, & linquite terras.
In vitio heic pretium eſt, in pretio vitium eſt.
Afficit exilio tellus & ſuſcipit æther.
Quis de mutatâ ſorte dolere velit?
Si ſapitis, miſeri mortales, poſcite vobis
Exilia & celeri hæc anticipate pede.
Exul erit cœli, quiſquis volet incola mundi
Eſſe, ac immundi ſarcina pigra ſoli:
Exulat à ſeſe pia mens, & tunc redit ad ſe,
Ut ſit in exilio Patria vera ſuo.

In Obitum

Theologi in Academia Roſtochienſi celeberrimi

JOHANNIS FRIDERICI König.

Scili-

SCilicet hæc ſacro Vati via Regia fatti
Panditur, & fati hæc ultima meta fuit.
Sic erat in fatis, Jovæ hæc arcana voluntas,
Et ſancti tumulus Varnus honoris erat:
Invidet hei! nobis te cœli regia Regem,
Et diadema novum ſpondet & aſtra poli.
Solus Rex Sapiens * (ſi tradita vera Sophorum)
Qui genus omne mali, qui ſcelus omne domat.
Jamdudum domat iſta tibi Sapientia mortem.
Sic Rex, ſic ſapiens cœlica regna ſubis.

* Stoicorum hoc erat παράδοξον μόνον τὸν Σοφὸν βασιλέα εἶναι.

Alluditur in priori carmine ad Epigramma, quod in orationem Inauguralem ejus de *Arcana voluntate actionum humanarum diſpenſatrice* conſcripſeram, quod hic addo.

SIc te fata trahunt Jovæque arcana voluntas.
Et ſancti ſtatio Varnus honoris erit.
Hæc animo reputas, & dum pro munere ducis,
Arcanum prodis voce potente Deum.
Cede Deo, fatisque viam pandentibus iſtam.
Namque arcana quidem, REGIA at illa via eſt.

In Funus CHRISTINÆ Bahren / ſub ipſo partu miſerabiliter exſtinctæ.

Carmen Extemporale.

ECce vacillantes invita in carmina crenas!
Non æquum tentemus opus: natat ore reſorptum
Munus

Munus & expreſſis miſcetur ſepia guttis,
Queis linimus tam triſte melos: ſe tota negavit
Caſtalis, & ſacros volucer pes condidit amnes.
Nam geminum ferale nefas, quod & ipſa refugit
Naturæ ſeries & vitæ doctior ordo.
Tæda rogis mutatur, & inter læta Diones
Munera functa cadit, gemini clauduntur in uno
Pulvere, quique Daphnen poſtes nunc infera taxi
Vimina habent, myrtoque juvat mutare cupreſſum.
O varias ſors docta vices! ſicne improba ſpargis
Crimina, ſic ipſa meſſem convellis in herbâ.
Vidi ego ſurgentem tenui cum cortice truncum
Primo vere vagos diſtendere in æthera ramo
Altius, & dixi: fies non degener arbor.
Parva mora eſt; ubi trux Boreas inſibilat altis
Frondibus & totam vellit radicibus imis:
Talis abit Matrona Viro: Cytherea ſacrarat
Lætos ipſa toros; nunc interrupit avara
Atropos & tumulos thalamis Libitina reponit.
Queis geniale Venus, nunc flebile præfica Carmen
Occinit immites humectans imbribus urnas.
Nos duraturo ſcribemus talia ſaxo:
Hic Mater cum prole jacet, duo pectora in uno
Pectore, nec proles poterat ſine matre perire,
Nec mater ſine prole: ambo ſibi culpa fuerunt.
Non tamen in culpa: facies rariſſima lethi.
Qui genuit, tumulo ſervit locus, & pia mater,
Quos genuit, vellet, ſi poſſet, promere fructus.
Nec potuit: Natura vetat, laceratur opacus
Embryo: ſed fruſtra: voluerunt funere jungi,
Quos junxit genialis amor, tellusque recepit
Una, & nativas eſt miſta favilla per urnas.

JUSTA

JUSTA INJUSTA

Quæ

HENRICO CLINGIO
S. S. Theol. Licent.

miſerabili caſu interfecto
parabantur.

Carmen Juvenile.

CLINGI, quid ſuperæ tentas falſarius auræ?
Dumque vires malefide cadis? truncusne refuſas
Cæditur ante comas? perit ipsâ meſſis in herba?
Surgentesne ſolet picea nox condere pallâ
Alipedes & adultam involvere limine lucem?
Num Veri ſucceſſit Hyems? Dii qualia cœptis
Fidimus & quantos agitamus mente coloſſos!
Non aliter tumidos properata cucurbita ramos
Erigit & gravidos plicat in retinacula ventres;
Nulla mora eſt, cum fuſa jacet; ſeu durior aura
Eruit; aut tenui lumbricus dente momordit.
Dira & Dura cano; mage plectra Hyrcana Leæna
Audiat & catulis Gangetica Tigris abactis:
Nec nautis nocitura chelys triplexque Virago
Demeret hos luctus, & qui fera ſaxa ſubegit.
Vah Vulnus! vah triſte malum feraleque ferrum,
Quod rapit invitam tam pulchro è pectore vitam!
En marcet facies, ſolidæ ſtructura juventæ,
Concidit & Tyrius manat per viſcera ſanguis.
Heic Pindi ſtat tota cohors exanguia coram
Membra videns, & quæ cingebat tempora lauru

Nunc

Nunc letho poſſeſſa videt, turba omnis in illum
Stat defixa oculos injuſtaque juſta parabat.
Sed ſtupet heu! & tota ſibi ſubducitur uxor
Fata inopina videns, penituſque loquelam truncat
Iſte dolor, videt heu reſupina quieſcere colla,
Utque ſuo toties junctum cum pectore pectus
Conſpicit: ah, dixit, cur non hæc pectora rupit
Iſte dolus? ſociis cur ambo haud condimur urnis?
Appendixque per ora hæſit, proleſque quiritans
Non reſponſuras incaſſum interrogat umbras,
Sic ſtetit ante ſuum perterrita Cypris Adonin,
Proque toris premit illa rogos; ſic flebilis Hero
Helleſpontæis ſubmerſos fluctibus artus
Luxerat; hic animus laniatum vidit Ophelten,
Dum ſerpentiferæ jacuit per littora Lernæ.
Aſt hic quem gemimus meliori veſcitur aurâ,
Et Divis commiſtus abit Patrique videtur
Ipſe ſuo; prohibete nefas & flebile carmen;
Non periit, præiit, non immatura ſubivit
Funera; ſed tergum maleſanis ſubtrahit Euris.
Sat morti maturus erat, qui mente ferebat
Fata diemque ſuum medioque in funere vivit.
Sis felix; nobiſque tuo da diſcere caſu
Vel deturbatam ſemper bene claudere vitam.

In Obitum
WESSELII Maken.
Studioſi.

PLangimus egregios hoc ipſo tempore manes,
Et damus emerito triſtia juſta Seni.

Et

Et vegetus Juvenis toti laudabile Pindo
Pignus diverſâ conditione cadit.
Fundimur in lacrymas: ſed nil niſi flebile reſtat,
Et parit innumeras mors ſine fine neces.
Hei mihi! non Pietas probitasque annique virentes
Poſſunt feſtinis frena adhibere rogis!
Occidit Aoniæ non vilis gloria turbæ:
Ceu quondam medio flos violatus agro.
I nunc & votis animum lactantibus imple,
I miſer, & ſpebus perge litare tuis.
I nunc atque hominum rebus confide ſerenis,
Hoc eſt perpetuum, quod meditare, NIHIL.
Punctum eſt quod celere diſterminat omnia caſu,
Unaque dat fines omnibus hora ſuos.

In Obitum

WEINHOLDI SCHRADERI.

VItæ eſt una dies & letho occumbimus uno,
Una patet Diti janua & una Deo.
Felix qui potuit fauſtam traducere vitam:
Namque eadem ſimplex non geminata datur.
Ah miſer, infrenes ſibi qui non vellicat aures,
Nec jubet injuſtos frena ſubire dolos!
Naſcimur & ſubito terris denaſcimur omnes,
Quantilla eſt Vitæ ſemita! quanta necis!
Queis Natalis heri eſt, hodie connubia, cras ſunt
Funera: tam brevis eſt ſemita, DISCE MORI.
DISCE MORI; Felix! cui hæc bene linea tacta eſt,
Hunc extrema manet gloria. DISCE MORI.

Hau-

Hauſerat æthercam NOSTER feliciter artem,
Dum coluit ſanctum ſed ſine fraude Deum;
Ergo abit & mundi ſatur & terreſtria ſpernens:
In cœlo patria eſt vera & avita domus.

In Obitum
HAINONIS
RIGII
Medicinæ Doctoris.

MOrborum quondam domitor cultisſime RIGI,
Deque alio felix funere Victor eras.
Nunc, hoſtis tandem de Te tulit iſte triumfum,
Et te nunc victum poſt ſua terga trahit.
Potio nil, nil herba juvat Podaliriaque arma,
Expellunt hoſtem pharmaca nulla tuum.
Expellas illum furcâ: tamen usque recurret;
Dum cadat in ſævas præda petita manus.

LIBER II.

INGENUÆ PIETATIS LACRYMÆ
SVPER
MANES CELSISSIMOS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
ADOLPHI FRIDERICI,
Ducis Mecklenburgici, Principis Vandalorum, Suerini, Razeburgi, Comitis Suerinenſis, Terrarum Roſtochii & Stargardiæ Dynaſtæ, Magnificentiſſimi Academiæ hujus Cancellarii,

Domini ſui Clementisſimi,

PRINCIPIS
PII. JUSTI. FELICIS. INCLUTI.
QVA. REGIMINIS. DIVTVRNITATEM.
AUGUSTI.
QVA. PROBITATEM.
TRAJANI.
HVMANI. GENERIS. DELICII.
PVBLICÆ. SALVTIS.
VINDICIS. GLORIOSISSIMI.
IMMORTALITATIS. ALVMNI.
largisſimè effuſæ.

EXpungat Natura diem, faſtisque nefaſtum
Eximat ac atrâ damnet loligine lucem,

Quæ

Quæ nobis ferale caput pullataque cœlo
Extulit indicia ac prægrandia funera dixit!
Funera, tot patrum & matrum lamenta piarum!
Funera, ſerorum ſuſpiria longa nepotum!
Funera, cœlitibus plorata ac omnibus aſtris!
Tunc aut Oleniæ fulſerunt ſidera Capræ;
Orionisve infamis apex; radiisve malignis
Miſcuit anguineos Phorcis truculenta capillos,
Quæque alia in noſtras contraria lumina terras
Peccantes ſtrinxêre faces flammasque nocentes,
Et ſcævo miſeras cruciarunt omine mentes,
Cum ſacer Orbis amor, cum pignus amabile cœli
Et nobis DVX MAGNVS abit. Nil extera noſtros
Affligit fortuna animos. propiora premunt nos
Pondera & Herculea ruimus ſub mole malorum.
Non tecum ſocios partimur, CIMBRIA, fletus,
CIMBRIA, magnorum domus invidioſa Deorum,
CIMBRIA, quæ ſtellis æquabas verticem & alto
Surgebas vaſtum menſurans æthere culmen,
CIMBRIA; ſed quæ nunc mutato nomine fies
CIMMERIA paulimque gradu in tua fata citato
Exitiumque rues. Non vos lugebimus almi
Ingentesque Viri, queîs pulchram occumbere mortem
Contigit ac ipſis media inter prælia in armis
Victrices efflare animas. Ignoſcite Mentes,
Noſtra alio nos cura vocat. vernacula nobis
Inque ſinu nutrita ſeges funeſta dolorum eſt.
Nos plagæ pars una ſumus. Subit impia noſtros
Nunc etiam fortuna lares, dum PRINCIPIS urnam
Et celſum flemus cinerem ac illuſtre cadaver
Iſtius Ducis, ô Ducis! ô Ducis! ardua cujus
Multum indignantes jactura remordet amores.

Omnis in hoc noſter creſcit dolor, omnis Adolpho
Spiritus & noſtræ tabeſcunt ſemina vitæ.
Nec ſolus, Friderice, peris. pars maxima noſtri
Mortem à morte tuâ ſumit ſequiturque feretri
Appendix miſeranda tui: neque publica tantum
Nunc loca mœror habet, ſunt hîc in pariete privo
Pallorque Lacrymæque & fœminei ſingultus.
Confremit ad fremitus æris quicunque & apertas
Triſtitiæ dat ab ore notas, multosque dolendo
Succubuiſſe pudet. Stans heic ingloria turba
Exanimes animos & lurida lumina ſervat.
Ceu cum fulmineos emittit nubibus ignes
Jupiter æthereoque inflammat ſulphure turres;
Aut furit in ſegetes; aut obvia corpora ſternit
Infando à ſonitu, paucos injuria tangit,
Omnes iſte metus. Sic fulmina funeris alti
In cunctos magno prorumpunt impete cives.
Te moritur moriente ſalus. Stat ſqualida Virtus
Divinas perpluta genas pulchrosque capilli
Suggeſtus lacerata immortalesque mamillas.
Nunc autumnali deſcendit cardine Virgo,
Heic, quâ cœliſecæ diſpenſant lumina lances,
In tenebras vergente die. Stat cœlica mater
Turgentes defixa oculos, fluit aurea palla
Ad ſanctum porrecta genu, ſed nulla vagantes
Caſtigat lex certa comas ac omnis amictûs
In luctum conſentit honos, non eſt ſua gemmis
Gloria, neve togæ remanet tenor unus, & aurum
Inſueto in lurore ſedet. Prolixus in ora
Et tepidus ruit imber inexhauſtusque cadit fons.
Ora tamen ſolvit quantumque haud lacryma voci

Angu-

Anguſtum præcluſit iter, ſic farier orſa eſt
Magnifico extremos ſuperaddens funeri honores:
Quid volvit ſacer ordo Deum, quantumq; propinant
Mundo fata nefas? ergo genialia poſthac
Aſtra colam & patrias ſemper religabor ad arces,
Nec curæ mihi mundus erit? Periit unica proles
Heu mea! quî poſſum terris nunc eſſe ſuperſtes
Crimine, Marte, dolo & violentâ fraude refertis?
Occidis alme tui, PRINCEPS, Sol gemmaque ſecli,
Norma fidei, veterum cenſura & regula morum,
Et Populi Pharos una tui, Cynoſura ſalutis,
Cœli delicium, terrarum gloria, Divûm
Progenies, Henetæ lux optatisſima gentis,
Nunc ſummi pars ſumma poli, cui tota patebat
Virtutum ſeries, & noſtræ munia Spartæ.
Sint qui Majorum longos ex ordine vultus
Pro Virtute citent, qui cerâ ſtirpis avitæ
Indice, non ferro, ceu nomina vana, triumfent,
Qui monſtrent tot monſtra ſacri cælata Parentis
In Clypeo fractisque tot atria plena figuris.
Quid jactant Aquilas imbelles ſæpe columbæ?
Quid Pardos mentitur Ovis Leporesque Leones?
Nî mens intus erit calidusque ad grandia facta
Spiritus, ut dignos exornes gloria faſces.
Quid valet in ſcuto fortisſima telua, quando
Degener eſt animus? quem picturata juvabunt
Sidera, ſi pigro ſemper ſub pulvere repet?
Te fecit Natura Ducem, tibi ſcripſit in ipſo
Virtus ore notas, geſtaſti inſignia fronte:
Lucidiora puer, ſparſit præſagia vultus
Egregia eque tuo ſplendebat lumine magnum
Numen & ingentum ſeries longisſima Patrum.

Te molli fovi in gremio, Friderice, meæque
In lucem traxêre manus & nectareum lac
E fonte immulſi gemino. Nempe ardua cuncta,
Nîl vulgare fuit, ſpondebant omnia celſos
Argumenta animos, nîl hîc mortalia ſpirat
Ingenia. In ſcitos conſpirat gratia mores,
Totaque formoſi compages corporis omne
Allectat ſtudium & taciti ſuffragia vulgi:
Nam vel femineum poteras tunc fallere ſexum,
Nî gravitas te maſcula proderet & majeſtas.
Eſt quædam ſub fronte fides, quam fallere ſemper
Pernegat indubii certa experientia veri.
Excipiunt pulchrum pulcherrima tecta colorum,
Nec quis ſemper erit cute cygnus, pectore corvus.
Proſilit ex oculis interpres plurimus: hîc ſe
Explicat & totam retegit mens intima ſcenam.
Vix Tibi majores infantia ceſſit in annos,
Vix dederat Natura loqui matremque crepare,
Cum ruis in Latii penetrale & ab ore Quiritum
Dependes linguæ ſcrutator ſedulus. Et jam
Arma libris ſociare cupis, jam Marſpiter in Te
Atque ardor generoſus agit, ſtrepitusque virorum,
Tympana & ignivomi delectavêre boatus.
Jam variâ doctas informas lege machæras,
Arteque fortunam ſuperas capuloque ſagaci
Detorques vanas eluſæ cuſpidis iras.
Mox intermiſſas revocas ad ſigna Camœnas;
Seu tibi Grajorum virtus; ſeu maxima Roma
Diſcitur & toti notiſſima limina mundo.
Hinc tibi Pellæus ſub lumina ponitur Heros:
Dux Naſamoniacus: Duplicis Chironis alumnus:
Priamides Laertiadesque & fortis Atrides

Et

Et Patris Æneæ pietas. Hinc Cæſaris arma
Victriceſque aquilas & formidata remotis
Gentibus imperia ſpectas, hinc fulmina belli
Scipiadas Decioſque & nomina magna Camilli,
Prudenteſque moras Fabii, famamque Metelli,
Torrentem rapas Curium parvoque beatum
Fabricium, donis qui nunquam victus & armis.
Hinc Cincinnati trabeas miraris, aratro
Quem meritus ſubduxit honos erectaque mentis
Nobilitas & caſca fides moreſque vetuſti,
Scauroſque & Paulos, Marcellos atque Catones:
Aſt ſimul in turpes, ſeclorum opprobria, Strumas
Invehis ac ultore coërces pollice, ſi quæ
Sub cautas venêre manus fera crimina, honeſto
Non toleranda viro nigroque notanda lapillo.
Seu Syllam aut putidum convellis vibice Verrem;
Seu Catilina ferox tibi vapulat, arma potentem
Qui tulit in Patriam matriſque in viſcera magnæ
Sæviit & ſcelerato incuſſit vulnera ferro:
Seu Nero, qui cœcâ Ditis de ſede ſub auras
Prodiit infauſtæ monſtrum execrabile terræ.
Talibus auſpiciis ſic per latiſſima laudum
Compita ferventi graderis conamine, ab omni
Secluſus vulgo. Jam cœperat æmulus ignis
Et Fibras adolere & honeſtis urere flammis,
Et nullo vis eſſe minor. Componis ad hornos
Antiqui mores ævi; quodcunque meretur,
Servas omne Tibi, ſi quæ non digna putantur
Rejicis infamique refutas ſæpe liturâ.
Nam veterum decus omne ac omnia nomina recti
In Te conveniunt conjunctaque fœdere miro
Inter ſe coëunt. Aliàs diviſa receptant

Mortales ſemper bona largaque munera Divûm
Diſtinguunt pro parte ratâ: Cui rara venuſtas
Et multi frons eſt pretii, ſæpe intus inepti
Monſtrum alit ingenii: cui mens bona, corporis illi
Fœdum erit induvium: quem laudant ſtemmata, ſegni
Facta notant maculâ ac ignava oblivio damnat:
Cui felix armis manus eſt, hunc ſæva triumſat
Barbaries: Alius Pacis peramabile donum
Turpibus immergit vitiis. Te plenior ornat
Omnigenæ Virtutis honos. Mortale cerebrum
Non capit hunc genium, quantumq; ex æquore tanto
Haurit, id affluxus penſat numeroſior & tunc
Mole ſuâ immenſis laudem ſuffocat in undis.
Eſt ſatius, ſi nîl-nocitura ſilentia ſanctâ
Hunc pietate colant, quam ſi illaudabile carmen
Quis, ſive infantes agat in præconia linguas,
Sacrilegâque velit miſerè hæc deradere limâ.
Sum Dea, ſed ſuccumbo tamen, nec ſufficit iſti
Unica, quantumvis divina eſt lingua, labori.
Sique tuas Heros Celsissime ſcribere dotes
Quis velit, huic mare ſepia ſit cœlumque papyrus.
Non ſecus Actæi populatrix aurea Hymetti,
Cecropium ſi quando thymum caſiasque virentes
Et fragrans Thymbræ genus & ſpirantia late
Serpylla & Cythiſum florentem & te prope natum,
Cydne, crocum, tenero delibat ſpiculo olentes
Extractura animas, incertas circinat auras,
Spemque ſuam motis dubitans circumvolat alis,
Neſcia, quam primo velit herbam invadere, quamque
Poſtremo ſuxiſſe loco: nam diſtrahit agmen
Ipſum & nutantum ridens laſcivia florum.
Sic tua, Dux, per facta vagor. Repetamne potentes

 In

In ſera bella manus & ovantis pondera dextræ?
Cum Tu, ceu Patriæ vindex juſtisſimus, hoſte
(Cujus inhumanis heu! MATER VANDALA vinclis
Ingemuit Tibique infando tunc crimine pulſo)
Magnanima rabie ſacroque furore, retuſo,
Aptabas capiti juſtas ex ordine laurus,
Teque dabas rurſus populis. Id ſidera norunt,
Et melius me Fama canet longævaque condet
Poſteritas: ſed nunc tantum proſperrima dicam
Imperia & quali frenabas omnia nutu,
Quem multum metuendus amor decorabat amandusque
Ipſe metus grato moderamine miſcuit: Acres
Namque favori iras interdum & præmia pœnis
Intexens, juſta cenſebas illa bilance.
Publicum erat munus tibi, frons privata: ſerenum
Sed poterat tamen illa Jovem cœleſteque ſolis
Exæquaſſe jubar vultusque fovere minorum.
Eſt informe genus; ſeu Cerberus ore trifauci
Exſpuit; Eumenidumve ſatum eſt de ſtemmate; ſive
Lacryma, quam Phariâ ſtillat crocodilus in algâ
Materiem monſtro ſuffecit. Februa nulla
Expurgant tam grande nefas. His vitrea ſplendet
Ore fides, falſique trahunt ſub imagine recti
Sperantes nequicquam animos. Opobalſama ſervant
Linguâ at Theſſalicum latet his in corde venenum.
Has Tu fatales aularum Orbisque ruinas
Sentinasque hominum Stygiæque impura paludis
Germina vipereo vitaſti cautius ictu.
Callebas, quonam retro ſublapſa ferantur
Regna gradu, queisque auſpiciis ad culmina tendant.

Sciviſti pulchro ſemet ſuperare triumfo.
Larga fuit manus; at luxus damnabat inanes.
Tu leges & jura dabas, patuitque repulſis
Fraudibus Aſtrææ fulgor. Te Judice nunquam
Aurea torquebat torques Themin. Omnia plana
Omniaque arbitrio poteras componere grato.
Et licet in laudes minor iret fama tuumque
Sopiret prælustre decus; tamen ardua reſtant
Nomina NATORUM. Tantos genuiſſe beatum
Te, ſine Te, faceret tacitisque educeret umbris.
Semideos dicas omnes: Non carmina talem
Fingunt Mavortis vultum, cum fulminat inter
Veſanas acies. Non tanto numine Achilles
Obſtantes rumpit cuneos & in arma penetrat
Pellæus Juvenis. Si mitia lumina ſpectas,
Optaſſet talem crinitus Apollo figuram.
Hos inter, CHRISTIANE, micas, CHRISTIANE, paternæ
Virtutis ſimul imperiique ô nobilis heres,
Summe Ducum, ſummi prægrandis portio cœli,
Sol oriens, ſpes una Deûm, ſpes una tuorum.
Me totam ſacrabo tibi. Nunc æthere lapſum
Cernite Palladium. Vos hic tutabitur HEROS
Dignus, cui totas Orbis concredat habenas.

Dixerat hæc PIETAS lacrymisque per ora profuſis,
Ter repetitum addit buſtis VALE & æthera tranans
Continuata leves veſtigia traxit in auras.

IDYLLION ADONIS

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. GUSTAVO ADOLPHO,

Duci Mecklenburgico, Principi Vandalorum, Sverini, Razeburgi, Comiti Sverinenſi, Roſtochii & Stargardiæ Dynaſtæ,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO, GRATIOSISSIMO,

cum acerbiſſimas celebraret EXEQUIAS UNICI FILIOLI

CELSISSIMI PRINCIPIS

DN. JOHANNIS,

Uti paſtoritiâ ſimplicitate concinnatum; ita ſummâ humilitate oblatum.

*

* *

IDYLLION ADONIS.

Sylvanus & Thyrſis.

ET tu, Thyrſi, potes tanto ſupereſſe dolori,
Et Phyllin reſonare tuam? ſolusne tot inter
Liber agis gemitus: Tun' Bacchanalia ſolus?
Et neſcis commune malum, Bromiumque celebras
Fœcun-

Fœcundos inter calices ſpumoſaque in orbem
Pocla rotas? Tibi multa ſonat ſub pollice ſyrinx,
Multiforisque cavo dependens fiſtula ventre
Preſſante inflatur cubito, neç damna moraris
Publica: plorat ager, plorant in ovilibus agni,
Et lapides plorare putem. Jam proximus Ægon
Ardet & hanc unam vix ſervat de grege capram:
Cetera miles habet. miſeram peregrinus Amyntas
Jam legit ipſe ſtipem, quamvis Cerealibus illi
Horrea fœta bonis, quamvis numeroſius illi
Balaret per rura pecus: nunc omnia Mavors
Diripit & miſeris male diſturbatur in agris.
Sed premimur graviore malo, ſtupet ipſa loquenti
Lingua rigentque comæ, queis ô queis numina læſa
Nos ſervant fatis miſeros? perit almus Adonis,
Maxima poſt Daphnin cura & gregis unica noſtri
Spes & Paſtorum tutela decusque ſuorum.
T. Emorior Sylvane; ut cum ſua fulmina mittit
Jupiter & auram findit ſacra dextera quercum;
Tunc ſubter qui forte ſtetit, pavet, horret, & ut ſtat,
Immotâ magis eſt immobilis ilice Paſtor.
S. Non ego combuſtas ſegetes, non perdita tantùm
Ploravi ſata læta miſer, non grandinis iram
Inſidiasque Lupi vaſtataque milite rura;
Quantum nunc meâ Muſa ereptum plorat Adonin.
T. Tolle Puer Cyathos & denſis mixta choreis
Carmina; ſola ſonet triſtiſſima funera buxus.
Omnia nunc lacrymis & funereis lamentis
Inſurgant, raptum dum flemus funere Adonin.
S. Illum muſcoſi fontes, armenta gregesque;
Paſtorumque omnis chorus ac incurvus arator;
Semicapri hunc Panes, hunc montivagi Satyriſci
Flebant: nec noſtrum ſoli ploramus Adonin.

T. Quis

T. Quis tibi tam ſævo clauſit tua lumina ſomno,
O divine puer? magnus te luget adeptum
Daphnis. Marmarici flerent tua fata Leones,
Et nemo ſiccis ſpectarit Adonin ocellis.
S. Daphnis amat mea rura, meum pecus atq; myricas,
Daphnin amant mea rura, meum pecus atque myricæ.
Daphnin amabat Adonis, Adonin Daphnis amabat.
Nos utrumque: ô quam charum ploramus Adonin!
T. Ornat equus campos & equum juba pulchra gregemque
Dux Aries, illum recubans in gramine paſtor,
Paſtores magnus regnans per ovilia Daphnis,
Daphnin Adonis: ô quam charum ploramus Adonin!
S. Ergo & ſaxa fleant riguisque è fontibus ortas
Marmora deducant lacrymas, ſtent ſqualida luctu
Rura novo juſtisque accedat fletibus æther,
Atque omnis tenerum Natura queratur Adonin.
S. Te Puer, alma Venus pennataque luxit Amorum
Natio, & ipſe ſuos arcusque faceſque Cupido
Abjecit; lugent Dryades triſteſque Napææ,
Et commota ſonant revolutum littora Adonin.
S. O mihi ſi quondam licuiſſet cernere Adonin
Paſtorum dare jura choro, ſi maxima quondam
Vibraſſet tua dextra pedum, tunc ô ego quantum
Et quantum cuncti ceciniſſent Euge Magiſtri.
T. Aſt ubi nunc levibus ſpes ſpargitur irrita ventis,
Occidit, ut teneri ſubtracti matribus agni,
Ut flos ante diem, ſuppreſſaque gramine primo
Meſſis & hinc miſeri repetunt lamenta Magiſtri.

S. Dulce

S. Dulce ſatis humor, pecori paſtoribus umbræ,
Flos apibus, Florique tepor, cityſusque capellis,
Sol oriens ſegeti, maturæ pampinus uvæ:
Dulcior hiſce tamen fuit omnibus almus Adonis.
T. Triſte ſatis grando, pecori & paſtoribus æſtus,
Progne apibus brevipesque merops, Lupus ipſe capellis,
Tempeſtas ſegeti, naſcenti frigora viti:
Triſtior hiſce tamen tuus eſt hic caſus, Adoni.
S. Tu mihi nobilior violis, Puer, & mihi pomis
Mitior aureolis, tu verna lenior aurâ,
Floreque Sambuci niveo fragantior, ô ſi
Te amplectar, viburna velut lentiſſima ſepem!
T. Tu mihi candidior cygnis tibi vultus amœnus;
Ceu cum ſtat ventis placidum mare & æther apricus,
Et ceu pulchricomis diſtincti floribus horti.
Talis eras. Iſthæc nunquam revidebimus ora.
S. Pulchra tuis malis livebant mala, genæque
Certabant ebuli baccis ceraſoque, quod album eſt.
Nunc jacet altus honos, veluti cum grande ſupinant
Lilia quaſſa caput ventisque inciſa liguſtra.
T. Ut tepidum è fago bibitur lac, qualis opaca
Rivus agit teneros fugiens per rura cachinnos;
Qualis populeo ſuſpirat populus ictu;
Talis blanda tua fundebas ſibila linguâ.
S. Qualis lana nitet, guttas quæ noctis odoras
Imbibit atque crocum; talis tibi, pulcher Adoni,
Cæſaries. Placidas ſibi connivere columbas
Qui vidit, vidit tua mitia lumina, Adoni.

T. Quan-

T. Quantùm cupreſſus corylos, vilemque ſuperſtat
Fraxinus alta rubum, proſtratam populus algam,
Lenta ſalix calamum; tantùm tu, maximè, cunctos
Anteibas pueros, puer, ævi gloria noſtri.
S. Sed quò nunc, ô Adoni, fugis? cum ſubtrahis alma
Lumina, nunc omnes ſterilis nox obſidet agros,
Spinaque cum tribulis vacuis dominatur in arvis.
Reddite ſubreptum bona reddite ſidera Adonin.
T. Quæ tandem invidia eſt, ſi peſſima fugit Adonis
Secula? ſunt & ibi divinis paſcua campis,
Heic ſecura agitat cæleſtibus otia in arvis.
O retinete almum retinete ô ſidera Adonin.
S. O Terræ! ô Sylvæ! ô Fluvii! date queſtibus aures,
Et ſingultiat erumpentes pectore voces
Omne genus, triſtiqùe ſonent hæc verba querelâ:
Reddite ſubreptum, bona reddite ſidera Adonin.
T. O cœlum! ô æterni ignes! date plauſibus aures,
Et nova nunc veſtro confundite jubila civi.
Heîc veſter pulchris complet nemus omne choreis.
O retinete almum, retinete, ô ſidera, Adonin.
S. Abjice, Thyrſi, pedum. Solæ per devia capræ
Errent. Paſcantur miſeri ſine lege juvenci,
Et quantum poſſunt, tantum clamoribus inſtent:
Reddite ſubreptum bona reddite ſidera Adonin.
T. Ille videt noſtras de cœli culmine turbas,
Suppoſtosque ſibi præclaro ſidere campos
Mitigat & noſtris lucet clementior agris.
O retinete almum, retinete, ô ſidera Adonin.
S. At Tu ſi noſtris obturas fletibus aures,
Et fruſtra es clamatus Hylas; ſi Numina noſtras
Non curant irata preces, ſpernuntque petita;
Reddite ſaltem alium bona reddite ſidera Adonin.

T. Numi-

T. Numina DAPHNIN amant, divorum gloria
DAPHNIS,
Cœli delicium ſolisque comantis imago.
Servabunt noſtrum ſervabunt ſidera DAPHNIN.
Reddent nunc alium, reddent bona ſidera ADONIN.

MONUMENTUM
DN. DETHLEVI ab ALEFELD,
DOMINI IN Heiligen-Stätten & Krumendieck.

ÆTERNITATI. S.

* * *

Lege. Viator. &. Luge.
Cimbricæ. Nobilitatis magnitudo. in. exiguum.
cinerem. heic. contrahitur.
Naturæ. nomen. ſolvit. maximum.
Cimbriæ. Nomen.
DETHLEVUS ab ALEFELD.
Cui.
Ne. vivus. immortalitatem. anticiparet.
Præmatura. mors. repræſentavit.
Illuſtrem. proſapiam. jam. à. puero. ſapientiâ.
reddidit. illuſtriorem.
Majorum. ſuorum. imagines. vaporibus. ſeculi.
noluit. eſſe. fumoſas.
Nobilitate. uſus. pro. elemento. modeſtæ. Virtutis.
non. pro. alimento. ignavi. faſtus.
Maluit. ſuo. lumine. radiare. fixum. ſidus
quam. alieno. Planeta.

Omnes.

Omnes. in. uno. Majores. legebantur. &. ligabantur.
&.utramq;.Genealogiæ. paginã. unus. compaginabat.
Fortunæ. nihil. unquam. debuit.
Quam. ille. ſibi. fabricavit. ingenio.
Ut. ſe. verum. Microcoſmum. oſtenderet.
plurimas. Orbis. partes. ſuas. fecit.
peragrando.
Italiam. Belgium. Galliam. Hiſpaniam.
In.quo.ſe.verum.Philoſophum.Peripateticũ.exhibuit.
Quod. ubi. feliciter. ceſſerat.
Electus. fuit. qui. Cimbrum. Principem. duceret.
Qui. viam. iſtam. quam. ipſe. iverat. velut. Hermes.
quidam. monſtraret.
Ducis. ſui, Dux. Solis. ſui. Phosphorus.
Sed. nunc. eheu! in. ipſo. Solis. ſui. ortu. Heſperus.
Hinc.
Sapientiæ. ſuffragio. evectus.
Ita. honores. aſcendit.
ut. omnia. infra. ſe. poneret. ſe. infra. omnia.
ut. infra. ſe. ipſum. conſiſteret.
quem. Virtus. efferebat. ſupra. omnia.
Publicum. Conſiliarii. munus. illi. dabatur.
quia. publica. in. eo. mens. reſidebat.
Provinciæ. Senator. audiebat etiam. juvenis.
Nunquam. ille. Fortunæ. velificans. favonios. tamen.
ejus. ſenſit.
Sed. cautè. tamen. cautes. illius. vitavit.
Bene. ille. malis. proſpexit. dum. mala. proſpexit.
Conatus. invidiæ. vel. eludens. vel. elidens.
Infeſta. &. infauſta. illi. erant. auſpicata.
Virtus. enim. in. exemplis. poſita. emicat. dum. dimicat.
Exemplis. aliorum. didicit. ſuo. docuit.

Utriusque.Fortunæ.&.Doctor.&.Diſcipulus.
Speculo. ſimilem. dixeris.
Quod.etiam.in.partes.fractum.eundem.vultum.
repræſentat.
Quamcunque.ille fortunam.oculis.inconniyis.
intuebatur.
Calcavit. eam. ne. calcitraret.
Reip. Commodo. Argus. oculatiſſimus. invigilavit.
Ut. illi. proſpiceret. in. ſuo. cœcutivit.
Aliorum. providus. immemor. ſui.
Explicabat. implicata. Conſilio.
Animorum. impetus.
inclinabat. eloquentiâ.
frangebat. vehementiâ.
prævidebat. prudentiâ.
eventus. præveniebat.
fines. proſpiciebat.
Integræ.ſemper.Virtutis. erat. in. ſeculo. corrupto.
Et.quamvis.morbis.continuis. fractus.
robuſta.tamen.Orbi.Cimbrico.latera.ſuppoſuit.
Dum. nulli. placere.voluit.nulli.diſplicuit.
Publicos.mores.ſuis.prudenter.temperavit.
Tertiâ.ſeculi.parte. ea.egit. quæ. triſeclisenex. Neſtor.
non. ageret.
Ut. paucis. multa. dicantur.
Implevit. ea.
Quæ. capere. poteſt. mortalitas.
Ita,tamẽ.humana. tractavit. ut.divina.non.negligeret.
Sed. proh.dolor.
Dum. ætas. hæc. matureſcit. marceſcit.
Lectulo. ſuo. affigitur. ceu. cuidam. equuleo.
vivo. in. corpore. ſepultus.

Hîc.morbos.quotidianos.tortores.habuit.
ut. morti. paulatim. aſſueſceret.
Generoſus.igitur.&.liberrimus.animus.ne.fibris.
quidem. ſuis. ligari. voluit.
Cancellis.corporis.effractaria.mens.evolat.
Qui.vitam.nunquam tenerè.amavit.mortem.nunquã.
ignavè. timuit.
fatis. venientibus. ultro. occurrit.
Norat. enim.omnia.nata. ad. mortem. eſſe. damnata.
&.poſt.omnium.mortes. ipſam. mortem morituram.
Obiit. ergo. ſibi. tempori. ac. invidiæ. ſuperſtes.
Obiit. non. ſuo. ſed.Cimbriæ. fato.
Vixit. Naturæ. &. patriæ. parum.
ſibi. &. gloriæ. ſatis.
Habuit. Patria. in. eo. Filium.
Quem. etiam. inter. Patres. ſuos. numerabat.
Ille.

Patriam. &. Filiam. habuit. &. Matrem.
Quæ. adeò. illum. amavit.
ut. hoc. Aprili. uterum. ſuum. aperiens.
ad. novum. partum. receperit.
Ergò.
Ut.terræ filius.moritur.ut.cœli.filius.mori. deſiit.
Primus.iſte. lapis. eſt.quo.Vitæ.decurrere.ſtadium.
incipit.
Mundi. transfuga. Dei. miles.
Occumbendo. non. ſuccubuit.
Feretro. ceu. Feretrio. ſpolia. ſua. detulit.
pro. Mauſoleo. nactus. Capitolium.
Nihil. ejus. miſerandum. in. morte.
Cujus. in. vitâ. invidenda. fuerunt. omnia.
Ille. nunc. extra. mortis. tela. poſitus.

 Suas.

Suas. lacrymas. in. alienis. oculis. ridet.
HAVE. VALE. Anima. Mortalibus. curis. major.
Nobis. deſiderium. &. dolor.
HAVE. DETHLEVE. DEO. DILECTE.
Omnibus. erepte. nulli. mortue.
Cujus. ætatem. ſi. meritis. metiremur.
plus. ſeculo. vixiſſet.
HAVE. longiore. vitâ. digne. niſi. dignior. fuiſſes. æternâ.
Ipſa. tibi. parentat. Pietas.
Et. ad. lacrymarum. clepſydram. perorant. Amores.
Nos. Tibi. hîc.
Æternæ. Lucis. diem. exſpectanti,
dum. illuceſcat.
Hoc. ſpei. monumentũ. merenti. mœrentes. ponimus.
Tu. abi. Viator. &. diſce. hoc. Oraculum.
Naſcimur. Tempori. morimur. Æternitati.

GENEROSISSIMO. DOMINO.
HENRICO. A. QVALEN.
MAGNO. CIMBRICÆ. NOBILITATIS. ORNAMENTO. ILLVSTRI. SIDERALIS. SCIENTIÆ. SCRVTATORI.
ORBIBVS. ÆTHEREIS. REDDITO.
POSTQVAM. OMNEM. SVAM. SVPELLECTILEM. MATHEMATICAM,
IN. NOVO. APOLLINIS. TEMPLO. DEDICAVERAT.
EXIGVVM. HOC. MAGNARVM. VIRTVTVM. MONVMENTVM.
IN. GRATI. ANIMI. DOCVMENTVM.
SACRVM. ESSE. VOLVIT.
ACADEMIA. KILONIENSIS.

Ex-

EXſpiras tandem & cognatis redderis aſtris,
Et magno raperis per tua ſigna gradu!
Illa Tibi toties radiis ſignata coruſcis
Limina præſenti lumine tota patent.
Qui raptat ſtellas cœlique volumina torquet
Spiritus ingenium movit & ipſe tuum.
In cœlo ſic vivus eras, quod mente petebas;
Ipſeque nunc orbes poſt tua fata moves.
Quos oculis quondam, pedibus metiris & ulnis,
Teque Ducem ſequitur Signifer ipſe ſuum.
Errantes inter certo Tu tramite ſtellas
Ferris, nec dubium te levis error agit.
Heroum vocat alta domus, quà candida cœlo
It via; & heic magnum Tu quoque nomen eris.
At Tibi Muſarum nunc ſuſpenduntur ad aras
Arma, quibus cœlo prælia docta moves.
Hæc quoties manibus prenſamus, vivis in ore
Omnium, & ille TYCHO, dicimus, alter erat.
RANTZOVIO par nomen erat, cui ſidera dudum
Æternos ducunt continuantque dies.
Ac aliquis noſtras inviſens advena Muſas
Has memorat laudes, hæc monumenta leget;
Et facundorum celebrabunt ora nepotum;
Et decus hinc capiet Cimbria tota novum.
Tu petis hinc cœlos ſcalis, VIR MAGNE, relictis
Quæ certo tollant nos ſuper aſtra gradu.
Quâ tamen ipſe viâ Te noſque per æthera tollis,
Hâc Te noſtra polo nunc quoque Muſa vehet.

PVBLICO NOMINE SCRIPSIT

D. G. M.

LESSVS In EXEQVIAS DOMINI GOSKE à THIENEN, Domini in Kuhren & Masleben.

ELEGIA.

THIENIVS ergo fuit? Cimbræ non ultima gentis
Gloria, præclaræ magna columna domus.
THIENIVS ergo fuit? querulæ quis credere famæ
Poſſit? at heu! certam res habet ille fidem.
Heîc exangue jacet vitâ fugiente cadaver.
Ferreus occludit lumina caſſa ſopor.
Heic immaturæ ſiſtit ſe mortis imago.
Vix ejus credi cauſa ſat æqua poteſt.
Non telis fuit illa; novis ſed fraudibus uſa.
Prævertêre manus conſiliumque doli.
Dum pleni florent votis felicibus anni;
Dum ſanguis ſolitas itque reditque vias;
Dum vegetum munit vivacia pectora robur;
Dum ſuus eſt membris eſt animisque vigor;
Dum nihil ille minus quam fata propinqua timebat,
Signaque vel minimi nulla doloris erant;
Occidit, & ſubitæ ruperunt ſtamina Parcæ.
(Præcipit heu! errans non ſua fata colus.)
Occidit. attoniti circumſtant funus amici,
Vixque oculis credas credere poſſe ſuis.
Namque heſterna quibus convivia læta parare
Viderat atque jocos ſpargere mille dies,

Illis

Illis ſublatum lux poſtera vidit & orbi.
Vita quod â fatis abfuit, hora fuit.
Heu mihi! quam nullis ſecurè fidimus annis!
Præripiuntque ſuos fata citata dies!
Naturâ toties fruſtrà indignante perimus,
Ac vinci cauſis ſe dolet illa ſuis.
Illa velit ſeros exhauſtis viribus annos,
Effœtas ſucco deficiente fibras,
Exſpiraturis præcordia frigida flammis,
Feſſaque & officiis viſcera inepta ſuis;
Qualis, ubi parco fomes luctatur olivo,
Et crepat, ac animam languidus ignis agit.
Sed leges nobis ſemper dominantur iniquæ,
Quos rapit ante ſuum nox lacrymoſa diem.
Dura cadit longâ vitiata teredine quercus,
Et caries cedros non niſi ſera domat.
Conficitur tardâ validum rubigine ferrum.
Humor edit lentus marmora, & æra ſitus.
Eſt rebus ſua meta, nec his natura negavit
Interitus aliquas ducere poſſe moras.
Solus homo metuit fallacia tempora vitæ,
Cui tacitos nectunt ſæpe elementa dolos,
Qui vorat usque ſuum & ſibi præbibit ipſe venenum,
Atque repentinæ ſemina mortis alit.
Sed quid ego lamenta loquax ingloria ſector?
Abripiunt celeres irrita verba noti.
Improba nil ſurdi Manes mea vota morantur,
Ac ſpernit noſtras nobilis umbra preces.
Ille abiit noſtris ereptus ad æthera rebus,
Reſtitui rebus nec volet ille ſuis.
Quin, ſi fata velint, nolet tamen ille regreſſum:
Nec latere avelli cara marita ſinat.

Illa tenet cupidumque novis amplexibus ambit.
Heic datur æterno ſemper amore frui.
Heic velut ex toto videas mortalia volvi.
Heic velut in ſpeculo nubila cuncta vides;
Quæ nos hinc alia ex aliis in fata vocemur;
Quis furor hîc homines vexet & æſtus agat.
Quæque crepaturæ jamjam in fera fulmina nubes
Immineant capiti, torpide Teuto, tuo.
Nos tot in egregio tumulatas pectore dotes
Ploramus; raptum Cimbria mœſta decus;
Præſidiumque domus; proles generoſa Parentem.
Damna ſibi Pietas nec propiora dolet.
At tu qui ſpectas hæc funera, ſiſte Viator,
Humanasque animo volve revolve vices.
Vicinam meditare ſub omni tempore mortem.
Hanc pulſu inculcet quælibet hora ſuo.
Heic Tibi ſe vitæ ſiſtit mortalis imago.
Diſce hoc exemplo vivere; diſce mori.

AD
DOMINVM
CASPARVM à BOOCKWOLD,
Sereniſſimæ Principis Cimbricæ
Aulæ Magiſtrum,
BEATISSIMI PARENTIS SUI
Obitum lugentem.

DUm tua ſupremum PATRI perſolvit honorem,
Et charis Pietas adſtupet ægra rogis,
In partes venit, ecce! tui pia Muſa Morhofi,
Præficaque in lacrymas ſolvitur illa ſuas;
Illa tuo toties obnoxia facta favori,
Nominis & cultrix obſequioſa tui.

Illa, ſuis quanquam procul hinc à fontibus errans
Nunc ſit in Aoniis rarior hoſpes agris;
Quanquam obducta ſitu ruptis de pariete nervis
Pendeat ad digitos jam lyra ſurda ſuos,
Ejulat, aut miſerum crepat ad tua funera Carmen,
Quod Pietas tamen haud increpet, ipſe probes.
Officioſa tuos ſolabitur illa dolores,
Quos Tibi plorati fata PARENTIS alunt.
Ille quidem meritis ſatur hinc diſceſſit & annis,
Parsque illi vitæ prodiga nulla fuit,
Dumque aliis ſemel, aut planè non vivitur, illi
Abſolvit Virtus integra ſecla Viro.
Et quoque nunc vivit generoſâ in prole ſuperſtes,
Et nequit hic illâ non moriente mori.
Tu magnæ ſpes magna domûs, CASPARE per illum
Vivis, & ipſe tuo vivit in ore PATER.
Vivis, & ô ſeros ſuperes longævus in annos!
Quod mecum CIMBRI PRINCIPIS aula vovet.
Vixerat ille aris; Tu nunc gratiſſimus aulis,
Et virtute ornas nomina celſa tuâ.
Scilicet hæc nobis reſtant ſolatia. VIVES.
Sufficient aulæ; ſufficientque Tibi.

BEATIS MANIBUS
DN. JASPERI RANTZOVII,
Hæreditarii in Neuhauſen/ Satjewitz/
Löhrſtorp & Groſſenbrod/
IN ITINERE GALLICO
FEBRE ARDENTE EXSTINCTI
EXIGUUM HOC MAGNARUM VIRTUTUM MONUMENTUM
SACRUM ESSE JUBET
D. G. M.

SEnſerat æthereos intus RANTZOVIUS ignes,
Divinâque ſibi pectora mota face.
Ardebat tacitos Virtutum agitatus in æſtus,
Ingenitoque fuit mens animata foco.
Majorum excuſſit cineres rapidoque favillas
Fomite, quæ tectæ delituêre, bibit.
Gliſcebant latè generoſæ incendia flammæ,
Jam lucem Cimbris jam genitura novam.
Ne tamen illa ſuo ſolum ſub ſole caleret
Flamma, peregrini ventilat aura ſoli.
Jamque novum Patriæ ſidus rediiſſet & iſtis
Junxiſſet tædas jam Cytherea ſuas.
Aſt tanta anguivorus ſurrexit ad omina Livor,
Cui oculos tantæ lucis imago ferit.
Ergo umbras miſcet lethaleque frigus, & iſtos
Depaſcit calidis febribus igniculos.
Jamque rogo tacitæ flagrant intercute fibræ.
Ignibus ex iſtis hîc jacet iſte cinis.

SUPREMUM MUNUS
DOMINI
METTÆ ab ALEFELD,
DOMINI
GOSCHE à BUCHWALD,
DOMINI IN OLPNITZ, &c.
CONJUGI EXHIBITUM.

* * *

Morare Viator & mirare.
Virtus è terris olim profuga hîc ſub terrâ tegitur.
humatur hîc ipſa humanitas:

Illu-

Illuſtris vel ſub ipſis his tenebris
MATRONA
METTA AB ALEFELD,
Ramus Stirpis ſuæ aureus,
GermanarũViraginumCharis & CharitumGermana,
ut genere ita genio generoſa:
geminis ſpectabilis radiis,
quod jungeretur Illuſtri Viro,
GOSCHE A BUCHWALD,
Cujus vel ſolum Nomen omnia complet elogia.
Prodiit in hanc Vitam,
Anno poſt natam Vitam,
ↃIↃ IↃ CXXVII
Menſis Novembris die ſecundo,
fatis & aſtris ſecundis,
quæ non in cœlo errabant, ſed animo figebantur.
Quæ extra illam ſpectantur ad eam non ſpectabant.
Quid enim
Inamabili Saturno cum blandisſimâ?
Tonanti Jovi cum placidisſimâ?
Pugnaci Marti cum pacatisſimâ?
Laſcivæ Veneri cum caſtisſimâ?
Mendaci Mercurio cum veracisſimâ?
Mutabili Lunæ cum conſtantisſimâ?
An curaret minora ſidera, quæ ſolum bonæ
mentis ſolem ſecum circumferebat immobilem?
Nullus illi è Majorum faſtis faſtus,
quos habuit Viros
tàm ferri quàm mentis acie invictos,
tàm dextrâ validos, quàm dexteritate providos:
Quibus major fuit, cum minor eſſe voluerit,

cō

eò felicior, quod magnam felicitatem non
magni faceret,
& eò certius ut ſuam poſſidens gloriam, quod
ſciret eſſe alienam.
Ut paucis multa dicantur:
Digna erat Parentibus ſuis proles
& unicè ferè amata.
Nihil effeminati vel in puellâ fuit,
jam ante ætatis florem frugi.
Quæ cum maturè adeò tempus prævorterat,
ſatis monſtravit,
quam eſſet æternitate digna.
Caſtisſimam primis ab annis Veſtalem ſe exhibuit,
ut quæ inexſtinctos pietatis ignes in pectoris
ſacrario ſollicitè cuſtodiret.
Bene compoſitum corpus ipſa animabat modeſtia:
Spectabatur in iſtius oculis Sapientia,
jam timidè oculata, jam ad vanas mundi
imagines circumſpectè cœca.
Audiebatur in ſermonibus Prudentia,
quæ ita ſecum habitabat, ut fauces occluderet
voci temerè exituræ.
Bene audiebat,
quod ad Voluptatum velut Sirenum cantus ſurda:
Emicabat citra affectationem officioſa comitas:
Eluceſcebat Vitæ ſine ſeveritate veritas:
Habebat manus auritas & ad beneficia aureas:
Obfirmabat ſtomachum ad mala concoquenda
ferreum.
Nunquam in Pietatis Schola otioſa, vel cum
maximè eſſet otioſa:
nec vel diem duxit, quâ horam Deo vectigalem non
haberet. Probè

Probè meminerat
inter tot terrores & errores,
inter tot monſtra hominum,
qui cum frontem præfricuerint, larvato
plerumque vultu incedunt,
vitam quaſi invitam eſſe exigendam:
Quam exegit denis annorum gradibus,
ad quadrageſimum diſtinctam,
decumanis hîc jactata fluctibus;
Uſque dum quartâ vitæ parte, decennio ultimo,
omnibus numeris abſolutos conjugales
amores æternitati inferret.
Didicerat
vitam eſſe ſupplicium; non mortem,
in cujus adeò nomine nigrum Theta medio poſitum
loco omnibus crucem figere videtur,
Hîc vel primæ in incunabulis faſciæ
carceres minantur & vincula:
Hîc cum affectibus noſtris,
velut cum beſtiis, pugnamus:
Hîc ad metalla damnamur avari:
Hîc amphoris mergimur, ſingultibus ſuffocamur,
animo ſuſpendimur.
Familiare hîc eſt illud Martyrum ſupplicium,
quo melle inuncti veſparum conficiebantur aculeis;
Ita nos Dæmonum & vitiorum telis compungimur.
Quin, ſi alius non eſſet,
quilibet ſibi ipſi aſperrimus eſſet tortor & carnifex.
Palæſtram hîc exercuit Amazon Chriſtiana,
quâ circulatricem Fortunam in ordinem redegit,
quâ triumviralem in ſe ipsâ hoſtium tyrannidem
exſtinxit:

Nullum

Nullum enim majus nobis, quam à nobis ipſis
eſt periculum;
Nec unquam minus tutus homo eſt, quam cum ſibi
proximus,
Nunquam magis à Deo inſidetur, quam cum diſſidet
à ſe ipſo.

Pugnavit hîc in terris, ut cœlum expugnaret,
nonnunquam in fidei & ſpei ſpecula conſtituta
exploratrix,
nonnunquam Parthorum inſtar è fugâ Victrix:
ſed quæ non expeditius mundum fugeret, quam cùm
lecto defigeretur,
quæ nunquam vigilantiori animo in ſtatione ſuâ
excubaret, quam ubi in eo excubaret;
Ipſe ejus morbus pugna inteſtina fuit,
agente ſub ipſis venis cuniculos febri.
Quæ circa Menſis Martii initium
depugnato feliciter in lecto, velut campo quodam
Martio, prælio,
magnum illud pectus proſtravit,
ut, poſtquam omnia feliciter egerat,
animam denique ageret tanto morborum impetu
ſubactam:
ſed quæ re inter mortales optimè geſtâ
inter immortales triumphum ageret,
dum corpori hîc monumentũ erigitur, immortalitatis
inter mortales munimentum,
Rectius dicam:
Nuptias in cœlo celebravit.
Dum enim illa
Die Maji VI,

quo

quo hîc primum & lateri
& cordi Mariti jungebatur, effertur,
egreditur Sponſa,
non tumulo ſed cœleſti thalamo locanda,
quæ cum febri primum corriperetur,
divini amoris ignes ſenſit.
Cherubini hîc ſunt Cupidines:
Sidera tædæ:
Pro Hymenæis canuntur Hymni:
Deus ipſe & dos & Sponſus eſt.
Nemo funus illi duxerit, quæ
domum ducitur.
Tu abi Viator
& flores ſparge & bona verba.

LESSUS
IN
EXEQUIAS
DN. MARGARETÆ
von Buchwald
NATÆ BLUMIÆ,
DN. JOHANNIS ADOLPHI
von Buchwald/
HÆREDITARII IN Gierichsbåke & Stegen/
CONJUGIS.

*
* *

PROSOPOPOEIA GENEROSISSIMI DOMINI VIDUI AD PIE DEFUNCTAM.

O Mea, ſed quondam Mea, quæ me deſeris, Uxor:
Sed mea nunc etiam ſæpe vocanda mihi.

Nec

Nec mea jam dici cœlo donata recuſes,
  Nunc etiam in terris hunc habitura Tuum.
Mene fugis? qui totam oculis animiſque ferebam.
  Me? qui totam oculis nunc animiſque peto.
Heu! cur non fidos rogus excipit unus amantes?
  Atque cinis cineri miſceor ipſe tuo?
Heu mihi! cur vivo poſt tot mea damna ſuperſtes?
  Non Vivo. Vitam Tu mihi cara rapis.
Nulla mihi ſine Te, Conjux dulciſſima, vita eſt,
  Et mihi ſi qua foret, ſemper acerba foret.
Manibus ipſe tuis ſemper comes umbra vagabor.
  Immoriar membris frigidus ipſe tuis.
Componar tumulo thalamo compoſtus eodem.
  Pectora Pectoribus ſint mihi juncta tuis.
Quam tua ſæpe meis amplexibus hæret imago!
  Irrita ſed viſus ludit imago meos.
Sed falli tamen hâc pius optat imagine ſenſus.
  Sæpe tamen luctus fraus mihi blanda levat.
Aſt ego vana queror: nec ſufficit ulla dolori
  Nænia, nec lacrymis vincitur ille meis.
Sola decent noſtros obſcura ſilentia luctus,
  Sitque, malis quò ſit par dolor ille, ſtupor.

IN

DN. IDAM RUMORIAM,

DUODECIES MATREM PLACIDE EXSPIRANTEM.

VIxiſti Matrona; tuo jam vivere cœlo
  Incipis ac humilem deſpicis ales humum.
Vixiſti, Matrona, piis; nunc vivis in ipſis.
  Spirat in his vitæ gloria ſera tuæ.

Vixi-

Vixiſti, Matrona, Tibi, Tibi civis & orbi
    Hoſpes, & ingenio cognita tota tuo.
Sat Spectata Tibi, ſat circumſpecta tot orbis
    Fallebas, fraudis neſcia, ſæpe dolos.
Præclaris nunquam Tibi Mens bona defuit auſis,
    Nec Menti deerant auſa ſecunda bonæ.
Sic habitans Tecum, ſic in Te tota recedens
    Vivebas extra ſecula tota Tibi.
Vixiſti Matrona, Deo; cui juncta fuiſti,
    Hic Tibi nunc jungi preſſius ecce! cupit.
Vixiſti, Matrona, Viro: ſed & ille Maritæ
    Vixerat, ac idem nunc quoque vivit amor.
Sidereâ ille tuos nunc ſede receptus amores
    Et memores repetit poſt tria luſtra toros.
Vixiſti, Matrona, tuis ſpes ſumma ſalusque
    Unica & illuſtris firma columna domus.
Vixiſti Patriæ Mater fœcunda, tot edens
    Pignora, ſpem gentis præſidiumque tuæ.
Quæ ſupereſt numeroſa Tibi per ſecula proles
    Stabit, & æternâ Te pietate colet.
Terminat extremum Vitæ Tibi Signifer annum
    Poſt bis ſena tuæ ſigna domusque domus.
Ac veluti numerat ſex maſcula Signifer aſtra,
    Et totidem, virtus queis muliebris ineſt; *
Diſtinctis pariter torus hic diſtinguitur aſtris,
    Et totidem generat nunc domus una domos.
His Tibi ſtat domibus ſtabilis fortuna: faceſſant,
    Quas Augur vanâ computat arte, domus,
At Tu dum juſtum complet Tibi Signifer Orbem,
    Occide nunc aliis Sol oriture plagis.

* *Alluditur ad doctrinam Aſtrologorum, qui Zodiacum in ſex ſigna maſculina totidemq; feminina diſtribuunt.*

Tu nunc immenſos ſuper æthera vivere menſes
Incipe & æternos continuare dies.
Tu quæ Magna Parens noſtro, PIA, diceris orbi,
Nunc cœli dici filia magna velis,
Herculeos quoniam numeras in amore labores,
In cœlis aliquo Te decet eſſe loco.

In
EXCESSVM
DOMINI
JOHANNIS HELMII,
Duorum
Archi-Epiſcoporum Bremenſium,
totidem deinde
Regum Daniæ & Norvveg.
per integros L. annos,
Conſiliarii & Cancellarii.

VIXIT HELMIVS! Advola Viator
Et Manes lacrymis pios honora.
VIXIT HELMIVS: ille juris Atlas,
Qui firmo ſtetit usque & usque talo,
Nunquam flexanimo reclinis auro.
VIXIT HELMIVS: Ille qui Catonem
Expreſſit ſtabili Numamque svultu,
Nullis artibus ille, vel doloſis
Fortunam obſequiis procatus amplam:
Nunquam (ſecula quod maligna diſcant)
Nunquam jus ſceleri dediſſe viſus.
VIVIT HELMIVS: HELMIVS ſu orum
Exem-

Exemplum, ſpeculumque poſterorum:
Cujus ipſa ſonabat ore Virtus,
Ipſo pectore conſecrata Virtus:
Quo non caſtius ipſa ſanctiusque
Falli neſcia jus Themis locuta eſt.
ET CVI VIVERET HELMIVS? cruento,
Inſani, ſtolido, malo, furenti,
Prudens, juſtus, honeſtus ille ſeclo?
Non tanti ſibi Vita, nulla tanti
Ipſi ſecla fuêre. VIXIT ille
VIXIT HELMIVS & reliquit Orbem,
Ipſe funereo ſuperſtes Orbi,
Quem res ille ſuas habere juſſit.
Cum non ille Viros beatus inter,
Sed cadavera viveret Virorum:
VIXIT ille DEO, ſibique VIVIT
Æternumque DEO ſibique VIVET.

AD
ILLVSTREM ET EXCELLENTISSIMVM
DOMINVM
DN. MARTINVM de BOECKEL,
Reverendisſimo Sereniſſimoque Sleſvici & Holſatiæ Duci Regnanti à Conſiliis ſanctioribus, ejusdemque Aulæ Cancellarium,
ſuper Obitu
Dilectiſſimæ Conjugis,
DN. JVDITHÆ CHRISTINÆ TANCKIÆ.

MAxime BOEKELI, quo Cimbria ſidere fulget
Poſt tenebras luci reſtituenda ſuæ:

Qualis eras quantusque! quot ô ſpectata palæſtris
Mittitur in noſtrum laus tua tota decus!
Quo Te Fama gradu, quibus ô Te Gloria pennis
Vexit, & in titulos extulit usque novos!
Quæ non officiis, meritis obnoxia quæ non
Aula tuis! quas non mens tua ſervat opes!
Nunc Cimbris ſpes multa tuis, dum pondera rerum
Volvis, & ipſa tuo ſtat pede fulta Salus,
Affligunt propiora pios, ſed acerba, penates
Fata. Vides vacuos & ſine luce toros.
O quam Te memorem, noſtris veneranda Camœnis,
Dignior auſpicio candidiore Domus!
Et Pater, & Generi, & Nati, mea cura, Parentum
Gloria, non uni Nomina nata togæ.
O quam ſancta fuit, quo digna Marita Marito!
Quâ Tu Vir felix Conjuge, Prole Pater!
Noſtra Tibi memores ſuſpendere promta tabellas
Quam velit & totos fundere Muſa libros!
Jamque tuis, Vir Summe, tubas meditata triumfis
In lacrymas fato diſpare rapta fuit.
Illa (tuo niſi quod latere eſt avulſa) receſſit
Læta, nec eſt mortem viſa dolere ſuam.
Nam vitæ ſatura exit, honorum & plena tuorum,
Plena Dei, ſequitur fata viasque Dei.
At Tu parce Tibi: ſit enim licet ampla dolendi;
Vivendi potior cauſa ſit (oro) Tibi.
Stet Tibi Mens, ſtet mole ſuâ! non improba mergat
Dejiciatve Virum Sors Dominumque ſui.
Omnes Te Vivum, Salvum Te poſcimus omnes:
Dux Comitem, Aula Virum, Plebsque Patresque Patrem.

AD
VIRVM
MAGNIFICVM ET EXCELLENTISSIMVM,
DOMINVM
CHRISTIANVM CASSIVM,
UXORIS SVÆ
OBITVM
DEPLORANTEM.

ERgo fuit, CASSI, quæ tot Tibi juncta per annos
Servavit caſti fœdera ſancta tori!
Illa tuæ ſpes una domûs ac unica, CASSI:
Illa ſui ſexus gloria; gentis honos.
Ergo potes, quod dulce fuit, dediſcere nomen
Conjugis? heu quanto nunc cariture bono!
Abſcedunt fragili ſolamina certa ſenectæ,
Ac invita Tibi vita & acerba fluit.
Et vivis, tantoque potes ſupereſſe dolori?
Nec lacrymis, CASSI, mergeris ipſe tuis?
Et vivis? vacuus raptâ cui pectoris unâ
Parte, rogus torus eſt; cippus & urna, domus:
Et vivis? cui ipſe piæ comes additus umbræ
Spiritus Elyſias geſtit adire domos.
Vive tamen, tantosque inhibe, Vir magne, dolores.
Te vivum Pietas ipſa Salusque cupit.
Vive DVCI, PATRIÆ: nec enim cariſſima tantum
Invideat nobis, credo, Marita decus.
Hæc uni vixit: Tu vivere pluribus unus
Qui pôtes, in PATRIÆ commoda VIVE tuæ.

IN
OBITVM
VIRI ILLVSTRIS ET GENEROSI,
MARQVARDI GVDI.

AUſonii Colles, Mavortia regna Quiritum,
Antiqui Charitum Pieridumque Lares,
Si fuit in vobis; quis non fuit? inter amicos,
Cui GVDIVS numero non potiore fuit?
Vos quoque de Batavis quotquot ſupereſtis amicis:
GREVIUS hos inter nunc, reor, unus erit,
Qui venit in Batavæ titulos & nomina famæ,
Et nunc cum paucis ſuſtinet omne decus:
Ante alios memoranda mihi pia nomina Vatum,
Sequana quos Venerum prodiga mater alit:
Tuq; adeò ante omnes Patriæ decus, omne, MENAGI,
Qui Sophies regnum Caſtalidumque tenes;
Nam ſuperas (ſuperesque diu!) vegetamque ſenectam
Impiger Aonidum per ſacra cuncta rapis.
Accedes noſtris quoque non invitus, HUETTI,
Luctibus, immemori nec venit ille dolor.
Vos ego, Vos dulcis compello in funere Amici,
Et vos nunc triſti fulmine fama ferit.
Veſter amor noſterque, ſuorum gloria Cimbrûm,
GVDIVS, heu quanti nominis umbra! cadit.
Tot vobis quondam titulis, tot honoribus auctus,
Quas patriâ moriens ſpes tumulavit humo!
Quæ non invidiæ meruit ſuffragia? noſtris
Si gens nominibus non ſatis æqua fuit.
Quas Latii congeſſit opes! quas Itala tellus
Civibus ægreſcat non patuiſſe ſuis.

 Igno-

Ignorata domi veteris veſtigia Romæ
  Eruit ille ſuis advena doctus agris.
Quanta erat ingenii penetrantis in abdita rerum
  Machina! quam ſaturum pectus & ampla penus!
Fallor? an heic acie Cimbri ſe faſſa minorem
  Roma dedit faciles ſic quoque victa manus.
Quicquid GRUTERI ſinuoſa volumina condunt,
  REINESII hâc quicquid tentat in arte labor,
Longè infra genium tanti moliminis hæret,
  Nec ſat in his tenebris lucis & artis habet.
Vidimus hunc veterum perimentem monſtra nota-
  Herculeas poterant quæ retinere manus: (rum,
Nam quaſi divinâ produceret omnia virgâ,
  Oedipoden tot ſe præſtitit ille Davis.
Sed nunc ille jacet ſolidi labor improbus ævi:
  Nam quis Apellæum continuaret opus?
Et tam multa jacent animi monumenta ſagacis,
  Artificis tanti ſæpe polita manu:
Sic tamen ut nulli ſuccederet ultima ſcripto,
  Ac extrema manum poſceret usque novam.
Quicquid Graja notat, quicquid Romana vetuſtas,
  Et quæ cuncta domi Gens ſibi nota ſapit,
Ille ſuis animo diſtinxeras omnia ſeclis:
  Ducta per ætates omnia ſcripta ſuas.
Hinc ut ab unguiculis noſtros Sapientia ad annos,
  Orbe velut crevit Bibliotheca ſuo:
Sed quæ vix Domino dici queat eſſe ſuperſtes,
  Et gemat ipſa ſuum pene ſepulta Ducem. (rum,
Nam quot in hoc tumulo veterum monumenta libro-
  Secula quæ in lucem nulla dedêre, jacent!
Quantus in his latitat, quo clauſus carcere cenſus!
  Centimanus quem non eruat ipſe Gigas,

Auxerat hunc moriens FERNANDUS munere Prin-
Regis ad hunc quando nomine miſſus erat, (ceps,
FERNANDUS, notum ſuper aurea ſidera nomen,
Fürſtenbergiacæ gloria ſumma domus,
Aurea qui Muſis, qui vatibus aurea pandit
Secula, doctorum maximus ipſe Ducum.
Et ſatis ad famam eſt iſto Cenſore probari,
Cui veniant tantæ pignora docta manus.
Quid referam excuſſos ſua ad incunabula faſtos,
Queis noſtræ prodit relligionis opus?
Scilicet hâc poterat Noſter regnare palæſtrâ:
Hâc ipſos poterat vincere parte Duces.
Hiſtorias veterum quam volverit ille Sophorum,
Extuderit ſenſus, contuleritque tribus,
Te pateat nobis, ſed quanto teſte! MENAGI,
Laërti in doctis qui canis iſta ſcholis.
Tu meminiſſe potes, veſtri meminêre Poëtæ,
In Batavis Muſas qui coluêre, ſciunt:
Quam caſtè priſciſque ſimillima Vatibus ille
Scripſerit; ingenium quod! quis in arte nitor:
Hæſerat attonitus quondam FERNANDUS in illis,
Viſus & illecebris mollibus ille capi.
Mellea mellifluo caneret cum flumina verſu,
Ut ſapor à cantu dulcior iret aquis.
Applauſit Vates aſſurrexitque canenti
TORCKIUS, ille lyra maximus, ille togâ.
Sed quid ego hæc Patriæ ſecloque ingrata revolvo?
Creſcit ab his damnis congeriturque dolor.
Speratæ pereunt tot in uno funere meſſes:
Nec ſatis hanc cladem natio docta capit.
Nec levibus miſeri jacturis carpimur: uno,
Uno nunc pereunt omnia naufragio.

Heu

Heu mihi! quis potuit curas ſuadere forenſes,
Quis Tibi Te rapuit, Gudi, alienus amor?
Curia non fuerat, non iſta negotia tanti,
Ingenii ut premeres tot monumenta tui.
Sæpius admonui: ſtudium quid inutile, Gudi,
In fraudem doctæ poſteritatis amas?
Nullane cura tui eſt? tanta eſt oblivio famæ?
Virtutis pretium tam Tibi vile tuæ eſt?
Quid prodeſt latuiſſe, ſinuque recondere gazas?
Æternum poterant quæ Tibi ferre decus.
Rumpe moras, dixi: celeri pede labitur ætas,
Canitiesque tuum jam premit alta caput.
Litera crebra venit: vellit Tibi Cynthius aurem:
Fama tuas pulſat, Pegaſus ipſe, fores.
Tu Tamen hæc fruſtra nobis cantantibus aures
Obſtruis, in famam ſævus hebesque tuam.
Et nunc Te rapiunt noſtris Fata invida rebus,
Et ſequitur Manes noſtra querela tuos.
Nos levia illa tuo monumenta paramus honori:
Immenſum poteras cum ſtruere ipſe Tibi.
Teſtis & hæc noſtri ſit amoris, ſitque doloris
Pagina, ſit culpæ tempus in omne tuæ.

FLORUM VIRGILIANORUM SPARSIO AD MAGNOS TUMULOS DORSCHEANOS.

Æ. 5. Æ. 10. Ex quo* te incautum* nobis, *divine Poëta,* Æ. 5.
Æ. 4. Dulce caput,* noſtri princeps & carminis autor, *Culic.*

Abſtulit atra dies & funere merſit acerbo; Æ. 6.
Æ. 11. Hæc adeo * poſtquam ſævi monumenta doloris Æ. 12.
Condidimus terrâ mœſtasq; ſacravimus aras, Æ. 5.
Æ. 7. Protinus hinc * alia ex aliis in fata vocamur; Æ. 3.
Nulla viam fortuna regit, nihil Autor Apollo
Æ. 12. Subvenit * & mœſtum muſâ ſolatur amorem,
Populeas inter frondes umbramq; ſororum. Æ. 10.
Illum etiam lauri etiam flevêre myricæ E. 11.
E. 8. Argutumque nemus, * dulces ante omnia Muſæ G. 2.
E. 9. Pierides * ſummoq; ulularunt verticeNymphæ. Æ. 4.
Æ. 7. Teutonico ritu * ſoli cantare periti E. 10.
E. 9. Vatem paſtores * divinique oſſa parentis E. 5.
Flebant & cineri ingrato ſuprema ferebant? Æ. 6.
Æ. 6. I, decus, i noſtrum * (dum fata Deusq; ſinebant) Æ. 4.
Æ. 12. Hic tibi mortis erant metæ * tuq; optime Vates, Æ. 6.
Æ. 10. Linquentem terras * poſtquam te fata tulerunt, E. 5.
G. 3. Lappæque tribulique * interq; nitentia culta
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ, G. 1.
Ipſa Pales agros atque ipſe reliquit Apollo, E. 5.
Ipſi te fontes ipſa hæc arbuſta vocabant. E. 11.
Æ. 7. Te liquidi flevêre lacus * Dryadesque puellæ; G. 1.
E. 6. Te nemus omne canet, * pecudes pictæque volucres. Æ. 4.
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno, E. 8.
Utque Viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis! E. 6.
O mihi tam longæ maneat pars ultimaVitæ! E. 4.
Æ. 4. Dulces Exuviæ, * ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo. Æ. 9.
Daphnin ad aſtra feremus, amavit nos quoque Daphnis. E. 5.
E. 1. Sæpe malum hoc nobis * memini prædicere * Vates: E. 1 Æ. 5.
Oſtendent terris hunc tantum fata, neq; ultra
Æ. 6. Eſſe ſinent * (meminiſtis enim † & memorare poteſtis.) Æ. 9.
Nunc ultro ad cineres ipſius & oſſa parentis Æ. 5.
Et tumulum facite & tumulo ſuperaddite carmen: E. 5.

E. 8. Or-

E. 8. Orpheus in ſylvis * hinc usque ad ſidera notus] E. 5.
Æ. 11. Hic jacet * æternumq; tenet per ſecula nomen. Æ. 6.
E. 1 *Fortunate Senex*, * tu nunc eris alter ab illo, E. 5.
Æ. 5. Quem petit & * duræ rapit inclementia mortis. G. 3.
Æ. 11. Nos alias hinc ad lacrymas * crudelia retro
G. 4. Fata vocant, * tacitum vivit ſub pectore vulnus. Æ. 4.
Æ 12. Crebreſcit propiusque malum eſt. * Parnaſſia rupes E. 6.
Multa movens nec dum antiquum ſaturata dolorem Æ. 5.
Æ. 3. Dejecit vultum * lacrymans, longosq; ciebat
Æ. 3. Incaſſum fletus, quoniam ſpoliata magiſtro eſt. Æ. 5.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem. Æ. 12.
Æ. 8. Exemplo turbati animi. * Per pectora cunctis
Æ. 2. Inſinuat pavor & * cœlum dehinc queſtibus implet. Æ. 9.
Æ. 12. Æ. 2. Occidis, * interpres Divûm! * Tu maximus ille es, Æ. 6.
O decus, ô famæ merito pars maxima noſtræ, G. 2.
Æ. 8. Relligione patrum late ſacer, * heu mihi! quantum
Æ. 11. Præſidium † & quantū, tu perdis, lecta juventus, Æ. 8.
Æ. 1. Inſignem pietate virum! * Sic numina poſcunt, Æ. 11.
Admonet ira Deûm tumuliq; ante ora recentes. Æ. 11.
Æ. 1. Quem ſi fata virum * voluiſſent ducere vitam, Æ. 2.
Æ. 3. O felix una ante alias * delecta juventus! Æ. 8.
Æ. 6. At Pater omnipotens * volvit ſub pectore ſortem, Æ. 7.
Parcarumque dies & vis inimica propinquat. Æ. 12.
Atque hæc ipſe ſuo triſti cum corde volutat Æ. 6.
Æ. 7. Advenisſe diem, * tergo ſtratisque jacebat. Æ. 7.
Stant lecti circum juvenes: ipſe æger, anhelans Æ. 10.
Æ. 6. In foribus lethum, * ſtupefactus numine, preſſit Æ. 7.
Æ. 4. Decrevitque mori:] * manet imperterritus ille
Hoſtem magnanimū opperiens & mole ſuâ ſtat. Æ. 10.
Æ. 12. Interea * concusſi animi, mœſtusq; per omnes
Æ. 9. It gemitus, torpent: * Sed nullis ille movetur
Æ. 4. Fletibus, humanis quæ ſit fiducia rebus
Æ. 10. Admonet, immiſcetque preces * ac talia fatur:
Æ. 12. Usque adeone mori miſerum eſt, * quod cuique tuendum eſt? Æ. 9.
E. 2. O tantum libeat * ſceleratâ excedere terrâ,

Æ. 3. Linquere pollutum hoſpitium miſeroſque penates! G. 2.
En etiam hunc ipſum vitæ mortalis honorem, G. 4.
Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno Æ. 6.
Æ. 3. Labitur &* tenues fugit ceu fumus in auras. Æ. 5.
Æ. 4. Nuſquam tuta fides.* En quo diſcordia cives
E. 1. Perduxit miſeros? * Campis diffugit arator; Æ. 10.
Quippe ubi fas verſum atque nefas, tot bella per orbem,
G. 1. Tam multæ ſcelerum facies,* veſtigia fraudis E. 4.
Iræque inſidiæque & crimina noxia cordi, Æ. 7.
Quid tandem inſano juvat indulgere labori? Æ. 2.
Certum eſt in ſylvis inter ſpelæa ferarum
E. 10. Malle pati,*(Cœlum hoc & conſcia ſidera teſtor!) Æ. 9.
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam. Æ. 9.
Æ. 12. Infelix* quæ cauſa fuit conſurgere in arma? Æ. 10.
Æ 3. Nunc repeto hæc; * ne tanta animis aſsveſcita bella,
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires, Æ. 6.
Æ. 11. Pone animos, * tu parce genus, quæ ducis Olympo, Æ. 6.
Æ. 6. Miſſus in imperium magnum *. Via facta per hoſtes. Æ. 9.
Æ. 6. Projice tela manu.* Pacem te poſcimus omnes. Æ. 11.
Vincet amor patriæ laudumq; immenſa cupido: Æ. 6.
Æ. 4. Sed moriamur, ait, * nil me fatalia terrent. Æ. 9.
Æ. 4. Mens immota manet. * Non vitæ gaudia quæro, Æ. 11.
Æ. 10. Nec mortem horremus; * requies ea certa laborum. Æ. 3.
Vixi & quem dederat curſum fortuna peregi. Æ. 4.
Adſumus & portus delati intramus amicos Æ. 8.
Atque iter emenſi caſus ſuperavimus omnes. Æ. 11.
Æ. 5. Cede Deo*. Quo fata trahunt retrahuntque ſequamur. Æ. 5.
Æ. 6. Quisq; ſuos patimur manes*. Tu ne qua Parentis
Juſſa time, neu præceptis parere recuſa. Æ. 12.
Æ. 6. Si te fata vocant: * Animas ille evocat Orco
Pallentes; alias ſub triſtia tartara mittit. Æ. 4.
G. 4 Æthereas*accede domos*ſanctumq; ſenatum. Æ. 5. Æ. 1.

Æ. 3. Hæ

Æ. 3. Hæ nobis propriæ ſedes,* Ea ſola voluptas, Æ. 3.
Æ. 7. Hæc domus, hæc patria eſt* cœli in regione ſerenâ. Æ. 8.
Huc tandem concede, hæc ara tuebitur omnes. Æ. 2.
Æ. 5. Nunc pater & * ſi quid pietas antiqua labores
Æ. 5. Reſpicit humanos, * cœli demiſſa per auras, Æ. 1.
Parce progeneri & propius res aſpice noſtras, Æ. 1.
Nec populum antiquâ ſub relligione tueri Æ. 2.
Æ. 8. Deſine,* Tu præſens noſtro ſuccurre labori, AE. 9.
At vos ô Superi & Divûm tu maxime Rector, AE. 8.
Accipite hanc animam meq; his exſolvite curis, AE. 4.
Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcam. AE. 6.
Hæc ubi dicta dedit divosque in vota vocavit, AE. 7.
Æ. 11. Suſpiciens hauſit cœlum * corpusque reliquit. AE. 10.
Nunc, ſi cui virtus animusque in pectore præſens, AE. 5.
Conjugeſq; animos & res miſerabere fractas. G. 4.
Nec tu carminibus noſtris indictus abibis, AE. 7.
G. 1. Maxime, cælicolæ medium quem ad limina dicunt AE. 10.
Nec gens ulla tuos æquè celebrabit honores, Æ. 12.

* *

EPIGRAMMA de hoc Centone
Ad piè Defunctum.

QUod tua mendicum, plorat, Vir maxime, carmen
Funera, quod lacerum nænia tegmen habet,
Quid mirum eſt? lacerâ gravius nam veſte dolemus,
Et lacerat veſtes, qui fodit oſſa, dolor.
Sic ſoliti Reges avertere numinis iram,
Signaque triſtitiæ ſic docuere ſuæ.
Nil ſartum eſt tectumque, Orbis laceratur & urbes,
Qualia ſunt nobis ſecula, carmen erit.
At Tibi qui metricus lacera hæc dat pallia Sartor,
Non laudem ille tuam ſcripſit; acu tetigit.

Collegit
D. G. M.

LIBER III.

MANES FABRICIANI.

MAGNIFICO DOMINO,

DN. CHRISTIANO CASSIO,

Com. Palat. Cæſareo, S. Rom. Imperii Exempto, Conſil. Holſatico, & Cancellar. Uthinenſis Directori.

DOMINO AC FAUTORI SUO MAGNO.

MAGNE VIR, & noſtris Mæcenas Optime Muſis,
FABRICII quondam maxima cura tui,
FABRICII, quem prima tibi conjunxerat ætas,
Qui primum, Duce Te,* limen honoris adit.
Accipe, quos tenues in amico funere verſus
Auſpiciis ſcribo deproperoque tuis.
Iſta tua eſt pietas, qui caras eminus umbras
Plangis, & in Cimbris me celebrare jubes.
Atque utinam vel Te ſcripſiſſem digna, vel illo:
Nunc culpam pietas corrigit iſta meam.
Si quid enim pecco, pecco pietate: minusque
Nunc pecco; pietas quò fuit iſta duplex.
Namque tuâ fretus pecco pietate meâque:
Nam mea ſit pietas; & mea culpa tua eſt.
Ergo meos elegos (quam nunc falleris!), & omnem
Trado tibi culpam cum pietate meam.

ELE-

ELEGIA IN OBITUM

Magnifici & Nobiliſſimi VIRI

VINCENTI FABRICI

PRIMUM CELSISSIMI HOLSATIÆ PRINCIPIS EPISCOPI LUBECENSIS, CONSILIARII: HINC GEDANENSIS REIPUBLICÆ SYNDICI, ET DEMUM CONSULIS BENE MERITI,

In ipſis Comitiis Varſavienſibus, ipſisque Paſchatos feriis, febre ardente exſtincti.

QUis mihi laxabit refluas in carmina venas
Impetus, ut FABRICI funera magna gemam?
Funera tot populis & tot plorata Poëtis,
Queis ipſæ Charites, ipſe parentat Amor:
Funera ſed Batavis tantum dicenda Camœnis
HEINSIADÆque ſuo jure canenda Patri:
Funera, PASTORI quæ Muſa domeſtica planget,
Queis TITIUS lenes diffluet in numeros.
An mea tam doctis ſe querquera nænia chartis
Miſceat & tenui vagiat ægra ſono?
Ipſe ſuas etiam lacrymis communibus addet
Viſtula & effuſis funera flebit aquis.
Forſitan & patrius ſe fluctibus ingerat Albis,
Ut lacrymis pars ſit nulla relicta meis.
Juſta tamen, ſed juſſa dabo, ploraboque, ſi non
Spargo Meduſæis fuſile carmen aquis.

Ejulet

Ejulet incomtis mihi præfica Muſa querelis,
Et gemitus & ſuſpiria fracta trahat.
Fundere ſi nequeo bene lotis carmina labris,
Interciſis ſingultibus ora gemant.
Forſan & ingenium dolor hic excludit & artem,
Et pretium indoctâ de pietate capit.
Occidit heu! magnum ſeclorum nomen & inſtar:
Orbis delicias invida claudit humus.
Occidit & tenues complet VINCENTIUS urnas,
Cujus non uno gloria ſole patet.
Ipſe heic Corycio Phæbus tumulatur in antro,
Inque uno Virtus, Gratia, Suada perit.
FABRICIUS jacet heu! cujus per ſecula magnum
Stat nomen, cujus fama per aſtra volat.
Occidit heu! magnique ſilet nunc lingua Senatus,
Qui ſua nunc muto fata dolore gemit.
Maſcula qui rebus Vir ſolverat ora gerendis,
Heic jacet, & GEDANI firma columna jacet.
Sarmaticos inter proceres dum publicus Hermes
Conſidet & cauſas diſſerit ore graves,
Publica quem dum cura coquit ſub pectore fixa,
Dumque boni totum publicus ardor habet,
Quæ flagrant animo, rapuerunt viſcera flammæ,
Et lento febris toſtus ab igne perit.
Ducitur extremus per curas Spiritus iſtas,
Ut populo vivus ſe moriensque daret.
Occubuit toto Regni ſpectante Senatu.
Quæ vitæ, hæc mortis publica ſcena fuit.
Nec levis illa fuit tam pulchræ gloria mortis,
Nec poterat fato ſplendidiore mori.
Sic mediis moritur miles generoſus in armis.
Hac optent magni morte perire Duces.

Sci-

Scilicet exemplo qui vixerat omnibus unus,
Tot nunc debebat teſtibus ille mori,
Quique olim inſomnis proſpexerat omnibus Argus,
Publica nunc inter lumina luce caret.
Sed fallor. Non luce caret lux publica: ſed cum
Sideribus mediâ nunc quoque nocte micat.
Heu mihi! quantus erat! non perditur unus in uno,
Multorum è multis unus hic inſtar erat.
Vix puer ille ſuos ſuperat VINCENTIUS annos,
Et matura ſuum mens ſtetit ante diem.
Jamque ſacram meruit Pindi de vertice laurum,
Sertaque, quæ Vatum Numen Apollo dedit.
Jamque illi Phœbi chorus aſſurrexerat omnis
Pectora jam multo Numine fœta notans,
Quis fuit ille, quis ô cœlo deductus ab ipſo
Spiritus, & quantis ignibus acta chelys!
Ipſe ſui Phœbus dotes miratus alumni
Attonitâ ſacros imbibit aure ſonos.
Gloria prima fuit Batavis placuiſſe Poëtis
Et quendam hæc inter nomina ferre locum.
Ipſe Amor, ipſa Venus geniali nectare chartas
Imbuit, & dulcis fluxit ab ore favus.
Illimis, nitidus priſcoque ſimillimus auro
Sermo fuit, qualem Roma vel ipſa velit.
Hos, reor, auritæ quercus, nec ſurda ſecuta
Saxa ſonos variis ſubſiliêre modis.
Oblatas poterat Vates ſibi ſpernere frondes,
Laurus enim in crines carmine tracta ruit.
Maximus hunc magno Grotius complexus amore,
Quo nullum majus Belgia nomen habet.
Ipſe Pater Vatum non defuit Heinſius, is qui
Nec Naſone fuit, neve Marone minor.

Cujus judicio ſi ſtamus, is omnibus unus
Teutoniam populis exhibiturus erat.
Continuavit eos Patris poſt fata favores
Filius haud magno Vate Parente minor,
Qui ſibi jam raptos infelix luget amores,
Et cineri forſan vota ſuprema feret.
Singula quis memoret ? nullo ſe Belgia jactat
Nomine, quo non & jactitet iſte ſuum.
Junxerat hinc Medicas plectris felicibus artes,
Et gemino cultus nomine Apollo fuit.
Sudatæ luces, vigilatæ ad lumina noctes,
Mensque per immenſos præcipitata gradus.
Jam Sophie ſe tota dedit ſine veſte videndam,
Totaque nunc patuit Graja, Latina Venus.
Inde tot expugnat decumanis ſecula curis,
Inde fuit ſtudiis ultima meta Themis.
Magna nec una fuit variæ facundia linguæ,
Vincla triumphatis auribus apta parans.
Jamque petebatur rerum faber aptus ad uſum
FABRICIUS Themidos culmina ſumma tenens.
Prima iſtas potuit cognoſcere CIMBRIA dotes:
Heic lateri junctus Principis ille fuit.
Demeritura Virum hinc GEDANI Reſpublica tantum
Conſiliis comitem juſſit adeſſe ſuis.
His humeris ſuffulta ſub hoc bene ſedit Atlante:
His pedibus ſtetit; hoc ore locuta fuit.
Illa peregrinis pretium virtutibus æquum,
Illa decus ſtatuit, nomen & illa dedit.
Nomen & ille dedit, quo ſe jactaret: eisdem
Mutua nam facibus gloria paſta fuit.
At nunc ille jacet, quamvis facundus, amatus,
Optimus, egregius, nunc tamen ille jacet;

Et tacitè, rapidos inter placidiſſimus æſtus
Inque fori mediis fluctibus, igne perit.
Quis non hos votis voluit flagrantibus ignes,
Vincere, quis doctâ noluit arte malum?
Ter quater Aoniis exſtinguere Cynthius illos
Fontibus & medico frangere rore parat.
Sed nec aquis morbus, nec erat medicabilis herbis,
Nec proſunt Clariâ pocula miſta manu.
Flamma ferox ipſas ſenſim populata medullas
Intentat properam viribus aucta necem.
Vertitur in cineres corpus: verùm igneus iſtis
Spiritus ad ſuperos ignibus actus abit.
Qualis, ubi Alcides dotali arſiſſe veneno
Fertur, ab Oeteo eſt raptus in aſtra jugo.
Nos tamen has fuſis ulciſcimur imbribus urnas,
Et damus hæc cineri triſtia juſta tuo.
Noſtra tibi pietas, quanquam peregrina, parentat;
Ingemit exequiis non ſua Muſa tuis,
Annua quæ, FABRICI, tibi munera ſparget & iſtos
Perpetuâ Manes relligione colet.
Perpetuus ſic ille dolor durabit, eritque
Hæc lacrymis ſemper tincta favilla novis.
Ipſæ Naiades, ipſæ flevêre Camœnæ,
Legit & è labiis oſcula ſumma Charis.
Ipſe lyram Pater & chordas ſine honore fluentes
Odit, non Helicon Cyrrhaque lenta placet.
Interea has umbras gratiſſima myrtus obumbret,
Et cinis hic laurus germinet usque novas,
Laurus quæ viridi decreſcant fronde Poëtis,
Et quædam ſacræ ſemina mentis alant.
Surgat Orontæo laſcivula ceſpite tellus,
Balſamaque & Libycæ germina meſſis agat.

Spargat odoratæ per marmora Palladis imbres,
  Et nebulas ſemper vibret Achæmenias.
Panchæas ſtillet lacrymas, felicibus auris
  Spiret & æthereo gramina rore fricet.
Hîc fons, quem liquido ſudavit Pegaſus ungue,
  Per medias docto garriat amne vias,
Facundo mutum cinerem qui perpluat imbre,
  Unde levet doctam vel cinis iſte ſitim.
Hîc ver perpetuum vigeat, procul eſte Decembres!
  Hîc majus paſſis ambulet usque comis.
Sic tumulos, ſic vere ſuo tibi Flora coronet,
  Edat ut usque novum fœta puerperium.
Hæc Tibi parvorum metetur caſtra Quiritum,
  Pictaque in accensâ fulguret iris humo.
Hîc Nardi ſpicam vaga linea carminet, illic
  Intexat pulchro vellere caltha toros.
Hîc violæ creſcant immortalesque Amaranthi,
  Cinnamaque & ſtacte, Cecropiusque thymus.
Depectant flores Zephyri, lætique jocentur,
  Lenis & in placidis oſcitet Eurus agris.
Stet conſanguineo roſa quæ ſcintillet in auro,
  Et veluti patulis porrigat oſcla labris.
Fallor an ipſa ſuis celebrant te lilia linguis,
  Et te diducto muſſitat ore roſa?
Forſan & hîc, aliquis cum pulſat barbita Vates,
  Nutabit florum per ſua caſtra cohors.
Et ſaltaturis ſimiles hinc carmine tacti,
  Hîc vatis rapti numine, colla trahent.
Circum Apis æthereo paſcatur plurima rore,
  Dædaliaque leves imbricet arte lares.
Prandeat hîc Siculæ convivia dulcia Floræ,
  Manibus ut reddat non ſua mella tuis.

Sed

Sed pura & ſine cerai lentore refuſa;
Qualia ſtillabant Vatis ab ore ſui.
Huc quoque pictarum gens ingenioſa volucrum
Concedet tumulos ſponte ſecuta tuos,
Et vectigales Vati perſolvere cantus
Geſtiet, & nidos heic ſtruet illa ſuos.
Hæc Muſis afflata tuis meliora ſonabit
Carmina, & hos Echo diſcet amœna ſonos.
Ipſa perorabit fracto Philomela ſuſurro,
Cognatusque elegos hic tibi fundet Olor.
Hinc franget Fringilla ſonos, & triſte Poëtæ
Gutturis obſequium ſolvet Alauda ſuo.
Omne genus volucrum Vatem memorabit, & aër
Vocali totus ſeditione fremet.
Infauſtæ procul eſtis aves, non noctua, bubo,
Non ales rauco barbarus ore crepat.
Non pica & furtiva latrans ad pabula corvus
Muſarum doctas ganniet inter aves.
Elyſiis aderunt Vatum de ſedibus umbræ,
Et molles elegos ante ſepulchra canent.
Heinſiaci venient ad priſtina fœdera Manes,
Et graciles junget Grotius ipſe manus.
Heic quoque Barlæi feſtiva vagabitur umbra,
Et totum ducet poſt ſua terga gregem.
O Naſamoniaco buſtis incumbere ritu
Detur, & afflatu tangerer ipſe tuo!
Et tibi te dignos poſſet mea ſcribere leſſus
Muſa, nec invitum ſollicitaret ebur.
Plectra ageret priſcis litem motura Poëtis,
Vinceret & Threſſæ ſtamina docta lyræ.
Nunc indocta tibi lacrymas protrudit inertes,
Exſpiratque tuos inter & illa rogos.

Illa quidem queritur: ſed te mortalibus umbris
Majorem noſter non ferit ille dolor.
Nobis usque licet lacrymarum haurire culullos,
Dum Tu divino nectar ab ore bibis.
Tu nunc ſidereis immiſtus Vatibus aſtra
Tangis & ignavam deſpicis ales humum.
Exile hoc cernis (ſi cernis) ab æthere punctum,
Et ſi quid puncto fingitur eſſe minus.
Exiguo rides bacchantem in pulvere turbam,
Ut puncto ſuper hoc omnia puncta ferat.
Cum pelagus ſpectas, vix hoc tibi bulla videtur,
In quo tot fluctus nunc homo bulla movet.
Aſpicis heic medio tot caſtra natantia ponto,
Totque ſuper vili prælia mota luto,
Pulveris exigui jactu quæ preſſa quieſcunt,
Ut turbare ſolet bella colonus apum.
Nil tibi cum terrâ, pedibus qui ſidera calcas.
Egreditur ſpatiis Mens generoſa ſuis.
Vicit io! Vicit ſacris VINCENTIUS armis,
Deque ſuo felix funere Victor ovat.
Ipſe ſuos celebrat cum SALVATORE triumfos,
Quoque die hic mortem; vincit & ille die.
Ergo pro leſſu lætum pæana canemus,
Fauſtaque pro feretro ferre tropæa decet.
At nos exuvias ſub marmore condimus iſtas,
Ipſe ſuo quas de funere prædo tulit.
FABRICII hîc pars nulla jacet, ne crede Viator,
FABRICII quisquis nomina forte legis.
Sed tamen iſta legis diſtinctaque conſpicis auro
Nominâ, vicinus quæ notat iſte lapis.
Vel ſculptoris erat, vel ſculpti carminis error.
Nam tumulo inſcriptum ſic (puto) carmen erat:

FABRI-

FABRICIUS JACET HEIC. TITULOS NE QUÆRE VIATOR.
OMNES HOC TITULOS, OMNIA NOMEN HABET,
ULTIMA CUI DEMUM COMPLETUR LINEA RERUM,
VIRTUTUM POSTQUAM SINGULA PUNCTA TULIT.

EPIGRAMMA
DE
VINCENTIO FABRICIO,
Dum legationis munere fungeretur, exſtincto.

FABRICIUS Geticam legatus abivit in aulam,
Dumq; obit hoc munus, ſummum obit ille diem.
Idem erat è cœlo legatus miſſus in orbem,
Ut cauſam gereret non minus ille DEI.
Ergo DEO Patriæque in munere ſerviit uno;
Fine ſed hæc alio munus, & ille regit.
Non eadem eſt hominum via, quæ via Numinis: iſta
Namque domo mittit: ſed vocat illa domum.
Mutatur Dominus, ſed munus durat, eritque
E Legato nunc Angelus ille DEI.

AD
INCLUTAM CEDANENSIUM
REMPUBLICAM.
De Morte
VINCENTII FABRICII.

MAgna Parens, GEDANUM, toto quæ dividis orbe
Nomen & immenſo tendis ad aſtra gradu.

 Urbs

Urbs auguſta, potens opibus, Muſisque benigna,
Laudibus ô major, major & invidia.
Fabricii vah quanta tui jactura! quis iſte,
Pectora qui tot agit, tot premit ora dolor!
Sarmaticam ſolers orator miſſus ad aulam
Immoritur curis, quam bonus ille! tuis.
Quanta erat hæc pietas, quæ gloria! quantaque damna
Hic ſentit populus, quanta Senatus habet.
Quò minus ille tuus (nam Te non ille Parente
Natus) eò magis hic ſe probat eſſe tuum.
Non fuit ille ſuus, fuit aut alienus; at unus
Integer & totus nunc fuit ille tuus.
Ut nunquam ſeſe in partes abiiſſe probaret,
In partes totus ſolvitur ille ſuas.
Debita dumque Tibi, Naturæ & debita ſolvit,
Et quam non animam debuit, ille dedit.
Fabricio quam multa tuo, ditisſima, debes!
Magnum hoc, quod neſcis ſolvere, nomen habes.
Redde animam, vivat per te tuus ille ſuperſtes,
Da nomen, tua quod vincere ſecla queat.
Quis neget æqua? Tuo hic in munere mortuus: Ergo
Munere nunc vivat mortuus ille tuo.

AD

Nobiliſſimum & Ampliſſimum VIRUM

NICOLAUM HEINSIUM DAN. F.

Ut

Manibus Fabricianis parentet.

HEinſiade, Vatum Batavorum ſumma, ſed una
Gloria, quem Phœbum patria terra colit.

Hein-

Heinſiade, veteris vindex certiſſime ſecli,
Heinſiade, numeris non temerande meis.
Seu tibi Regales diſpungunt otia curæ,
Seu fovet in molli Calliopeja ſinu,
Improba, feralis, nigrantibus horrida pennis
Auribus allapſa eſt præfica fama meis.
Cujus verba tibi refero, ſed ferrea, ſed quæ
Excutiant capiti laurea ſerta tuo.
Ille tibi quondam fraterno junctus amore,
Et tecum Clariis advena tinctus aquis,
Ille tuis quondam non ultima gloria Belgis,
Teutoniæ ſummum, judice Patre, decus,
Ille tuis dictus toties totiesque Camœnis,
Ille tui præco nominis, ille Tuus,
FABRICIVS tuus ille (quid heu, quid Fama minaris?
FABRICIVS (titubant heu mala verba!) fuit.
Ergo fuit Tuus ille, fuit, vixitque. Sed iſta
Quis dicet dignâ funera voce dolor?
Quis gracili tantas æquaret carmine laudes,
Quæ ſtrepitum tenuis non meruêre lyræ?
Hos ego do leſſus (ſi quis tamen hos quoque, ſi quis
Aut legit, aut tanto Nomine digna putat.)
Sed dixi, tamen has Vates inglorius umbras.
Non ego, non culpam deprecor ipſe meam.
Namque tuos, *Heinſi*, cariſſima funera leſſus,
Poſcunt, & cineres hos puto velle pios.
Forſan & Heinſiacas præſentit amica Camœnas,
Et correpta tuis ſubſilit umbra modis.
Forſitan (Eurydices memorant ea fata Poëtæ)
Orphea poteras hanc revocare lyrâ.
Si juvit genio quondam naſcentis Amici,
Et libaſſe merum & thure litaſſe ſacro:

Sique tuam quondam celebravit carmine lucem
Natali dicens optima verba tuo:
Extremum quoque nunc morienti munus amico
Redde, nec æterni differ honoris opus.
Heinſiaco poterit leſſu tuus ille renaſci,
Qui natalitii carminis inſtar erit:
Qui potes ergò, iſtos digno dic carmine Manes:
Me pudet in tanto funere poſſe loqui.
Cumque velis, facies (quis enim te velle negaret?)
Me pudet in tanto funere velle loqui.

In Obitum

ADAMI TRIBBECHOVII,

Superint. General. Saxo - Gothani.

QUas ô Amico nænias fundam meo!
Qui noſter annis à tot optimus fuit,
Antiqua cujus experimentis fides
Spectata tantis, quemque fraudum neſcia
Dolique Virtus, candor ac integritas;
Suisque tinxit recta mens coloribus.
Quid, TRIBBECHOVI, manibus ſcribat tuis,
Quæ mutui monumenta amoris erigat,
Quæ nunc ab ipsâ mentis exulat via
Suisque Muſa mergitur doloribus?
Non præſtet illa ſancti amoris pignora,
Non hìc dolorem teſtis impar exprimet,
Qui nunc ſepulchro jambus adrepit tuo.
Durabit illud nominis tui decus,
Hæret medullis illud infixum meis,
Dum noſter hos movebit artus ſpiritus.

Sed magna Princeps, magna ſed pius Tibi
Et eruditus ſolvet orbis præmia.
Per ora virtus fertur omnium tua,
Et ſecla faſtis conſecrabunt poſtera.
Sed tranſit illa Seculorum Gloria:
Et ne caduco deſes ævo hoc excidat,
Inſcribit ipſa nomen albo Æternitas.

AD

ERICUM MAURITIUM, JCtum.

Poſt Conjugis exceſſum

FRATRIS OBITUM PLORANTEM.

Ergo tuis aliquid lacrymis, ô Amice, relictum,
Et tantis credam te ſupereſſe malis?
An poteras iſtos miſer heu! ſuperare dolores,
Quos animæ fecit pars tibi rapta tuæ?
Fleverunt Charites, fractos Amor abdidit arcus,
Pullaque tum fumis ducere viſa Venus.
Adſtitit Aonidum jam triſtior ordo Sororum,
Exequias Virtus ivit & ipſa ſuas.
Indoluêre ſuis ſerò, pia Numina fatis,
Damnavit rigidas Atropos ipſa colos.
At, tuus ex oculis quia ſe ſubduxit ocellus,
Lux inviſa tibi fulſit & ipſa dies.
Fugit & ipſa tibi lux & tua vita receſſit,
Et velut in mediâ morte relictus agis.
Quot periêre tibi, quam pulchro in corpore! dotes,
Caſtus amor, verâ cum pietate fides!
Penelopes huic mens Helenes in corpore vixit,
Et fuit ipſa tibi, ſed ſine labe, Venus.

Sed fuit illa. Tibi durum meminiſſe relictum eſt.
  Torquebant viduos gaudia rapta toros.
Hinc tibi perpetui carpebant pectora luctus,
  Vixque tui compos, vix tibi notus eras.
Heu quoties profugam per inania vota repoſcens
  MAGDALIN exangui decolor ore ſonas;
Nec curant ſurdi lamenta imbellia manes,
  Nec ſtetit ante oculos dulcis imago tuos.
Nec velles ſupereſſe tuæ, quâ nempe ſepultâ,
  Plus jam dimidiâ parte ſepultus eras.
An tantis credas quid poſſe doloribus addi?
  Jam novus afflictum macerat iſte dolor.
Nam tibi dum crudo plenum ſtat ſanguine vulnus,
  Fraterno ecce! novum vulnere vulnus hiat.
Conficeris gemini infelix ſub verbere fati,
  Dumque tot in partes carperis, ipſe peris.
Ac poterant animi (neque enim de rupibus orti)
  Herculei gemino ſuccubuiſſe malo.
Non mea non tantos ſolentur carmina luctus:
  Sanaturque novo forte dolore dolor.
At nos hæc uno ſolabimur omnia voto:
  SERVATE HOC NOBIS ô PIA FATA CAPUT!

MONVMENTVM,
Quod
Nobiliſſimo Experientiſſimoque
V I R O,
BERNHARDO MVLLERO,
Medico Doctori, ac Practico, dum viveret,
celebratiſſimo,
L. M. Q. P.
D. G. M.

D.O.M.S.

*
* * * *

D. O. M. S.

*
* *

Siſte greſſum Viator!
Ad tumulum hunc reſpice,
Conditur ſub illo
BERNHARDVS MüLLERVS,
Aurei Vir ſeculi,
Et,
quod prodigium in ſeculo corrupto
dixeris,
B O N V S,
Quem Lacones Divinum vocabant,
in laudem ac pudorem ſeculi ſui natus:
Hunc corrupto incusſit;
illam de virtute ſuâ conceſſit.
Celebratisſimus olim Patriæ ſuæ
Medicus.
Raro exemplo tam ante obitum
quam in obitu felix:
nunc poſt fata felicisſimus.
Cui ut bene naſci;
ita bene vivere & mori contingit.
Virtutes à Parentibus traditas ſuis
locupletavit.
Illas & ſuas in unicam propagavit filiam
è V. Liberis geminoque matrimonio
ſuperſtitem.
Huic Generum delegit,
cui cum filiâ Hygieiam deſpondit.

Hinc

Hinc Nepotes vidit Nepotumque liberos
florentisſimos.
Ut itaque omni à parte illum circumſideret
felicitas,
Dum virebant illi genua,
præcipuas Europæi orbis partes peragravit:
Unde varias in Patriam ſcientias intulit,
Medicus in Salutem Patriæ natus.
Salus enim populi
Suprema Lex & Principis eſt & Medici.
Ita vero morbis medebatur,
ut animo ſimul mederetur.
Ut pharmacis corpora;
ita pietate animum curavit:
Ne dum temperies reddita eſſet corpori;
animum intemperiæ agitarent.
Fuit namque Pietas
Tenera Puero,
Firma Juveni,
Conſtans Viro,
Matura Seni,
Et nunc quoque ſuperſtes eſt mortuo.
Vixit
Omnibus ſuavis,
Nemini gravis,
Nemini invidens,
Nemini inviſus.
Ita uſus mundo, ut frueretur tamen Deo:
Neque enim horas tantum,
ſed & dies & annos Deo vectigales habuit.
Inter ceteras maxima ejus ſcientia erat,
Se Neſcire & Scire.

Scivit ſe hominem;
quia nihil humani à ſe alienum putavit.
Neſcivit virtutes ſuas;
ne hæc ſe inflaret ſcientia.
Cum ſe neſciret, ſcivit Deum,
eo ſolo ſcientiſſimus:
ut ignotus ſibi; ita notus illi.
Cum ſe ſciret, neſcivit mundum:
ita cognitus ſibi, ut illi incognitus.
In hoc enim
BENE QVI LATVIT BENE VIXIT.
Ne enim illum umbræ in luce publicâ
verſantium fallerent, ad umbras
confugit:
Sub quibus latuit,
Ne in prædonum manus incideret.
Hîc in ſe ipſum, velut, in cœlum recedens,
in præſenti ſeculo vitam futuram vixit:
Nunquam otioſus, nunquam malè feriatus,
etiam cùm eſſet otioſus,
Cui DEUS otia fecerat.
Omnium enim laborioſiſſima res
Pietas eſt.
Nunquam ſolus: cum eſſet ſui ſocius:
qui cum apud ſe, apud Deum
erat.
Cum è momento pendere æternitatem
noſſet,
momenta ſingula ſibi æterna fecit.
Mirabilis hæc Medicina eſt,
Quæ Vitam æternam ſervat, quæ immortalitatem
largitur.

Hanc

Hanc ille unicè poſt alteram deſertam
profeſſus eſt.

Sic Medicè vivere optimè vivere eſt!
Sed & ſummam alterius Medicinæ
gloriam conſecutus eſt:
Mortem ſeram.

Quæ longævitatis humanæ terminos ipſo
triennio ſupergrederetur.

Nam
Vitæ hujus ſatur,
futuræ ſitientiſſimus,
annorum plenus,
quos tres ſupra LXXX. compleverat,
æternitati illatus,
ſub ipſum Veris auſpicium,
cum ſignifer Aries ad Agni Nuptias illum
evocavit.
Die XIII. Martii,
Anni cIↃ IↃc LXXII.
horâ, quam ſibi divinus prædixerat, IX.
Ne elogia plura quæras Viator.
Tribus verbis omnia encomia
exhauſeris:
VIR PIUS HIC SITUS EST.
Abi Viator.

Extrema hæc linea omnium Virtutum
puncta tulit.

In

In Obit.

MAR. ELIS. NIDERSTÄTTEN,

AD

MOESTISSIMOS

P A R E N T E S.

MItte, Pater, miſeros in acerbo funere planctus.
Mitte tuos, Genetrix prole beata tuâ!
Sed tamen una fuit: nomen perit omne Parentum.
Non perit: hæc vobis nunc quoque ſalva manet.
Quæ decus hoc Patriæ, Spem Fata Parentibus unam
Oſtendêre, (brevis quanta trophæa moræ!)
Virtutum, majore ferunt ſpectanda theatro,
Non modicos intra regna premenda lares.
Huic dudum reſides alis pernicibus annos
Quæ præit, æthereum Mens pia ſtravit iter.
Exuit humanæ ſenſus, contagia vitæ,
Longè ultra genium temporis acta ſui.
Emeritam abſolvit luſtris tribus illa ſenectam:
Igniculis ætas carpitur ipſa ſuis.
Æternos meruit, cum plenis nubilis annis,
Et matura Deo eſt, cum fuit illa Viro.
Nunc Sponſi ſi jure ſui, ſi lege Parentum
Excidit, invitâ denique miſſa manu;
Nil tamen hîc fraudi eſt: æterno Maximus illam
Jure ſibi jungit SPONSVS; adoptat AVUS.

Florum ſparſio
ad tumulum
MARIÆ ELISABETÆ NIEDERSTÄTTEN,
NATÆ OLEARIÆ.

* * *

QUos fundet tumulo tuo liquores?
Quos ſparget gemebunda Muſa flores?
Matrum gloria ſumma Cimbricarum,
Quo proles Patre nata! Cui marito
Juncta! quam bene! quâ beata prole!
Quo Socrus genero beanda! nî ſpes
Adverſis fuerit revulſa fatis.
Non votis tibi inanibus litatur,
Quæ vincis mea vota, ſpernis omnes
Quos fundit pietas caduca leſſus.
Si centum tibi Muſa ſolvat ora,
Si centum Charites ligent corollas,
Si ſpargat roſeos Favoniorum
Imberbis tumulo caterva nimbos,
Urnam purpureo coronet anno:
Pæſtanæ quid opes, quid illa terræ
Ornent pignora germen hoc, beato
Quod ſuccreſcit in his agris Olympo?
Quin aufer peritura dona flores,
Ventorum ſpolia, imbriumque ludos,
Uniusque dieculæ triumfos,
Quosque Eos coquit æſtuoſa ſuccos!
Tot dotes animi, tot illecebras
Mentis delicias & oris ignes
Adoptiva nihil juvat venuſtas.

Nam

Nam per ſecula delibuta vivo
Hæc virtutis odore ſpirat urna.
Florum Flos latet intus omnium, omnes
Hortorum cui ſerviant Quirites,
Et quot Dædala nutrit aſtra tellus,
Ruris numina delicatioris,
Solari radiata penicillo;
Unde omnes animam hauriant odores,
Sertaque ingenuæ legant puellæ;
Unde mellificæ bibant volucres
Dulces ætherei caloris auras:
Flos ævi melioris aureique,
Flos veræ pietatis & bonorum,
Queis Deo placuit bonisque, morum
Flos ſexus, patriæque, Conjugisque
Totus in cineres reſedit illos;
At qui, cum volet ille Sponſus olim,
Inter qui roſeus roſeta paſcit,
Cœli floribus, inſerendus aſtris
Flos ipſo è cinere aureus reſurget.

IN
MARCVM Kohlblatt/
penè cum ipſo hoc ſeculo natum;
nunc placidè pièque exſtinctum.

QUi natus inchoante ſeculo fuit
Præclarus ille ſeculi Civis ſui,
Illa aurei propago pulcra ſeculi,
Sic tempori ſuoque vixit ſeculo,
Ut ſeculi qui vixit hujus filius,
Æterna nunc in ſeculorum ſecula
Poſſit futuri ſeculi eſſe filius.

In
Obitum
JOHANNIS BRAUERI,
ad D. Nicolai Archidiaconi.

QUi paſcebat oves Paſtor, nunc paſcitur ipſe.
Agnus Paſtoris Paſtor & ipſe ſui eſt.

AD
DOMINI
JOH. CASP. PFENNINGII.
Medic. Doct.
Conjugem ſub ipſum novi anni initium, poſtquam Maritum prole donaverat, exſtinctam.

SIc ergo fugiente fugis velocior anno!
Hic obit extremum, Tuque, *Beata*, diem.
Vix venit ille novo ſubeunte noviſſimus anno,
Et veteres tumulat nox Tibi longa dies.
At tibi jam magnus cum magnis menſibus annus,
Ac alio ſurgit ſol ſuper axe novus.
Tempora cum celeres nobis rapuêre Kalendæ;
Hîc annus ſemper ſtat novus, hora, dies.
Sint procul hinc lacrymæ, lamenta ingloria, planctus.
Fallor, an hæc ſtrenas & bona verba cupit?
Quin damus has: pia cum ſimul officioſaque prolem
Strenam danda DEO Strena dat ipſa Viro.

VERO

VERO CHRISTI EXVLI,

DN.HANSO CHRISTOPHORO
à NEMMITZ,

Nobili Provinciali Carinthio,
Sinceræ Pietatis Viro & Heroicæ in Fide
Orthodoxâ Conſtantiæ,
nunc per beatam mortem in veram patriam evocato,
Cum plura inſignibus ejus virtutibus deberet,
extemporale hoc Amico optimo monumentum
non ſine dolore poſuit.

D. G. M.

NEMMIZI, quem nunc extremâ voce ſaluto,
NEMMIZI, ô animo multum adamate meo,
Si mihi, quà Pietas, ſi quà dolor urget, eundum,
Quæ Tibi non noſter carmina ſcribat amor?
Tu titulos dudum & patrimonia ſplendida linquens
Sola Dei ſequeris regnâ, ſed exul, inops.
Hæc ſi ſalva Tibi, nihil omnis gloria mundi,
Nilque movere truces Te potuêre minæ.
Namque invicta ſtetit quæcunque ad fulmina virtus,
Et Pietas ipſis auctior usque malis.
Sic Te viventem juvat hoc exire theatro:
Nam Te vera domus, Patria vera vocat.
Hîc Tibi quam pulchris penſantur damna triumfis!
O quàm ſancta Tibi poſt mala tanta quies!
Qui miſeram hîc poteras generosè vivere vitam;
An poteras fato nobiliore mori?

In
JOHANNEM HVLDERICVM HEIDERVM,
Se quondam Decano honores in Philoſophiâ ſummos adeptum,
Inter ipſos de Immortalitate animæ labores placidè exſpirantem.

QUi Tibi ſuſpendi laurum, nunc figo cupreſſum,
Heu mihi! quam trepidâ, dulcis Amice, manu.
Quid querar? an noſtris pignus memorabile Muſis?
An raptam Patriæ ſpemque decusque tuæ?
Heu mihi! quam pulchræ fugiunt hoc funere dotes!
Quæ pereunt genii nobilioris opes!
Vidimus has, teſtesque loquuntur plurima chartæ,
Queis majora tamen mors tumulusque rapit.
Viderat æternâ cœptos de Mente labores,
Hincque æterna tibi nomina Parca cavet.
At mediæ illapſus menti DEUS ipſe docebat,
In dubium quæ nunc peſſima ſecla vocant.
Ut Tibi demonſtret, membris exeſſe juberis.
Mens immortalis non niſi morte patet.

In
MAVRIT. RENNENKAMPF,
Helmæſtadii placidè defunctum.

TEne mori, RENKAMPFI! & in ipſo flore Juventæ!
Tene mori! vegetum cui modo pectus erat.
Tene mori, noſtris decus olim dulce Camœnis!
Quem noſtro rapuit Julia Muſa ſinu.

Tene

Tene mori patrio præreptum pignus amori!
Et tot opes animi Te moriente mori!
Quod ſi plectra forent iſtis non ſurda querelis,
Multa tuos caneret nænia noſtra rogos.
Nunc, quò plura mihi ſunt argumenta doloris;
Hòc minus ille dolor mentis & oris habet.

AD
LAVRENTIVM OHEIMB,
circa brumæ tempus extinctum.

HEu mihi! quàm ſpatiis annos metantur iniquis
Fata, brevique breves hi periêre die!
Jam nox longa rapit ſpes, votaque longa Tuorum,
Digne ô, quem raperet non niſi ſera dies.
Sed Tenebras æterna Dies, Annosque ſequuntur
Secula. Nunc Orbi vive, BEATE, NOVO.

Aliud.

QUi longam poteras, Juvenis, meruiſſe ſenectam,
Ætatis primo flore, miſelle, cadis.
Fallor, an ipſa tuos mors non bene computat annos?
Hi juvenem: Virtus arguit ampla ſenem.

IN OB.
JOACHIMI SCHEVII,
Lubecenſ. Scholæ Collegæ.

MUſarum è media Te nunc, Vir docte, palæſtra
Deque Scholæ raptum pulvere fata vocant.
Pulvis & umbra ſumus. Tibi quondam in pulvere tota
Inque umbra, SCHEVI, vita diesque perit,

Et nunc ipſe tuo commiſtus pulvere pulvis
Mergeris, ac umbris adderis umbra tuis.
Et nunc illa tui ſub terras ibit imago:
Plenior aſt ipſo è pulvere vita redit.
Lux Tibi, lux aliis doctas quæ ſparſa per umbras
Æthereæ ſignat nunc Tibi Lucis iter.

In
JOHAN. LINDEMANNVM,
L. L. Stud.
phthiſi placidè exſtinctum.

VIxiſti, LINDMANNE, brevis tibi vita cucurrit:
Sed Mors tarda tibi, ſed nec acerba fuit.
Hora alios jugulat: toto tibi ducitur anno,
Et pede mors lento non metuenda venit.
Quo brevior tibi Vita fuit, Mors tardior: hòc plus
Te puto nunc Vitæ; Mortis habere minus.

In obit.
PETRI VON HORN,
Senatoris Kil.

NUlla ſalus Vitæ eſt: juvat hoc exire theatro:
Quam felix, cupidum quem ſua fata vocant!
Tu vitæ ſatur hinc, HORNI, diſcedis, & inter
Sidera nunc pura luce coruſcus ovas.

In obit.
DOR. MARGAR. GRAMMIÆ.

I Nunc Virgineis Virgo Te mentibus infer.
Te Deus è purâ virgine natus amat.
Delicias amet ille ſuas, ſua munera ſervet!
Non temeret noſter gaudia tanta dolor.

In

In
MICHAELIS FREUDII,
Scholæ Wismar. ConRectoris,
U X O R E M,
in partu exſtinctam.

FREUDI, noſter Amor, patriis decus addite Muſis,
Et cui totus opes promat Apollo ſuas,
Quis Tibi tàm ſævo ſupereſt â fulmine ſenſus?
Pectora quis tanto in vulnere mœror edit!
Quàm pia, quàm ſuavis, quantis virtutibus Uxor
Deſtituit viduum funere rapta latus!
Nunc ſi, quem cuperem, teſtarer, Amice, dolorem,
Diluerem lacrymas totô ego fonte tuas:
Deficiunt tamen hîc, quas promam pectore, voces,
Muſaque noſtra tuis adſtupet ægra rogis.
Ut tibi non peperit, moriens quæ parturit, Uxor,
Parturit ille dolor multa, nihilque parit.
Tu Patriæ (reſtant ea nunc ſolatia) prolem
Suffice; in hâc olim Patria tota tua eſt.
Et quia rapta Tibi proles cum Conjuge: mentis
Usque bonæ fœtus, quod potes, ede novos.
Hos Tibi gigne, bonis hos moribus, artibus orna:
Sic Patriæ poteris, ſic pater eſſe patrum.

LACRYMÆ
MARITI
IN FUNERE
DULCISSIMÆ CONJUGIS
MARGARETÆ MORHOFIÆ.

DUlcis Marita, dulce nomen, o meum
Tuæque gentis, & tuæ prolis decus,

Meumne vero? fallor, heu quondam meum:
Sed nunc meum, ſed unicum, ſed poſtumum,
Mihi ſuperſtes ipſi & æternum decus!
Quô nunc abiſti? quo recedis lux mea?
Quæ nox ocellis, o Bona, incubat tuis?
Quis ille vultus luror occupat tuos?
Vultus pudicos, vividos, amabiles.
Quis ille membra ferreus tendit rigor?
Amplexibusque ſaxeam rapit meis.
Quis obdit ille peſſulum linguæ ſtupor?
Ten' ejulatibus laceſſem ac næniis,
Dulcis Marita! nulla vox mihi redit,
Surdasque vanus cædit auras ſpiritus,
Hæretque in ipſis vox inanis faucibus.
An inter umbras additus comes tuis
Vagabor? exorare quis manes queat?
An è ſupernis Te reducam ſedibus?
Non tanta vis eſt Carminum, nec Tu velis.
Ergo querelis ipſe ſuccumbam meis.
Juvat perire. Me meus paſcat dolor.
Dolere pulchrum eſt. Id meas ſolabitur,
Et unice curas meas ſolabitur.
Has inter anxii effluant mihi dies,
In his ſeneſcam, (ſi ſeneſco) luctibus.
Mortesque lentæ funeri excubent meo.
Me dulcis oblectabit interim tui
Vultus imago: in his medullis, hoc meo
Condetur illa pectoris ſacrario:
In hoc ſepulchro vivet illa: ſic mihi
Moriendo vivam mente ſuffultus tuâ.
Vivent Amores, nulla quos delet dies,
Novisque ſeſe nutrient doloribus.

Vivent dolores nulla quos delet dies,
Suisque ſeſe nutrient Amoribus.
Venient amoris hinc & in partem mei
Hîc quæ tui meique ſunt imagines,
Illa illa lecti conjugalis pignora.
Hæc intuebor: illa me jungent Tibi:
Jungemur omnes uno amoris vinculo,
Jungente, qui nos ſolvit & junget, DEO:
Mea ſic futura es, ſic ero totus tuus,
Dulcis Marita, dulce nomen, o meum
Tuæque gentis, & tuæ prolis decus.

PETRO AXENIO,
VIRO VARIA ERUDITIONE MAGNISQUE VIRTUTIBUS CLARISSIMO,
CONJUGIS SUÆ DULCISSIMÆ FUNUS ACERBUM DEPLORANTI,
AMICO OPTIMO,
VIDUUS VIDUO
SCRIBO
D. G. M.

ERgo pari exercent eadem nos fata palæſtrâ,
Cauſaque nunc luctus una duobus erit!
Una meos mihi lux; tibi meſſuit altera amores,
Axeni, & viduos flemus uterque toros.
In nova lucis eunt longi diſpendia Soles,
Solſtitii nobis quam gravis aura fuit!
Sternimur, Axeni, ſed fulmine ſternimur uno,
Rapta tibi Conjux, & mihi rapta fuit.

Partimur lacrymas; iisdem ſervamur Amici
 Caſibus & ſocio eſt ſuave dolore frui.
Tu decus Aonidum quantum Themidosq; meumque!
 Tu decus es Patriæ: ſed decus illa tui;
Ut decus illa mei, quam mors mihi ſurpuit, uxor.
 Sed fuit illa mihi: ſed fuit illa Tibi.
Unde tibi promet, ſibi quæ ſolatia deſunt?
 Unde tuos animos, qui jacet ipſe, levet?
An mihi, dum crudo ſedet unguis in ulcere, veſtris
 Vulneribus médicam ferre licebit opem?
Illa mihi ſtagnant pleno ſtillantia tabo
 Vulnera, quæ veniens refricat usque dies.
Ipſe mihi deſum, meditantem nulla ſequuntur
 Verba, ſed in tantis mens ſtupet ægra malis.
Et, quæ proveniunt lento luctata palato,
 Triſtibus in lacrymis humida verba natant.
Interea ploret grato mea Muſa ſepulchro,
 Si minus exequiis officioſa tuis.
Hâc ſaltem velit illa Tibi pietate probari,
 Signaque det luctus qualiacunque ſui,
Spargat & illa roſas, morientis munera veris,
 Deque meis ponat lilia rapta rogis.
Illa tamen placidâ mœrentem voce ſalutet:
 Sume animos, tua quos ſuadeat *Anna*, mares!
Serva Te Patriæ, ſerva majoribus auſis.
 Te ſalvum proles, Cimbria tota cupit.
Hoc Themis ipſa ſibi ſalvum caput, hoc velit omnis
 Aonidum chorus; hoc quisquis amicus erit.
Dulcia ſint opto, quæ vitæ tempora reſtant,
 Sint ſudi, renuunt quos mihi fata, dies.
Dulcior inde tuo veniet mihi funere mœror.
 Hic ſaturet mœror pectus edatque meum.

Me

Me meus urat amor, dolor & ſuus urat amantem:
Ille ſuis facibus torreat; iſte ſuis.
Aſſiduo memores animos in funere verſet
Luctus, & omnis erat triſtis & atra dies.
In lacrymas, o Amice, tuasque measque liqueſcam.
Diluvio mergi quam mihi dulce meo!
Sic exſucca mihi tabeſcant membra, meæque
Subſidam in cineres conjugis ipſe cinis.

Ad
E U N D E M
Filiæ dulciſſimæ
obitum
deplorantem.

CUm præclara tuis raperetur amoribus Uxor:
Rapta fuit noſtris Uxor & ipſa toris.
Tunc ego, qui valido ſternebar fulmine, flevi
Conjugis ad tumulum, dulcis Amice, tuæ.
Namque tuos potui ſolari carmine caſus
Exemplo doctus commonitusque meo.
Nunc vetera illa novo crudeſcunt vulnera luctu,
Cum Matrem ſequitur Filia rapta ſuam:
Filia, cui teneros pietas prævenerat annos,
Cui roſeis virtus fulſerat ipſa genis.
Hæc tua, poſt Matrem, ſolatia gaudia condis:
Vulnera nam veniunt nunc graviora Seni.
Sed Tu ſume animos: ſibi nam, Tibi nata ſuperſtes
Vivit, & ad Matris confugit illa ſinum.

In

In Obitum
D O M I N I
MATTHIÆ WASMUTHI,
Doct. & Prof. Theologi.
operi ſuo Chronologico
immortui.

* * *

Cogito: Ergo ſum.

ET Tu fuiſti, ſi fuiſti, qui, Senex
Beate, nunc es, ac eris ſemper Tibi,
Orbi ſuperſtes. Nos, ut arbitror, ſumus,
Si cogitando nos quid eſſe diſcimus.
Sed nos fuiſſe cogitando diſcimus.
Jam fluxit illud, eſſe quo me cogito,
Fuitque punctum. Jam quis eſſe nos putet?
Et cogitando & ſomniando vivere?
Sic ergo cogitemus eſſe, quod ſumus,
Ut nos fuiſſe cogitemus, cum ſumus.
Quid ſit futurus, quisquis eſt, nunc cogitet!
Et cum futurum; ſe quoque eſſe cogitet,
Et eſſe ſic, ut ſe fuiſſe cogitet.
Sit ergo, non ſit ille, ſit tamen ſuus:
Sic, non fuit, quisquis fuiſſe creditur.
Sic cum fuit, futurus eſt, & eſt ſuus.
Valete Tempora! regnat una Æternitas.
Vale Magiſter Temporum! Eſto nunc, quod es.
Quod Te futurum cogitaſti, es, ac eris.

In

In Obitum

ANNÆ MARGAR. SCHROEDERIÆ,

&

DN. SIM. HENR. MUSÆI

Conjugis.

SI, *Muſæe*, Tuo par eſſet Muſa dolori
Noſtra, tori quem nunc triſtia damna premunt,
Fundere vel totos deberet prodiga fontes,
Dilueret lacrymas imber ut ille tuas.
Vel ſtupida ad tantos conferre ſilentia luctus:
Hoc unum officio par putet illa ſuo.
Non ignara mali veſtros utcunque dolores
Solari exemplo promta erit illa ſuo.

AD

V. CL.

JOACHIMUM FELLERUM CHRISTIANI DAUMII

MANIBUS

elegos noſtros flagitantem.

MISNIA, Saxonicæ regio cultiſſima terræ;
LIPSIA, Misnenſis Sol & ocelle ſoli,
Nullis ô populis, nulliſque tacenda Camœnis
Nomina, quod veſtrum ſpargitur orbe decus!
Quæ non eximias extollent ſecula laudes!
Quas ego, quo plectro, quove calore canam!
Germanæ Latium genti quod ſurgit & Hellas,
Secula quod populis priſca renata ſuis,

Phæ-

Phæbeas quod alit felix Germania laurus,
Fallor, an hoc veſtri muneris omne fuit?
Magnus in has Latium Camerarius intulit oras,
Quale nec Auguſti ſpernere ſecla velint.
Idem Cecropias illic exſtruxit Athenas,
Et gentem vobis unus utramque dedit.
Et nunc usque Tibi famæ perſiſtit avitæ
Gloria & usque ingens, LIPSIA, nomen erit.
Nunc etiam ſcriptis dignam immortalibus ornant,
Et celebres tollunt Te ſuper aſtra Viri,
Qui tot opes animi ſpargunt, ſparſasque per orbem
Æternâ cumulant, pabula docta, penu.
Æmula Romanis quod ſcribit & æmula Grajis,
FLEMMINGO debet patria Muſa ſuo.
FLEMMINGO, ſua quem produxit MISNIA civem,
Quem Vatem celebrat CIMBRIA noſtra ſuum.
(Nam venit in partem decoris quoque CIMBRIA veſtri)
Teutonicæ ille fuit gloria ſumma lyræ.
Nunc, CYGNÆA, novos Romana in ſecula Cives
Mittis, & hâc patriam Tu quoque luce beas.
Nam Tibi nunc ævi poſt ornamenta prioris
Nobile Par famam gignit alitque novam.
Par, quod vel veteris celebrarent tempora Romæ,
Quod veterem poſſet reſtituiſſe novis.
DAUMIUS hic; alter FELLERUS; uterque Dearum
Et Patriæ, ac Orbis, quà ſapit ille, decus.
FELLERUS magni decus immortale Magiſtri;
Diſcipulique decus DAUMIUS ille ſui.
Patriæ uterque decus; neque enim majorve minorve
Ille vel hic, minor ut quilibet eſſe velit.
Diſcipulo vinci Doctorem, prole Parentem
Laus eſt Doctori maxima, ſumma Patri.

Magnus

Magnus uterque ſui Latii inſtaurator; & illud
Ædificat quantum DAVMIVS; ille colit.
Sed nunc ille fuit, CYGNÆÆ gloria, vixit
DAVMIVS, & tot in hoc vota ſepulta jacent.
Tot pereunt monumenta viri. Nox una recondit
Omnia. Sola animis fama, at acerba manet.
Auſoniæ deſerta jacent myſteria linguæ.
Parca eadem vitæ fila operisque ſecat.
Saxonicæ plorant cognato in funere Muſæ,
Quotque pependerunt hujus ab ore Viri.
Tu Civem ploras, ploras, FELLERE, Magiſtrum:
Nec ſimplex Tibi nunc pectora mœror edit.
Et, tua quæ pietas, omnes in funera Muſas
Sollicitas; omnem nunc Helicona moves.
Ipſe tuis lacrymis non ſufficis unus, at omnes
Officio comites nunc cupis ire tuo.
Quid juvat hoc noſtras audiri in funere voces?
Fudiſſe tuum potius, Cygne canore, melos.
Ibimus hinc ſocii: & præcinctis terga ſequemur,
Appendix luctus quantulacunque tui.
Nunc mihi, quas potero, liceat miſcere querelas,
Et deſideriis jungere vota meis.
Vixiſti DAVMI! Vivas FELLERE! tuorum
Dulce decus, Pindi gloria, [illegible] ſter amor.
DAVMIVS à primâ luteam det origine Romam;
FELLERVS reddit carmine marmoream.

In Obitum
GEORG. ERNESTI Heldbergs /
Prof. & Affinis cariſſ.

QUas ergo Amori nænias ſcribam Tuo?
O Noſter, ô Beate! quos fundam Tibi

Leſſus? inanis cui fatiſcit ſpiritus,
Et præ dolore non ſatis compos ſui eſt.
Tuosne lento conſequar laudes pede?
Majore virtus iſta tollitur gradu,
Ut noſtra non æquis ſequatur paſſibus,
Tibique Muſa deſit, & deſit ſibi.

IN OBITUM
VIRI CLARISSIMI
JOHANNIS PETRI TITII,
AD FILIUM FRIDERICVM DANIELEM.

TU quoque vixiſti! quantum decus! optime TITI,
O quot amate viris! queis celebrande modis!
Tu quoque vixiſti! dolor hæc mihi verba refundit:
Hæc mihi, cum ſtupeant plectra, querela redit.
Namque (fatebor enim) Tibi multa & magna parantem
Dicere deſtituit mens, reprimitque dolor,
Quæque ſui gemuit laſſata à funere GUDI,
Tarda tuis venit mutaque Muſa rogis.
Ne tamen extremo deſit Tibi munere, noſter
Hâc, quanquam tenui, voce parentet amor,
Et jungat lacrymas, & quà dolor ora reſolvit,
Exeat in fractos ad tua buſta ſonos.
Non deerit, majora tuæ qui ſolverit umbræ
Officia & meritis ſcripſerit æqua tuis.
Fallimur; an Clarias ſacro de monte Sorores
Manibus exequias vidimus iſſe tuis,
Et de Phœbeis tumulo poſuiſſe corollas
Frondibus, & vati ſerta paraſſe ſuo.
Narrantur tacito Peitho fleviſſe ſepulchro,
Romanoq; Soror nomine nota Charis, Am-

Ambæ ſemianimes, dejectis vultibus ambæ;
Ceu fugerent Veneres illa, vel illa ſuas.
Utraque dulciloquæ funeſta ſilentia linguæ,
Utraque queſta ſuum Te periiſſe decus.
Ingemit ô quanto! viduata juventa Magiſtro,
Virtutis nunquam non memor illa tuæ.
Venit & in partem manſuri Patria luctus,
Nunc tot in Ordinibus Te venerata Patrem.
Urbs Tibi tot Cives debet, tot Curia Patres,
Tot diſciplinæ pignora docta tuæ.
Jam propè tota tua eſt, & erit poſt fata, tuumque
Dulce ſibi nomen Patria ſera colet.
Atque aliquis, qui forte ſenex ea limina tanget,
Quæ juvenis primo preſſerat ante pede,
Hanc digitum in Cathedram, ſedes intendet in iſtas,
Hæc noſtri, dicet, regna fuère TITI.
Hâc annos formare rudes animosque palæſtrâ
Suevit, in hoc doctum pulvere duxit iter.
Heic veteres pandit primis à ſedibus artes,
Sive tuas Latium; Græcia, ſive tuas.
Heic verbis quoties nos eſt affatus amicis!
Quas ſtudii & morum juſſit inire vias!
Hos quoties virtus ſuadebat carpere, carpſit:
Si quis erat dignus præmia ferre, tulit.
Virtutum quoties animoſæ exempla Juventæ,
Sparſa per annales Graja, Latina dedit!
Si verbis ornanda, nec hîc facundia TULLI
Defuit, aut priſcæ copia promta lyræ.
Hæc fuerant illi, nobis granaria, doctis
Conferre in cumeras utiliora ſuas.
Sic tua non ſiccis virtus memoratur ocellis,
Ut ſpectata domi, ſic celebrata foris,

Luxit enim raptum ſibi culta *Sileſia* ſidus,
Sideribus toties orba ſed illa ſuis.
Quas Tibi viventi vidiſti creſcere laurus,
Hæ quoque nunc alibi poſt tua fata virent,
Poſt tot compoſitos, illuſtria nomina, Amicos:
SCHEFERVM, HEINSIADEN, GRONOVIVMQVE Patrem.
Hi Tibi vixerunt, illisque ſuperſtes obîſti;
Nunc tua, qui reſtant, ô Bone, terga premunt,
Doctorum quam parca ſeges! ſed & illa recedens
Tecum & cum ſeclo nunc fugiente fugit.
Tu verò Patrii dignisſime nominis heres,
O Patriæ, ô Charitum, Pieridumque decus,
Sume animos FRIDERICE! Tui memorem eſſe Parentis
Te decet; hunc orbi redde ſuisque Virum.
Excute victuras, monumenta perennia, chartas.
His lucem (cura eſt hæc tua) redde novam:
Nam potes, & pietas ſupremum poſcit honorem.
Nî facies, populi diceris ore reus.
Publica nam lucri, nam damni publica cauſa eſt.
Hoc pudor avertat; ſuadeat illud amor.
Denique ſi mens eſt, quâ docti vivimus; omne
Mentis opus vitæ cauſa perennis erit.
A Patre vita Tibi eſt; Patri dabis, utque ope vivis
Illius; ille tuâ nunc redivivus erit.

AD
CASPAREM VOGTIVM,
post matris obitum conjugis quoque exceſſum deplorantem.

POſt plorata tibi dilectæ funera Matris
Nunc quoque conjugii vincula Parca ſecat.
Lethale infligit Mater tibi vulnus & Uxor:
Illa dedit vitam, fovit at iſta datam. Utra

Utraque nunc vitam potuit rapuiſſe videri,
Dum rapta eſt animæ portio utrinque tuæ.
Scinderis in luctus gemini ſub verbere fati,
Et ſtupet immenſis mens agitata malis.
Hinc totum dolor heu! natum vocat, inde Maritum;
Partiri lacrymas nec velit ille ſuas:
Integra nam vetat hoc pietas diviſaque nunquam:
Totus amor totus nam fit utrinque dolor.
Hunc duplicem non æs circum præcordia triplex
Ejiciat, Virtus mitiget, arsque domet.
Ergò anima heu! varios dum liquitur in ſingultus,
Miſtaque cognatis manibus illa volat,
Pene ſuas inter volat irrevocabilis umbras,
Et veteres odit præmoritura domos.
Sed quid ego? miſeram quamvis multumq; gementem
Sollicitent mihi ſuſpiria fracta chelyn;
Nil ago; nec triſti regno vulgoque ſilentum
Eripient manes carmina noſtra pios.
Quin animam hoſce tuam manes, ô Amice, ſecutam,
Si detur, Geticâ mallem inhibere lyrâ.

AD

PETRUM ARPENIUM,

Conjugi juſta perſolventem.

ARPENI (nam Te triſti nunc voce laceſſo,
Cui mens tam ſubito tota dolore ſtupet.)
O quam non ridet tibi formoſiſſimus annus!
Quam triſtes tibi eunt & ſine luce dies!
O quam ferali prodit Tibi ſidere Majus,
Inque tuos nocuo depluit igne toros!
Ille roſis non jam redimitus tempora Majus,
Sed nigrâ ſignans heu tibi fronte dies.

Et gemina ille quidem gemino igne præivit amoris
Pignora, ſed gemini ſigna futura mali.
Unica lætitiæ; gemina eſt tibi cauſa dolendi.
Illa levis, gravis hæc, utraque nata Deo.
Sed tamen hæc æquâ fuerit tibi mente ferenda,
Nec tam cauſa gravis, quam tibi viſa fuit.
Quæ ſimplum reddit, ſua, quanquam bina repoſcens,
Abſtulit illa minus dextera, plura dedit.

IN

MATHIAM BVRCHARDVM,

Cui menſis Auguſtus & idem pene dies, vitæ initium, Sacerdotii primos honores & placidam mortem definiverat.

QUæ genitum afflavit pia ſidere Virgo benigno,
Seu fuit Euſebie, ſeu fuit illa Themis:
(Nam ſi vera fides, hoc prodiit utraque cœli
Cardine, & hac iterum ſede recepta fuit;)
Molle Tibi ingenium & teneros Pietatis amores
Inſpirat Puero conciliatque Viro.
Hinc quoque (ſiderei nôrunt hæc omnia vates:)
Conſpicuum ſacro cinxit honore caput,
Nunc Te ſed toties revolutis orbibus illa
Evocat in ſedes, quas tenet ipſa, ſuas.
Ducite ab orbe domum pia ſidera ducite Daphnin;
Sidereâ trahit ad ſe DEUS ipſe viâ;
Ducite ab orbe domum pia ſidera; Sidus ad illum
Sidereâ ſolem debuit ire viâ.

IN

D. FRIDERICVM JESSENIVM.

SAlve Beate Vir, polique municeps!
Nam quid queramur! nam quid impotentibus
Te proſequamur, non volentem, næniis.
Te redditum Deo, Tibi ſuperſtitem
Salvum recepit ipſa, poſſidet Salvs.
Quanquam beatum nos repoſcimus caput:
Namque urit usque torquet usque nos ſacra
Illa aurium ſitis, fameſque pectorum.
Salve Beate Vir polique municeps!
Et poſtumum relinque nobis, quod potes,
Pietatis inſtar. Ipſe ſpargebas ſacra
Pii, diſerti, promtus oris ſemina.
Quot inde meſſes! O quot annorum ſeges!
Quam diligens Colonus & frugis bonæ!
Salve Beate Vir polique municeps.
Te regna poſcunt ætheris, vocat Deus;
Quem deſtinârat ille nobis Nuncium,
Nos Te remittimus lubentes Nuncium,
Et lætus ibis ipſe, quò vocat DEUS.
Mutata ſedes: Sparta durat: nam DEI
Olim fuiſti Nuncius: nunc Angelus.

AD

SAMVELEM REYHERVM,

uxori ſuæ

CATHARINÆ BESELINÆ,

dum ipſe in Batavis hæreret exſtinctæ,
juſta perſolventem.

AD plures, patriis propior ſed ſedibus, Uxor;
Ad Batavos patriâ Tu procul hoſpes abis.

Vos loca disjungunt: propior Tibi ſtaret ut illa,
Exiit à ſeſe tota, præitque Virum.
Tuque redux; vacuos quereris miſer usque penates:
Sed tamen hoc unum, quo recreeris, habes.
Si dilecta Tuæ ſub terras ibit imago
Conjugis; hoc tumulo pectoris ipſa ſedet.
Heic habitat, cœlosque tenet. Sibi tota ſuperſtes
Teque Deumque penes nunc utrobique domi eſt.

II.

BESELINA.

Anagramma.

SINE LABE.

NE querere, aut raptos luge impatienter amores,
Quò nos fata vocant, hæc ineunda via eſt.
Languida, mortalis mortali juncta marito,
Quà BESELINA fuit, nunc Tibi tota perit.
Sordibus abjectis, cœlo CATHARINA triumfat,
Puraque nunc puro lumine tota micat.
Nomine mutato, mutata ſorte BEATA,
Quâ SINE LABE procum nunc habet illa Deum.

IN

CHRISTIN. KOHLBLATHIAM,

aquâ intercute exſtinctam.

FLos & amor Charitum, quæ Te CHRISTINA, marito
Vis rapit, & nigrâ membra reponit humo?
Ipſa ſuis ſolvunt Te elementa rebellia vincli,
Teque necarturis naufraga mergis aquis.
Enatat hinc cœlique ſubit mens libera portum.
Illic æthereo flumine tota mades.

IN

IN
JOHANNEM PHILIPPUM ROSMANNUM.

PArs animæ Rosmanne tuæ diſceſſerat Uxor,
Non poteras parti Tu ſupereſſe tuæ.
Tu vitæ fueras comes indiviſus: in ipſo
Funere Te comitem hunc habet illa ſibi.

In
CÆSONEM GRAMMIUM,
durante Magiſtratu Academico
exſtinctum,
ſcriptum alieno nomine.

LUgete Muſæ; Grammius Veſter fuit!
Plorate Muſæ, Grammius Noſter fuit!
Veſterque Vobis Noſter & Nobis fuit!
Pindi virentis floſculus qui Cimbrici,
Ætatis almo flore raptus optimæ,
Dejectus alto dignitatis culmine,
Ipſisque Sceptris raptus, ipſi Purpuræ.
En ipſe frondes Phœbus excutit ſuas,
Mutamque mutus percutit fruſtra lyram!
Muſisque junctus nunc parentat mortuo
Noſter Senatus, Ordo Literarius.
His illuſa noſtra lacrymas miſcet ſuas;
Cum præter has, gemitusque penè nil queat;
Senili Jambo languidum trahens pedem,
Et prima plorat, ſi licet, verùm licet;
Ætate nam qui vincit annos omnium,

Et pauca functi computat his tempora,
Ac plura de ſuis cupiſſet addere,
Grandævus, æger, funus ipſe, funeri
Moeſto ſuperſtes; huncce leſſus fundere
Suprema dona, proximum & primum decet.

In
MARTHAM JUSTINAM FOERSTERIAM, DN. D. NIEMANNI Uxorem.

INgemimus veſtro, Præſul venerande, dolori,
Exuperat vires inprobus ille ſuas.
In lacrymas ibis? non eſt, qui ploret ocellus,
Quo vivam tuleras, erutus ille Tibi eſt.
Objicies ſancto munitum robore pectus?
Sed nunc pars periit pectoris una tui.
Sola poteſt divina ſalus lenire dolorem:
Et nos hæc tumulo carmina pauca damus.
Hîc pia Martha jacet, venerandi Præſulis uxor,
Cara Viro conjux, ſed mage cara Deo.
Qua poſtquam mundi curas abjecit inanes,
Nunc Uno gaudet perfruiturque Bono.

In
ELIAM MULLERUM, LL. Canditat.

SIc ergo mediæ, Müllere, in flore juventæ
Peris acerbo raptus eheu! funere?

Sic

Sic tibi febriles populantur pectora flammæ,
  Ignesque pulcros mentis exſtinguunt bonæ?
Nec ſibi Te CIMBRI potuêre MACHAONIS artes
  Servare patriæque nomen optimum?
Non tuus ille fuit, quo nunc cadis, Optime, morbus,
  Communis omnes ille morbus occupat.
Totus enim miſere febricitat orbis, & omnis
  Fortuna noſtra vitaque æſtuaria eſt.
Heic in fermento toti ſumus, undique noſtris
  Sanguis tumultuatur in præcordiis.
Alternis redeunt frigus calor intervallis,
  Fluxæque nobis ſunt viciſſitudines.
Pectora jam Scythico ſtringuntur frigore, totus
  Tremiſcit Orbis, languet, horret, oſcitat,
Torpet amor juſti fibriſque gelaſcit in ipſis
  Pietas, honeſtas, candor, integritas, fides.
Hinc ſua concutiunt omnes friguſcula, magnis
  Affectuum locum datura incendiis.
Irarum Ætnæos intus ſuccendimus ignes,
  Dici cor officina Cyclopum poteſt.
Heic Stygio nova tela Jovi fabricamus & arma
  Noſtrum furentes expedimus in caput.
Intima jam Paphiæ conſumunt viſcera tædæ,
  Totique fomites ſumus libidinum.
Si cinis omnis homo eſt, cineri ne crede doloſo:
  Nam ſemper ignes ille ſuppoſtos tegit.
Jamque laboranti ſubeunt deliria ſeclo,
  Et cœca ſomniantium phantasmata.
Ergò fatiſcentis cepiſti tædia mundi
  Febriculoſoque eripis te ſeculo,
Itaque ſuis quondam peritura hæc omnia flammis
  Poſt terga linquis & mala hæc flagrantia.

Et

Et dum febrili corpus tibi carpitur æſtu,
  Excedis, incenſis ut hoſpes ædibus.
Frigida ferales cum mors exſtinxerit ignes.
  MÜLLERE, ſolo nunc cales totus DEO.

EPITAPHIUM
PHILIPPI JACOBI STEVENII
Conſulis,
ſcriptum alieno nomine.

Siſte gradum, tumulo flores inſperge, Viator,
  Extremas anni deficientis opes,
Et tenuem modò terram, & in urnâ perpetuum ver
  Fauſtamque ter cineri verba precare ſacro.
Heic recubat noſtræ decus, heu! STEVENIUS! urbis,
  Quem tulit ante ſuum mors inopina diem.
Ipſa oculis Probitas cui elucebat apertis,
  Priſca fides animo, candor in ore fuit:
Cujus conſiliis, dum res & fata tulerunt,
E Patria conſiliis, Curia fulta fuit.
meritos ponit nunc hos in pulvere faſces,
  Tot pulcras genii nobilioris opes
Oraque, tot quondam blando ſolata clientes
  Eloquio, Themidos totque tropæa ſuæ.
Non mea ſunt; verum præconia publica: Teſtes
  CIMBRIA, DUX, CIVIS, CURIA, ROSTRA, FORUM.

IN VIRGINEM
ANNAM EMERENTIAM
GREENIAM.

Vixiſti plenis Virgo jam nubilis annis,
  Nec vitam abſolvunt bis duo luſtra brevem.

Nec

Nec Tu quid ſit amor, quid ſint connubia curas,
Non & edunt pectus vulnera cæca tuum.
Carperis æthereis, Virgo caſtisſima, flammis,
Parsque Tui melior Numine tota calet.
Tabeſcunt teneri divinis ignibus artus,
Quodque tui reſtat mens ſibi tota rapit.
Illam virgineis nunc ſedibus addis Olympi,
Et Sponſi æternus Virginis urit amor.

IN

D. SEBASTIANUM NIE-MANNUM.

ET nunc magna tui ſub terras ivit imago:
Te quoque nunc, PRÆSUL, fama fuiſſe refert.
Hæc finis fatorum, hæc ultima linea rerum eſt:
Dici de ſummis illa fuiſſe poteſt.
Felicem, quæcunque fuit! ſed qui benè: namque
Eſt benè qui potuit dicere, dicet: Erit.

Ad

JOHANNEM DANIELEM MAJOREM,

geminæ prolis jacturam lugentem.

QUalis tumenti, quæ per æquor carbaſo
Raptata fertur, ac in ipſis fluctibus
Deprenſa, cœco navis horret turbine;
Non jam ruentes vela ſuſtinent Notos;
Implume pennis fertur excusſis onus,
Ruptoque clavo effrene, ruptis funibus,
Enerve, præda vel jocus ventis natat;
Talis repentino obrutus jaces malo.

Fati

Fati procellis penè ſubmerſus tui,
Sereniori dignior Major die.
Jam pectori unum vulnus inflictum tuo
Cùm morte acerbâ mergeretur filius:
Eviſceratrix illa nec ceſſat manus:
Sed urget usque, cædit, inſtat, vulnerat.
Fratris tenella funus inſequitur ſoror,
Et unus hic proſternit impetus duos,
Ipſosque cum ſuis parentes liberis.
At Tu lacertos erige hoc ſub pondere,
Tantisque Major usque ſurge nunc malis,
Tuumque præſta pectus hoc par nomini.
Quin Tu tributa promtus offer hæc Deo,
Par victimarum, ſancta Cœli pignora,
(Paribus litari gaudet hic ſibi hoſtiis)
Speique veſtræ, æternitatisque obſides.
Suo ò gemellum floreat ſidus polo!
Majoribus Tibi Deus malum bonis
Duplumque quadruplo rependat præmio.
Compeſce luctus, ſiſte lacrymas, malo
Oppone robur, æsque triplex duplici.
Animos reſume, Teque vindica Tibi.
Quod ſi nec Hercules quidem adverſus duos,
Et Tu duobus unus obſiſtas malis,
Majore Te minor vocandus Hercules,
Magnoque Major ipſe nunc es Hercule.

IN

GEORGIUM GREENIUM.

Tu quoque te cœlo reddis, tellure relictâ,
GREENI, & præ vitâ mors tibi ſola placet?

Quem

Quem juvet heic furias ſecli ſpectare? quis inter
  Tot patriæ vitam vulnera ſoſpes agat?
Incertis rapimur mille inter tædia fatis:
  Hinc metus, hinc animos ſpes, ſed inanis, agit.
Hæc reputans: Non eſt tanti mihi vivere, dixti.
  Plus mea mors vitæ vitaque mortis habet.

In
JACOBUM HENRICUM GUDIUM,
J. U. Candidat.

O Bone, nam quo Te potius cognomine, Gudi,
  Quod gentile Tibi fata dedêre, vocem?
Tu quoque nunc properas ſceleratâ excedere terrâ?
  Tu quoque pollutum deſeris hoſpitium?
Te quid enim teneat? quid fata moretur acerba?
  Plena malis hîc ſunt omnia, plena dolis.
Exulat hic pietas, animis exceſſit honeſtas,
  Jusque datum ſceleri eſt: nil tua jura valent.
Vive Deo felix, oblitus vive malarum
  Quas vita hæc curas, quas malus orbis habet.
In ſuperis habitat Virtus, Patria illa bonorum eſt.
  Has Tibi Tu ſedes, hæc, Bone, regna tenes.
Non Tibi nunc leſſus lamentaque triſtia fundam;
  Quin dicam potius nunc Bona Verba Bono.

IN
PETRUM MUSÆUM.

SCrutator alte ſenſuum profundorum,
Musæe, cui fœtum tot artibus pectus,

Mens.

Mens, lingua vaſtæ promiconda doctrinæ.
Ergò ſubibit illa nunc tui terras
Imago vultus? & per aſtra ſubvectus
Seſe beatis ſiſtet incolam regnis
Natalis illa propago Spiritus Cœli.
Nos lacrymis, nos næniis parentamus.
Surdosque vocibus laceſſimus manes.
Plorant Camœnæ, totus ordo Parnaſſi
Fruſtra querelas miſcet. Ipſe namque iſtis,
Opinor, intercedet, ipſe ridebit
Noſtros tumultus ac inutiles curas.
Hæc rerum inania perditosque conatus.
Nam vivit ille, vivit, & ſibi à fatis
Superſtes inter tot ſuperſtites vivit.
Cœloque vivit hoſpes ejus, & ſpernit
Ineptientis hiſtrioniam mundi.

In
ERICUM MAURITIUM,
Vice-Cancellarium.

I.

GRandæve Neſtor, Principumque tot decus,
Regisque, MAURITI, columna Maximi,
Ergò relinquis hoc fugisque ſeculum,
Pertæſus orbis improbi, præpoſteri,
Satur laborum & tot viciſſitudinum.
Queis hîc rotamur obruti tot fluctibus,
Felicitate maximâ miſerrimi.
Crucisque ſemper Candidati ſplendidæ,
Honorum in ipſo maximorum culmine?
Jam ſpernis illa, quæ ſuo in larario

Idola adorat orbis, & Dolopum dolos
Vafros Sinones, ac Ulyſſes duplices,
Tricasque poſt tot & mæandros litium
Tuæ vel Heraclite, vel Democrite
Scenæ, quietus hoc jaces terræ ſinu;
Sed patrio mentem redonas ætheri.
Nos publico dolemus ereptum bono,
Sanctumque votis hoc repoſcimus caput,
Sed irritis, nihilque conducentibus;
At ipſe noſtras damnat & ridet preces,
Injuſta qui lamenta nobis objicit;
Cum nulla ſit jactura, & heredem ſuum
Sibi ſuperſtes orbi literario
Patriæque leget, quo nihil majus daret,
Ericum, & iſto ſemet ipſum in Nomine.

II.

Ergo poſt varios tandem ultima ſurgit honores,
Quæ Te, Mauriti, gloria tollat humo:
Prima Tibi orandis ducuntur tempora cauſis:
Inde Senatorem patria terra vocat.
Diceris hinc Conſul: Plönenſem dirigis aulam,
Conſiliisque jubet Cimbria adeſſe ſuis.
Extremum eſt à Rege decus, quo; majus ut eſſet,
Denique dat ſummus munera ſumma Deus.

IN

URSULAM ROSMANNIAM,

Menſe Aprili, poſtquam cœlos apertos videre ſibi videretur, placidè exſtinctam.

Qui tibi fatali nunc, Ursula, ſidere fulget
Aprilis * facilem ſponte recludit humum.

* *Aprilis, quod terram aperiat ita dictus Ovid. 4. Faſtor.*

At cœlos idem tibi pandit & aſtra, jubetque
  Æternos magnis menſibus ire dies.
Abſcondat tumulo tellus tua membra fideli,
  Aſt animo tandem reſtituenda ſuo.
Terra ſuas; habeantque ſuas ſibi ſidera partes:
  Mors tua ſed nihili eſt, nilque habet illa tui.

IN

JOHANNEM GEORGIUM WASMUTHIUM.

QUam Tibi, WASMUTHI, celeri pede tranſiit ætas!
  Orta fuit Vitæ nam Tibi prima dies.
Illa Tibi primos maturè indulſit honores:
  Solſtitio ſed nunc excidis ipſe Tuo.
Aſt alii Tibi nunc lucent ſuper æthere ſoles.
  Illic plena Tibi magnaque meſſis erit.

Ad beatè in ipsâ Dominicâ Palmarum defunctum.

INgreditur Solymas, cum Tu morereris, JESUS,
  Turbaque io magnâ voce triumfe! canit.
Egrederis Mater, Conjux, & Filia mundo,
  Ac elegos proles, Vir, Genetrixque ſonant.
Ingrederis Mater, Conjux, & Filia cœlos,
  Et triplici dici ſorte beata potes.
Mater eras? juvat hæc cœlo peperiſſe Viroque
  Pignora: nunc conjux eſt Deus atque Pater.
Nos lamenta tuis, nos flores, ſpargimus umbris,
  Et tumulo Veris ſpirat odora ſeges.

Illic

Illic in mediis lætum Pæana triumfis
Sanctorum ingeminat ſyndone tecta cohors.
Victori hîc ſi palma Deo donatur, & illic,
Quæ nunc Victoriam palma coronet, erit.

In
DAVIDIS
van der Brügge/
POETÆ EXIMII,
beatum ex hac vita diſceſſum.

* * *

VATES DISERTE! cujus ore tot quondam
Fluxêre verſus, patrii decus Pindi,
Cui tota ſeſe Caſtalis propinatis
Indulſit undis; Ergo nunc tibi dulces
Siluêre Muſæ & fracta nunc jacent plectra?
Tot illa amicis grata, tot modis plectra?
Toties canora laudibus meis plectra?
Nunc ergo amori munus hoc tuo pendam?
Exile munus, aſt amoris extremum.
Quo nunc dolorem teſter ore? quo plectro?
VATES BEATE! nam mereris hoc nomen.
Præconis quod majus omnibus nomen.
Nam nunc ſupernis ſedibus novis Vates
Titulis triumfas. Hîc novus tibi ſurgit
Non Pindus, aſt Olympus. Hîc novos fontes,
Non Pegaſus quos fundit alipes fontes,
Sed quos cruentus fundit Agnus æternos,
Haurire pleno ſpiritu potes Vates.

Hîc ætheris junctus Quiritibus Civis,
Inter beatos mentium choros, inter
Plauſus & hymnos cœlitum, atque tot Vatum,
Tot Pſaltriarum Virginum, frequentabis,
Quod nulla longum ſecla finiant, carmen,
VATES AB IPSO NVNC DEO CORONATVS.

MICHAELI FREVDIO,
ex obitu
ANGELÆ Bendſchneiders:
ſecundùm Viduo,
dolorem ſuum
teſtatur.

* * *

OStendit certos, FREVDI, tibi prima penates
WISMARIA, & primos condidit illa toros.
Qui læti fulsêre dies, mutantur in atros:
Prima toris raptâ conjuge plaga venit.
Altera deſertos ſubit ornatura penates,
Uxor, & hinc ſedes Tecum adit illa novas.
Nec tamen heîc vultus monſtrat fortuna benignos:
LVBECAM, ſed ut hinc exeat, illa venit.
Quam Tibi dividitur vicibus fortuna ſiniſtris!
Ut Tibi res, ut ſpes fractior usque tua eſt!
Altera nunc animæ rapitur pars: altera rapta eſt,
Quæ Tibi bis viduo pars manet ergo tui?

PRIMITIÆ
PARNASSI
KILONIENSIS.

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DN. JOHANNI ADOLPHO

KIELMANNO A KIELMANSECK,

Hereditario in Satrupholm & Obdorff, Collegii Canonici, quod Hamburgi eſt, Præpoſito, Præfecto in Reinbeck, Trittow & Morkirchen, Sereniſſimo Holſatiæ Duci â Conſiliis Provincialibus & intimis, Regiminis Præſidi & Aulæ Cancellario,

Domino & Mæcenati ſuo Maximo,

Primitias has Kilonienſes, ſuo quodam jure debitas, ipſis Divi Johannis feriis illuſtri Excell. ſuæ nomini ſacris

D. D. D.

D. G. M.

VIR SVMME, Cimbriæ tuæ decus ſummum,
KIELMANNE, quem cognomines ſuum Muſæ
Vocant Parentem publicumque Patronum
Omnes ſalutant, quo Kielonium Muſis
Coloniam curante ſtruxit æternam.
Huc gratioſos verte, ſi placet, vultus.
In hac dicata Gratiis tuis luce
Tuis litabo Gratiis, ut ingrati
A crimine abſim. Tu meis tuam Muſis
Largire, quam non gratiam tenent ipſæ?
Sic gratioſæ gratiâ tuâ & gratæ
Dicentur. At Tu prima ſume Parnaſſi

Magno

Magno dicata Nomini tuo dona.
In hoc ſacrato Nomini Tuo feſto,
Ut Muſa noſtra Nomine à Tuo Nomen
Novum reſumat, hactenus ſuis tantum
Sepulta in umbris pulveriqne ſubmerſa.
Sic ſplendet illi luce de tua lumen,
Longumque ſurget de die tuâ ſeclum.

Ad Reverendisſimum & Sereniſſimum Principem ac Dominum,

DOMINVM

CHRISTIANVM ALBERTVM,

Epiſcopum Lubecenſem, Heredem Norwagiæ, Ducem Sleſwigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ, Comitem in Oldenburg & Delmenhorſt,

Fundatorem Academiæ ſuæ Prægloriosiſſimum, Rectoremque EJVS Magnificentiſſimum.

CHRISTIANVS ALBERTVS DVX HOLSATIÆ CLEMENTISSIMVS

per anagramma

LEX, HELICONA STRVIS, MVSIS DANS SECLA, TIBI THESAVRVM.

Epigrammata

LEX.

TE LEGEM, DVX MAGNE, VOCO. LEX viva tuorum es,
Et PRINCEPS iſto nomine SVMMVS eris.
Quod corpus ſine mente, quod eſt ſine lumine mundus:
Id populus foret, id Rex ſine Lege foret.

Quem Regem vocitas, hac Regem Lege vocabis,
Lex regat ut Regem, Rex regat inde gregem.
Et Rex ſit Legi, Regi Lex conſona: mutus
Rex ſine Lege foret, Lex ſine Rege foret.
Majeſtas in Lege ſedet: ſi demſeris illam,
Lex ſine Lege foret, Rex ſine Rege foret.
Te Lex: Tu Legem formas, dicique mereris
Lex, Lvx, Dvx, Populi Mensqve Salvsqve tui.

HELICONA STRVIS.

Quis tibi Parnaſſus, quis ſurgit ad æthera Pindus?
Optime, quem Princeps nunc Helicona ſtruis?
Stat Mons iſte Tibi, quo cœlum ſcandere mentes
Æthereæ poſſint, ſideraque ipſe petas.
Stet Mons iſte Tibi, Cœlum hic Tibi fulciat Atlas!
Ætna ſit, & flammis æſtuet usque novis.
Hinc Tibi ſurget honos, nobis fortuna: nec iſtum
Quem ſtruis hic montem, deſtruet ulla dies.
Dum ſtruis hunc montem, Te Princeps Maxime, magnum
Fortunæ & Famæ dicimus eſſe Fabrum.

MVSIS DANS SECLA.

Tu Muſas, Dvx Magne, foves, nova ſecula nobis
Efficis, ô ſecli gloria ſumma tui!
Aurea fac nobis, fac ſint argentea Muſis
Secula, ne noceant ferrea ſecla cave.
Sic mollem trahimus per ferrea ſecula vitam:
Sic noſtro vives munere; nosque Tuo.
Tu Muſis dare ſecla potes, Dvx Magne: ſed iſtæ,
Quæ dederis, poſſunt reddere ſecla Tibi.

TIBI THESAURUM.

Tu Tibi Theſauros, nova nunc Æraria condis,
In ſacro Muſis Mercurioque loco.
Sic tibi creſcit opum cumulus cum fœnore: Muſis
Quas dederis, ſolas ſemper habebis, opes:
Perſarum gazam ſpectavit Cimbria quondam:
Nunc Cimbrûm ſpectet Perſaque & Indus opes.

Ad
S. S. ROM. CÆS. MAJEST.
LEGATUM ET COMMISSARIUM
Perilluſtrem & Excellentiſſimum Dominum
DOMINUM
JOHANNEM ADOLPHUM KIELMANNUM A KIELMANSECK,
Hereditarium Dominum in Satrupholm & Obdorff &c.
Literarum Literatorumque Præſidium & Decus
ſummum Mæcenatem Muſarum
publicum
Dominum & Patronum ſuum maximum,
Cum Cæſareâ Autoritate, præmiſsâ ſplendidiſſimâ Oratione, Kilonienſis Academiæ auſpicia ſanciret,

MAXIME, cui totam ſe Cimbria mancipat, HEROS
Æternâ Famæ nunc celebrande tubâ.

Cujus ab auſpiciis cœpit fortuna renaſci
    Cimbrica, & Atlantem quem vocat illa ſuum.
Non ſatis eſt, Themidem patriis, Te PRÆSIDE, terris
    Reſtitui, & cœlo pignora tanta dari:
Te curante, ſacris ſurgunt nova ſecula Muſis,
    Totque trahis famulas poſt tua terga Deas.
Otia Tu, Tu regna paras, Tu ſceptra Jovemque
    Concilias, tutâ Tu ſtatione locas.
Scilicet æternum dabit hinc Tibi Cimbria Nomen,
    Æternum quia Te nunc duce nomen habet.
Per Te nunc Muſa, & Tua vivit fama per illam,
    Dumque vetas illam, Te vetat illa mori.
Perpetuis ſcribent Te ſecula poſtuma faſtis,
    Poſtque tuum ſtatuent nomina tanta DUCEM.
Nunc quoque Cæſareos Te diſci interprete ſenſus
    Fas erât, ac opus hoc, Te moderante, geri.
CÆSARIS atque DUCIS re nunc interpres in una
    CÆSARE digna ſonas, PRINCIPE digna facis.
Tu Jovis ales ades, qui vocum FULMINA portat:
    Sed quæ Caſtalii fluminis imbre madent.
Te tradente, ſacras tractabit Phœbus habenas,
    Te præeunte, novos pandit Apollo choros.
Dux noſter caput eſt: capitis KIELMANNUS ocellus.
    Hinc oculos recipit Cimbria noſtra novos.
Qui DUCIS eſt oculus, nunc magni CÆSARIS os eſt,
    Inde videndo patens; hincque loquendo potens.
KIELMANNUS loquitur diſpenſat cetera PRINCEPS.
    CÆSARIS ille os eſt: CÆSARIS hic manus eſt.

FATA

FATA KIELMANNO-KIELO-NIENSIA.

I.

JOHANNES ADOLPHUS KIELMANNUS

per Anagramma

(K & C literæ ejusdem valoris hîc permutantur)

ANNE HIC LEOPOLDUS? SANE ANIMUS

E P I G R A M M A.

SIc erat in fatis! Et nomine & omine noſtrum
CÆSAREO, PRÆSES MAXIME, condis opus.
Muneris AUGUSTI menſuram & Nominis imples,
CÆSARIS hoc verè Nomine munus obis,
Summa ſub hoc latitat MAJESTAS nomine, quantum
Tanta quod includit nomina, nomen erit?
In Te monſtratur nobis LEOPOLDUS, & os hoc,
Hic ANIMUS SANE CÆSARE dignus erat.

II.

JOHANNES ADOLPHUS KIELMANN PRÆSES

per anagramma

HAS DA KILONIO MUSAS PLANE PERENNES.

E P I G R A M M A.

SIc erat in fatis! Te, Cimbris, PRÆSIDE, Muſis,
Et nova Parnaſſo gloria nota novo.

HAS

HAS DA KILONIO MUSAS PLANEQUE PERENNES.
Sic Cæſar, Princeps, & tua fata jubent.
Hac ſua KIELA legit KIELMANNI in Nomine fata,
Inque Tuo ſibi nunc Nomine tota placet.
Nominibus quamvis obſtricta ſit hæc Tibi multis;
Nunc magis obſtricta eſt Nomine KIELA tuo.
KIELONIDESque Tibi debent nova nomina Muſæ,
Tuque illis Nomen condis; eæque Tibi.
Sic KIELÆ Tu VIR HEROSque vocaris, habebit
Te duce, KIELA VIROS, Te duce, KIELA DEAS:

III.

Iohannes ADoLphVs kIeLMannVs kILonI parnaſſon aperIt.

EPIGRAMMA.

SIc erat in fatis! Rectè KIELMANNUS & ANNUS
Jungitur. hoc uno Nomine cuncta tenes.
Parteque ne minimâ perfectum falleret Omen,
Hunc annum numerant Nomine Fata Tuo.
Te ſtatuente, dies nobis procedit & Annus.
Nomen ab hoc Anno (crede) perenne Tibi eſt,
Annales Annus longos dabit hic Tibi; fauſtos
Ille dies nobis & Tibi ſecla parit.

HYMNI IMPERATORUM ET PRINCIPUM,

quos in Academiæ Inauguratione Chorus Muſicus cecinit.

HYMNUS IN FERDINANDUM IMPERATOREM GLORIOSISSIMUM.

Plaude

PLaude Muſa *Ferdinando*, plaude Muſa *Cæſari*,
Age grates, cane laudes, quate chordas.
Meritorum Memor, ô Diva, priorum,
Et aprico glomera jubila cœlo,
Ut & ipſis venerandum reſonet nomen in aſtris.
Plaude Muſa *Ferdinando*, plaude Muſa *Cæſari*,
Cape laurus vidui germina Pindi,
Sacra plectris & amicis ſacra ſceptris,
Virides rore ſacro perplue ramos,
Poſitas ſacra adole nunc humilis thura per aras.
Plaude Muſa *Ferdinando*, plaude Muſa *Cæſari*!
Modo noſter chorus illum celebrabit,
Quod egenis tribuens otia Muſis
Spatioſis bene protexerit alis,
Modo cuncti ſacroſanctum trepidâ voce ſalutant.
Vivat inter aſtra *Cæſar*, vivat ejus gloria!
Sibi ſanctum memorat *Cimbria* Nomen,
Et in ipſo pretioſum notat auro,
Age divos, pater, huc exere vultus.
Novus iſtis Helicon, Te Duce, nunc naſcitur oris.
Vivat inter aſtra *Cæſar*, vivat ejus gloria!
Ita junctis precibus dicimus omnes.
Tibi laudes recinemus, Tibi grates.
Sua donec numerabit Polus aſtra,
Et hiulcos glomerabit Thetis interflua fluctus.
Regnet inter aſtra *Cæſar*, duret ejus gloria!
Tibi celſas tribuet Fama quadrigas.
Neque terris bene claudenda nec aſtris,
Quod amicos fovet hic Pindus alumnos,
Totidem nunc tibi linguas, totidem ſolvimus ora.
Plaude Muſa *Ferdinando*, plaude Muſa *Cæſari*!

HYMNUS

HYMNUS IN LEOPOLDUM IMPERATOREM INVICTISSIMUM.

M*Agne Cæſar*, ſumme Princeps,
Seculi ruentis Atlas,
Qui ſacris ſublimis alis,
Te per omnem pandis orbem,
Te fides ſonent canoræ,
Te tubæ canant ſonoræ.
Cane ſummum, cane Clio, *Leopoldum*.
Funde rivos gratiarum.
Sparge largiore vultu,
Luminis fulgur ſereni,
Et ſacris benigne noſtris
Adde lumen, adde numen:
Nam tuo ſtant illa nutu.
Cane ſummum, cane Clio, *Leopoldum*,
Exules reducis artes,
Et pias foves Camœnas,
Sedibus locans quietis.
Noſtra, Te favente, Tellus
Excipit, fovetque Muſas,
Voce nunc ſonemus altâ:
Cane ſummum, cane Clio, *Leopoldum*.
Chriſtiani Rector orbis,
Corporis mens alta tanti,
Nos tuo nutrimur ore,
Nos tuo movemur orbe,
Nos tuis latemus alis,
Nos tuis tenemur ulnis
Cane ſummum, cane Clio, *Leopoldum*.

Te

Te vigente cuncta florent,
Te favente cuncta gaudent,
Te fovente cuncta fervent,
Te jubente cuncta parent,
Quicquid eſt noſtræ ſalutis,
Hâc ſalute ſtat ſupremâ.
Cane ſummum, cane Clio, *Leopoldum.*
Sit tuum perenne Nomen,
Perque gyros ſeculorum,
Per remotos ſerpat orbes,
Et per omne creſcat ævum,
Teque Cæſarum ſacratis
Adde ſerò ſidus aſtris!
Cane ſummum, cane Clio, *Leopoldum.*

HYMNUS IN

FRIDERICUM PRINCIPEM GLORIOSÆ MEMORIÆ.

FRIDERICE, qui per aſtra,
Et poli patentis orbes
Ambulas æternus hoſpes,
Quem ſenectus nulla carpit,
Huc ſerenos, Dive, vultus
In tuos reflecte *Cimbros.*
Mille vota *Friderico*, mille plauſus fundimus.
Quæ tot expetita votis,
Et tuo decreta juſſu,
Gloriæ litans perenni
Feſta Natus ſancit ingens,
Euge! ſi quæ cura noſtri,
Huc ſerenos verte vultus.
Mille vota *Friderico*, mille plauſus fundimus

Ecce

Ecce totus hiſcit æther,
Et piis gratatur auſis;
Ipſa nunc Themis revertens
Se perenni veſtit auro.
Siderum ſtrepunt choreæ,
Sibilantque dulce carmen.
Mille vota *Friderico*, mille plauſus fundimus.
Mille gliſcunt ecce! vota,
Fauſta nunc precantur omnes.
Læta plaudit hinc juventa,
Pars ſonantes inde chordas
Erudito carpit ungue,
Mutuasque dant Camænas.
Mille vota *Friderico*, mille plauſus fundimus.
Eſte nunc procul profani,
Hinc abeſte nubiloſæ
Ætheris minantis umbræ,
Ite Muſici Quirites,
Ite Civium coronæ,
Ite fronde laureatâ,
Mille vota *Friderico*, mille plauſus fundite.

HYMNUS IN
CHRISTIANUM ALBERTUM DUCEM
SERENISSIMUM ACADEMIÆ FUNDATOREM.

MAgne Magni Nate Patris
Cimbriæ Dux Magne, ſalve,
Magne CHRISTIANE ſalve,
Summe noſtri Phœbe Pindi.

Te chorus noſter Parentem,
Te ſalutat ille Regem.

Mille, Muſa, *Chriſtiano*, mille necte laureas.

Laude Princeps major omni,
Omne Tu punctum tuliſti.
Quæ tot expetita votis,
Illa Tu nunc unus imples.
Te Chorus &c.

Regna Tu nobis beata,
Sceptra condis & tiaras,
Regiaque geſtientes
Purpura cingis Camœnas.
Te Chorus &c.

Ecce nunc ebullientes
Caſtalī fontis canales!
Dum tuos Apollo montes
Luce perpluis ſerenâ.
Te Chorus &c.

Triga plaudit Gratiarum,
Ter trium cœtus ſororum
Fontis ecce Pegaſei
Mille nunc propinat hauſtus.
Te Chorus &c.

Mille nunc Thalia crenas
Nomini tuo fatigat,
Mille dedolat tabellas,
Mille Clio plectra pulſat,
Te Chorus &c.

Quotquot his foventur umbris,
Quotquot his veſcuntur auris
Quotquot his rigantur undis,
Mille concinunt triumfos
Te Chorus &c,

Vive CHRISTIANE Princeps,
Dulce magni ſidus orbis.
Te mori vetant Camœnæ.
Te canent ſeri nepotes.
Te Chorus primum Parentem,
Te ſalutat ille Regem.
Mille nectant *Chriſtiano* ſecla mille laureas.

In effigiem
FERDINANDI IMPERATORIS.

QUisquis ades Lector, quisquis ſpectator, adora
Cæſaris ora ſacri, Cæſaris aſtra vide.
Illius ingentes veneremur Nominis umbras,
A quibus æternum Cimbria Lumen habet.

Aliud.

Hac Ferdinandi eſt nunquam morientis imago,
Quem nec Fama mori Muſaque noſtra ſinit,
Manibus his vivit, quos dum reverenter adorat,
Non patitur Manes Cimbrica Muſa ſuos.

In effigiem
LEOPOLDI IMPERATORIS.
LEOPOLDVS CÆSAR,
Anagr.
APOLLO, DEVS, CREAS.

SUmmus hic eſt noſtris Leopoldus *Apollo* Camœnis,
Is faciet nobis otia noſtra *Deus*.
Quis neget eſſe Deum? quis Te neget eſſe potentem,
Tot doctos nobis, qui, LEOPOLDE, *creas*.

Aliud.

Maximus exiguo Leopoldus clauditur orbe,
Quem totum tellus tota tenere nequit.
Hoc Themis ore ſonat, vultu prudentia ſpirat.
Dirigitur tantâ, Muſâque Marsque manu.
Quæque Jovis quondam ſedit generata cerebro,
Pupula in his oculis fixa Minerva ſedet.

In effigiem

FRIDERICI PRINCIPIS.

Fridrici vultus chartâ depingitur iſta,
Cujus magna domi gloria, magna foris,
Cujus conſiliis Academia cœpta: Sed iſta
Filia nunc dici poſtuma neptis amat.

In effigiem

Reverendisſimi & Serenisſimi Principis ac Domini

DN. CHRISTIANI ALBERTI,

Academiæ Suæ Fundatoris & Rectoris Munificentisſimi & Magnificentisſimi.

Principis illa quidem: ſed Princeps Numinis umbra eſt.
Eſt Ducis illa quidem: Dux at imago DEI.
Si Deus eſt animus, nulla hunc benè reddit imago,
Nec, niſi Mens, dici Mentis imago poteſt.
Ergo nec illa poteſt, neque Tu, Dux Maxime, pingi,
Quod manus hæc duxit, corporis umbra tui eſt.
Te Mentem Mentes tantum pinxêre tuorum,
Primaque in his tabulis ſchemata duxit Amor.

Ergo uti ſancta DEI nunc in Te ſpirat imago!
Sic magna in populo ſpirat imago tui.

Aliud.

CIMBRICVS heic PRINCEPS periturо pingitur ore:
Aſt immortalem pingere, id artis opus.
Nunc ea Pictrices explent diſpendia Muſæ,
Otia queis condit, queis nova ſacra parat.
Inde tot obſtringit PRINCEPS ſibi nomina, & illum
Tot pingent calami, nomina, ſecla, libri.

Aliud.

En ſculptum Tibi in ære Ducem! quis credat? Apellis
Hunc ater Solem pingere carbo poteſt.
Nempe repercuſſa ne lucis imagine ocellos
Perderet, ora nigro tincta colore dedit.

In effigiem
Legati & Commiſſarii Cæſarei
Per-Illuſtris & Excellentisſimi Domini,
DOMINI
JOHANNIS ADOLPHI
KIELMANNI A KIELMANSECK.

PRincipis hic oculus, per quem Patriæque ſibique
Proſpicit, hoc Princeps maximus ore ſonat.
Pectore in hoc ſpirat, manibus movet, auribus audit,
Publicaque his humeris, hoc pede fixa ſalus.
Non modò *Kielmanni* faciem hîc & Præſidis ora
Sed Ducis os, oculos, pectora picta vides.
Scilicet illuſtri præſens in Præſide Princeps,
Inque ſuo præſens Principe Præſes erit.
Summaque ſi Princeps, quæ dirigit omnia mens eſt,
Hanc menti mentem dixeris eſſe ſuæ.

Aliud.

NEſtoris hæc Cimbri Cyneæque potentis imago,
Quæ ſibi par ſoli ſolaque imago ſui.
Maximus hic major ſpectetur ut omnibus Heros,
Conſiliis condit nunc Helicona ſuis.
Mons petit aſtra, petit cum Principe Præſes, & iſte
Patronus Muſis dicitur, ille Pater.

In effigiem

Magnifici ProRectoris.

DN. PETRI MVSÆI.

EN Tibi MVSÆVM! ſatis eſt dixiſſe! ſub iſtâ
Fronte, quod in docto diſcitur orbe, latet.
Muſæ in MVSÆO, MVSÆVS ſpirat in iſtis,
Vel genitum Muſis vel genuiſſe puta.

Aliud.

HÆc eſt MVSÆI, ſummi MVSÆVS imago
Principis, & Princeps noſter imago Dei.
Lux variè reflexa micat. Si DVX tibi ſolem
Fecerit, hæc capiens lumina ſidus erit.

In Inſignia

ACADEMIÆ

(*Pax oleæ ramum manu dextrâ geſtans, lævâ clypeum, cui inſcripta litera C. A. juxta illam quæ cornu copiæ pro lemmate additur:* Pax optima rerum.)

PAX Muſas æterna regit, Pax optima rerum.
Hanc Matrem noſtram dicimus atque Deam.
Hâc ita STANTE, ſalus firmo ſtat publica talo,
Nec quos fert fructus Martia ſica metet,

Perpetuus geſtat de Palladis arbore frondes:
Juncta tamen Paci Pallas inermis erit.
Læva tenet clypeum, titulum cui C. imber A. pollo
Fecit, & hoc dici Pax cataphracta poteſt.

In Inſignia

FACULT. THEOLOGICÆ.

(*Sacra Biblia, quibus impoſita Crux & corona ſpinea cincta cum Epigraphe:* Scrutamini ſcripturas.)

STat Liber æternus. Stabit, licet irruat orbis,
Quadrato perſtant omnia firma libro.
Crux infixa libro, cui addita ſpina, docebit
Per ſpinas cœlum ſcandere perque cruces.

In Inſignia

FACULT. JURIDICÆ.

(*Libra, cui imponitur gladius & ſceptrum, inter quæ duo corona intercedit cum inſcriptione:* Diſcite juſtitiam moniti.)

INſiſtit Libræ gladius regaleque ſceptrum.
Nam gladius ſceptro jure ſatelles adeſt.
His vicina notat jungi debere corona.
Libraque momentis ponderat illa ſuis.

In Inſignia

FACULT. MEDICÆ.

(*Virga Æſculapii & Mercurii, qua in animas, vitam & mortem exercebatur imperium cum titulo:* Ars longa vita brevis.)

SCeptra damus Medico, noſtræ dominantia Vitæ,
Queis animos orco ſubtrahat atque neci.
Sed quia Vita brevis Medicis; Ars longior; hinc fit,
Ne vita hæc nobis longa ſit, arte brevi.

In Inſignia

FACVLT. PHILOSOPHICÆ.

(*Catena annularis manu è cœlo demiſſa, de qua pendet nummus Palladis effigie ſignatus cum epigraphe:* Commune artium vinculum.)

HÆc eſt catena ſumma nectens infimis.
Hic torquet orbem Torquis: iſta Cyclicas
Catena ſtringit vinculis ſcientias.
Hinc arcium artiumque dependet Dea.
Cur pendet illa? Eſt orbis ipſe penſilis,
Et cuncta pendent orbe in hoc, cadunt, jacent.
Artesque pendent, ipſe in artibus Sophus,
Animique pendet tempus impendens eis.
SOPHIES ligabunt compedes iſtæ pedes,
Ne pedibus ire poſſit in ſententias,
Terriſque ſpretis hæc Cœlum petat Dea.
Sed non manus: ut illa ſcribat liberè,
Non colla & os, ut illa ſpiret liberè.
Hæc vincla liberalibus ſcientiis
Sint libera ac amica. Non SOPHIEN Deam
Non hæc catena Veritatem ſtrangulet.

Aliud.

MAximus exiguos Orbis glomeratur in orbes,
His SOPHIE nodis cuncta ligata ligat.
Hic variè SOPHIES Torquis contorquet alumnos.
Si tamen hæc tolles vincula, cuncta ruent.

AD

Nobiliſſimum & Ampliſſimum Virum,

DN. ERICVM MAVRITIVM,

JCtum in Academiâ Kilonienſi Primarium,

&

Præſtantisſimum Juvenem

DN. CHRISTIANVM Ehrenfried CHARISIVM,

Primam de Libris Juris Communis Diſputationem habentes.

PRrimus in hâc cathedrâ pugnat MAVRITIVS, & nunc
Tot ſpirans loquitur Bibliotheca libros.
Primus in hâc cathedrâ, Juvenis cultisſime, primâ
Diſſeris & primus promitur iſte labor.
Has primò Muſas, prima hæc ſacra noſtra ſalutas,
Primaque te primum juris origo tenet.
In primis vobis placuit conſiſtere, & inde
Tu mihi præprimis illeque primus eris.
Hæ ſunt primitiæ: nam meſſes inde ſequentur,
Iſtaque nunc vobis prima ſecunda precor.

STRE-

STRENÆ

In ipſa Novi Anni cIɔ Iɔc LXVI. feſtivitate Novæ & Perilluſtri Academiæ Kilonienſi, Rectori ejus Magnificentiſſimo, Magnifico Domino ProRectori, ceterisque Dnn. Profeſſoribus & Civibus humillime & officioſe cum voto omnis felicitatis oblatæ.

SUMMO PARNASSI NOSTRI APOLLINI.

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO.

Omnia.

DUm Srenas pro more damus, Tu, *Maxime*, nobis
Princeps, Principium, & Vatis Apollo tui.
Quid dabimus *Domino*, qui poſſidet omnia ſolus?
Nam qui nos habet, hic omnia noſtra tenet.
Accipe, quæ tua ſunt: dareque *Omnia* poſſumus omnes:
Sed, niſi Tu dederis *Omnia*, nemo dabit.
Quicquid fonte tuo venit, id tibi reddimus omne.
Hoc uno largi poſſumus eſſe modo.
Tu Pater es: quicquid proles tua forte peculI
Poſſidet, id gratâ redditur omne manu.
Omnia jure damus: namque in Te vivimus omnes,
Mensque tuis membris unaque totaque ades.
Omnia jure damus: totus Tibi volvitur Orbis,*
Et cœlum ac tellus omnis in ære tuo eſt.
Omnia habe, & quod *in omnibus Omnia*, Numen, Imago
Ejus, & in nobis omnibus OMNIA eris.

* *Alluditur ad globum aneum Gottorpienſem.*

MAGNIFICO DN. PRORECTORI

Sceptra.

QUæ Tibi Cæſareâ Primo data pignora dextrâ,
Hæc eadem Vatis pignora ſume manu.
Te mea Muſa vocat Phœbeaque natio Regem,
Et Regem regni ſymbola bina notant.
Ipſa facit ſummos nobis Sapientia Reges.
Non ego nunc plectris Sceptra aliena puto.

THEOLOGIS

Sub auſpicium Anni Summum Finem.

DEnt alii gemmas, multa auri pondera donent,
Munera mille ferant, mille talenta ferant,
Dant pro parte tamen: ſed ego majora daturus
Donantem vobis omnia dono DEUM.
Mille trahant alii Votorum ſyrmata; at uno
Vivatur voto, queis placet una ſalus.
Nulla ego vota dabo; mage ſupra vota feramur
Omnia, nec voto tunc opus eſſe puto.
Non precor auſpicium felix; ſed præfero Finem.
Hinc ſummum Pietas colligit auſpicium.

JURISCONSULTIS

Annum Utilem.

COntinuus ſic Annus abit, ſic tempora tempus
Excipit & celeri librat in orbe gradus!
Continuumque ſimul remeat labor omnis in orbem,
Cumque hora ſemper volvitur atque die.
Continua Utilitas vobis ea tædia penſet,
Sitque Annus vobis Utilis, hora, dies.

ME-

MEDICIS

Pro Gallo Æſculapii, Gallinam Æſopicam.

PRiſca olim Gallum donabat Apolline nato
Ætas, ſi medicam rite tuliſſet opem.
Sed ſterili vobis, Medici, non forte placebo
Munere, queis ſuevit ferre Galenus opes.
A nobis Gallina datur, quam Fabula fingit,
Aurea quæ pariat quolibet ova die.
Sic ò ſic poſitis horas numeretis ab ovis!
Sic anni, ſic ô aurea ſecla fluant!

PHILOSOPHIS ORIENTALIUM LINGUARUM PROFESSORI

Verbum.

NON Bona verba dabo, dum ſe novus ingerit Annus.
Aſt unum Tibi nunc VERBUM, o Amice, dabo.
Cuncta mihi VERBO vota abſolvuntur in uno,
Quo res eſt omnis condita, quoque viget.
Hoc Tibi ſemper habe, VERBI ſis unius Echo.
Omnis ab hoc VERBO res tibi ſalva tua eſt.
Hoc dictum factum eſt. Si quid petis, hoc Tibi, FIAT!
Accinit; aſt homines nonniſi verba dabunt.
Hunc cole, Amice, λόγον: nam cetera verba peribunt.
Sic rectè ſacrum Te voco ΦΙΛΟΛΟΓΟΝ.

MATHESEOS PROFESSORI

Numeros.

DEntalii Nummos; Numeros Tibi dono Poëta.
Hoc ſolo ſemper munere dives ero.

Nem-

Nempe Mathematicis Numerus Numerusque Poëtis
Proprius, ac illis paginam utramque facit.
Hinc numeri numerorum, & qui naſcuntur ab illis,
Perque infinitos nomina ducta gradus.
Nos tamen hi pingues Numeri, concretaque rebus
Nomina, nec Phyſicæ quid gravitatis habent.
Vota tamen numero, numerat quot littus arenas.
Si placet, innumeras Muſa vovebit opes.
Tot numeres annos, quot Sol facit annuus horas.
Votorum Numeros ponderet ipſe DEUS.

PHYSICES PROFESSORI
Aurifodinas Parnaſſi.

TE primum Cimbris Muſarum pandere Montem
Vidimus: ex ipſo munera monte feras.
Viſcera Parnasſi rimare, heic aurea vena eſt,
Quæ Chymicis ſolis cognita, credo, fuit.
Hanc Tu ſolus habe (nam ſic decrevit Apollo)
Caſtalius Tibi fons aurifer Hermus erit.
Parturiat Mons iſte Tibi, ſit fertilis auro.
Vel totus ſit Mons aureus iſte Tibi!

METAPHYSICES ET LOGICES PROFESSORI
Rem

NUnc Tua Res agitur. *Rem* do Tibi, non tamen abs Re.
Accipe Rem: nam ſic Res, O Amice, tulit.
Ære tuo me ſolvo, Tibi dum ſolvo, quod è Re,
Dumque bonis verbis Rem tibi trado bonam.
Rem facias, Res ſalva tibi ſit, Resque ſecundæ
Sint Tibi, & in lautâ Re modo ſemper agas.

Tu

Tu magnam nobis meditando reſtituas Rem,
Et pro Re nata Res gere, finge, tuas.
Sic, quod ego nequeo, pro Te Res ipſa loquetur.
Tu, quas ſolus habes, Res tibi habeto tuas.

POLITICES PROFESSORI
Faciem Jani.

EN cape nunc duplicem pro Strena munere Janum,
Et qui præteritum quique futura videt.
Principio finem ſemper Prudentia jungat,
Non malè ſic ipſa in ſimplicitate duplex.

MORALIUM PROFESSORI
In Tempore Novo Mores Antiquos.

MOribus antiquis quondam Romana ſtetit res,
Et Mores ſemper diſplicuêre novi,
Tolle novos Mores, quamvis nova tempora ſurgant,
Perſtat in Antiquo gloria ſumma Bono.
Moribus Antiquis Tibi nil antiquius eſto,
Nil prius, & bene ſic omnia cautus ages.
Nil veteri melius vetus optet Amicus Amico,
Moribus his morem ſi geris, alta petes.
Hi Tibi ſint Mores: ſic omnium habebis amores.
Tu quæ Vota dedi, fac rata ſumme DEUS!

CIVIBUS ACADEMICIS
Laurus.

ACcipe nunc ſacras, Phœbeia munera, laurus,
Accipe, quos ramos Strenia Diva dabit,
Accipe, docta cohors, Muſarum nata ſub umbris
Germina, quas Strenas Strenuus omnis amat.
Ergo, uti genua virent (namque optima ducitur ætas)
Æternâ vireant tempora fronde Tibi.

NOVÆ

NOVÆ ACADEMIÆ
Nova Secula.

SUrgite Parnaſſo nova ſurgite Secula noſtro!
Sed nos hæc fruſtra vota precesque damus.
Ipſe dat auſpicium PRINCEPS, Sol noſter, Apollo,
Ipſe novos annos & nova ſecla facit.

AUTOR SIBI IPSI
Nihil.

OMnia qui dederat, quæ reſtant munera Vati?
Quod ſupereſt, capiat prodigus iſte NIHIL.
Ipſa quidem Nihili eſt Muſa, & nil poſſidet ipſa,
E Nihilo tamen hæc munera magna dedit.
Poſſideat mea Muſa Nihil; Tu, Nominis inſtar,
E nihilo PRINCEPS Omnia SUMME facis.

PEGASUS PRO STRENA

Perilluſtri & Excellentiſſimo Domino,

DN. JOHANNI ADOLPHO KIELMANNO A KIELMANSECK.

Hereditario in Satrupholm &c. &c.

Magno ſeculi ornamento, Publico Muſarum Patrono,
Mæcenati ſuo, ſubmiſſè oblatus.

MAXIME, quem magno compello nomine, PRÆSES,
Qui magno majus nomine munus obis.
Quæ Tibi, dum magnum Sol circumvolvitur annum,
Munera, quas Strenas, quæ Tibi vota feram?
Nil Tibi cum votis, qui vota per omnia vitam
Ducis, quique ſupra vivere vota potes.

Non

Non tanti novus annus erit, tempusque minutum,
Ut voti quædam pars queat eſſe tui.
Nil tibi decedit, cum vota emenſus & annos
Creſcere nunc videas tot nova ſecla Tibi.
Munera ſi Tibi danda, Tui Tibi porrigo vatis
Pectora, nos certè munera noſtra ſumus.
Ergo fatigatam laxabo in Carmina venam,
Ac omnes (dixi) monte movebo Deas.
Pocula (clamabam) date pocula plena Camœnæ!
Pocula Pegaſeo plena liquore fluant!
Sic Phœbum infuſis hauſtisque laceſſo culullis,
Proque ſalute ſimul ſcribo biboque tuâ.
Crapula ſic Vatem & vertigo Poëtica totum
Occupat, & nimius comprimit ora ſtupor.
Non manus officium fecit, non humida lingua,
*I*nſtabili titubat ebria Muſa pede.
Ergò ægrè tandem veſtigia lubrica firmat,
Et jam Pierio ſe male credit Equo.
Seſſorem non ille feret, non audit habenas.
Non ea dignus eques terga vel ora premo.
Serpit humi mea vix equitans in arundine longa
Muſa, & votivos dat pedes ipſa pedes.
Involet in laudes, cui Pegaſus altior hinnit:
Vix pedibus queo nunc in decus ire tuum.
Sique meo didici metiri me pede, non Te
Immenſum pedibus metior & numeris.
Non Equus, aut titulus Vatem ſatis ornat equeſtris,
Qui pedibus tantùm carpere novit iter.
Sæpe quidem Vates, ſi judicet iſta Palæmon,
Eſt vitulà dignus, non quoque dignus equo.
Vix eſt, qui tanto ſe jactet nomine, ni fors
Auratus fieri qui velit, adſit Eques.

Te ſacer ornet Equus: dono Tu dignus equeſtri.
  Pegaſon, ô Equitum gloria ſumma, tene.
Hunc Tibi Parnaſſus ſummusque dicavit Apollo.
  Hanc Tu nunc Strenam, VIR cape SUMME, ſacram.
Sic Equitis geminatur honos, illuſtrior audit,
  Martis Equis quisquis Pegaſon addit Eques,
Æternis Famæ Te Pegaſus evehet alis.
  Sol radiis pinget, quod pede verris iter.
Dumque alis putrem tantùm quatit ungula campum;
  Alipes hic Tecum ſidera calcat Equus.

In

Nummum Aureum.

Cum effigie Sereniſſimi

PRINCIPIS CIMBRI,

Pro Epigrammatibus meis in effigiem ejus æri inſcul-ptum, proque Strenâ mea Poëtica

â Sereniſſimâ Suâ Celſitudine donatum.

QUem modò Chalcographus ſignarat in ære vi-dendum,
  Quemque niger potuit pingere carbo Ducem,
Is nunc cognato nobis ſe pinxit in auro,
  Et jam theſauros hic mihi carbo dedit.
Nunc ſolidum nobis æs commutatur in aurum,
  Chemicaque Ars noſtro nunc patet iſta Duci.
Ergo ſuo quia nunc nobis Dux magnus in auro eſt,
  Nos erimus magni ſemper in ære Ducis.

Aliud.

Aliud

O*Mnia* qui dederam pro Strenæ munere Vates,
Quæ Dux jam tenet, & non habet ipſe, dedit,
Omnia quò Vati Dux redderet omnia danti,
Seſe ipſum Vati reddidit ille ſuo.

AD

Perilluſtrem & Excellentisſimum

DN. PRÆSIDEM,

Aureum iſtum Nummum offerentem.

AUreus effigie eſt Princeps dignisſimus aureâ
Sed ſolâ hæc fundi Principis arte poteſt.
Aureus hic Princeps per Te populoque ſibique,
Et per Te nobis aureus ille fuit.
Effigie nam pro noſtra, quam finximus, iſtam
Principis effigies viva dat effigiem.

Euchariſticon

Ad Reverendisſimum & Serenisſimum
Principem ac Dominum,

DOMINVM

CHRISTIANVM ALBERTVM,

Dominum noſtrum Clementisſimum,

Apollinem Laurigerum,

Primis Laureis Muſas ſuas ornantem:

MAXIME cui bimaris famulatur Cimbria, *Princeps*,
Noſtri Delicium temporis, Orbis Amor.
Cujus ab Auſpiciis nova ſurgunt Regna Camœnis,
Cujus & in placido delituere ſinu.
Ecce novæ creſcunt vel in ipſo frigore lauri,
Quas Tu munificâ conſeris ipſe manu.
Sol nobis Ætherque favet tuus, iſtaque Solis
Inſtar ab Arctoâ germina tollis humo.
Quasque Tibi, nobis pariter vis creſcere frondes.
Quæ tua, *Phœbe*, premunt tempora, noſtra premunt,
Hæ nobis Laurus, hæc præmia prima parantur,
Et quantum eſt, *Phœbo* judice, prima dari!
At nos, quæ Capiti ſtatuis, *Dux Optime*, noſtro,
Sternimus ante tuos laurea ſerta pedes:
Hæc votiva tuis, ô *Phœbe*, reponimus aris.
Æterno Famæ figimus iſta tholo.
Iſta tuâ nobis ſemper ſub luce virebunt
Integra, dum ſervat præmia *Phœbus*, erunt.
Improba non ferient æternas fulmina laurus,
Perpetuusque tuâ fronde triumfus erit.
Hinc tibi decerptus tellureque conditus altâ
Surculus in ſylvam ſurgat eatque novam.*
Sic quæ Cæſaream firmarunt omnia ſtirpem
Æterna heic Muſis fata domosque dabunt.
Sic creſcet Virtus cum germine: Nec modò deerunt
Munera juſta Viris, Muneribusque Viri.

* *Vide Sueton. l. 7. c. 1.*

AD

AD

Nobiliſſimum Ampliſſimum &
Experientiſſimum,

DN. JOELEM LANGELOTT

Medicinæ Doctorem celeberrimum, Sereniſſimi Ducis Holſatiæ Archiatrum, Dominum & Fautorem optimum,

Cum illi PRINCIPEM meum MEDICUM ſeu Diſſertationem de Curatione Strumarum, quæ inſtituitur â Regibus Galliæ & Angliæ, exhiberem.

EN, quas Gallicus, Anglicusque Strumas
Dextrâ Rex tetigit potentiore,
Has, Vir optime, ſumma nunc medentum,
Fax & gloria magna literarum,
Has Tibi offero dedicoque ſtrumas.
Hos Reges Tibi ſiſto nunc Chirurgos
Collegasque tuos, tuos tribules.
Fac Reges Medicos, fac ô Chirurgos
Eſſe, ſint Podalirii, Galeni,
Publicæque ſalutis Archiatri,
Strumas imperii putres recidant
Terræ pondera, peſſimam ſaburram,
Quo tellus alit hæc fovetque ſtrumas
Informes, gravidasque turgidasque
Totas nempe cucurbitasque ventresque.
Expedite novaculas, ſecures,
Et cauteria, Principes Chirurgi,

Et ferro has abolete & igne ſtrumas,
Et ſi pro capite ſtat ipſa ſtruma,
Tum ſecate caput ſimulque ſtrumas.
Sic vos ſic Medicos vocabo Reges,
Si non tangitis has manu ſupinâ:
Sed ſi jam enſe reciditis nefandas
Quotquot curia quotque habet cathedra, *Strumas*.
Ohe! quis mihi tale non putanti
Strumoſum facit impetus Phaleucum!
Dum Strumas meditor, meus Phaleucus
In ſtrumas abit. O abite ſtrumæ!
Sed Tu, quas tibi trado, ſume ſtrumas.
Tolle has ignibus & recide cultris.
Te Machaona *Principis* rogamus:
Principi Medico medere noſtro.

PROGRAMMA

Quo ad Artem Epigrammaticam publicè docendam invitabat.

HUc ades, Aoniis ſtudiis operata juventus,
Spargo ſalem, Samio munera grata ſeni.
Non dabo nunc fatuas fabrorum prandia betas,
Crambenve inſipidam terque quaterque coquam.
Addo ſalem, ut poſſit cibus ille movere ſalivam,
Addo piper bilem ut forte movere queat.
Dulces Caſtalii dant tædia fluminis undæ.
Absque ſale inſipidum, credite, nectar erit.
Quæ nobis quondam manavit dulcibus undis,
Nunc eadem ſalſo vena liquore fluet.

Nî ſale conditur, præcox non durat in ævum
  Pagina, ſed putri carpitur illa ſitu.
Qui ſi defuerit, ſalſamentarius addet
  Prodigus, atque ſuo condiet inde ſale.
Scilicet, ut rerum tria ſunt primordia, Salque
  Non minimum Chymicis, nec leve nomen habet.
Sic quoque ſublimis ſalis eſt in carmine Virtus.
  Candidus ille tamen, non erit ille niger.
Quod ſi Mercurius per metra volatilis errat,
  Tu ſolidum, ut poſſis figere, junge ſalem.
Spargo ſales, pro mulſis erit. Tuque inde Juventus
  Ut ſapias Carmen, ſi ſapis, adde ſalem.

In
Globum magnum Æneum

Sereniſſimi Principis & Domini

DOMINI

CHRISTIANI ALBERTI,

Cimbrorum Ducis &c. &c.

Domini mei clementiſſimi.

QUis novus ille Tibi, DUX MAXIME, volvitur orbis,
  Ingenii ſtellis induperantis opus?
Vertitur illa tuo cœleſtis machina nutu.
  Et Domino parent ſidera mota ſuo.
In medio reſidere potes, famulantibus aſtris.
  Sic ſedet in ſolio Jupiter ipſe ſuo.

Ænea labuntur tacito tibi ſidera curſu,
Et gyris formant ænea ſecla ſuis.
Ferrea ceſſabunt, mox nobis aurea condes
Secula, nunc orbis totus in ære tuo eſt.

AD

Nobiliſsimum & Ampliſsimum

DOMINVM

ADAMVM OLEARIVM,

cum globum illum ſpectandum mihi curaret.

IN cœlo fuimus. Vaſtos OLEARIVS orbes
Pandit, & in cœlum tollit amica manus.
Tango polos digitis & ſidera vertice pulſo.
Hoc felix Vates nomine vivus ero.
Tu me Terrigenam cœli dignaris honore,
Eſſeque cœlicolam, dulcis Amice, jubes.
Summus in hoc mundo Deus eſt ac incola Princeps:
Primus in hoc mundo Tu mihi ADAMVS eris.

Ad eundem,

Cum is me per jocum Luciferum appellaret.

LUcifer ergo fui, quo jure vocandus, Amice?
Tu potius tanto nomine dignus eras.
Tu cœlo lucem fers, & dedit hoc tibi lucem,
A celo cœlo lux venit ampla tuo.
Nos damus è fumo, tu das ex æthere lucem.
Illuſtris cœli es Lucifer ergo tui.

Scazon,

Scazon, quo

DOMINO

HENRICO BERNHARDO Beſelin

De ſummis in arte Medicâ honoribus poſt inauguralem de *Luxatione Oſſium* diſputationem feliciter obtentis gratulatur.

Dum, BESELINE, Tu gradum petis ſummum,
Honoribus Luxatio viam ſternit,
Hæc te per alta ducit, & gradum firmum
Tibi pollicetur parte mobilem nullâ.
Ego hoſce claudo ſubſequor gradus talo,
Dumque os tibi haud luxatum in oſſa luxata
Laxatur, iſte crus pedeníque luxatus
Te propter ambulat gradu pigro Jambus,
Parti hinc honores ſint Tibi (precor) fauſti,
Fortuna firma, nec ſit illa luxata!
Nec Tu per ora vulgi, AMICE, luxato
Pede claudicabis, ſed volabis expanſis
Volutus alis. Te tuæ manent laudes,
Et tendis ad ſummum gradum gradu recto,
Rectusque, nec luxatus, & tenax Recti,
Ut mox feraris vel ſupra gradus iſtos,
O docte quondam, doctiorque, nunc Doctor
Doctisſime. At ſi pergis ire plus ultra
(Nam poſſe Te, nam velle Te ſatis conſtat)
Dum Tu gradus tuæ Artis occupas omnes,
Grammatici, AMICE, te ſuo gradu excludent.

AD

Magnificum & Nobiliſsimum Virum,

DOMINVM

ERICVM MAVRITIVM

JCtum celeberrimum

ejusque Profeſſorem Primarium,

SECVNDVM ACADEMIÆ KILONIENSIS PRORECTOREM.

QUi nunc Secundus ſceptra noſtra, MAVRITI,
Faſceſque tollis ordinis tui primus,
Qui nunc ſecundas primus obtines partes,
Parteſque nunc ſecundus obtines primas,
Sceptris ſecundis, quæ ſecunda ſupremum
Tibi faxit eſſe Numen, integer, conſtans,
Tenaxque recti & glorioſus utaris.
Deus ſecundet vota, fata, conatus,
Tibi obſecundet ſacra Apollini pubes,
Tuas ſecundis captet auribus leges
Hæc prima ſint; majora te manent fata.
(Sic ominabor, ſic vovebo nunc Vates.)
Non in ſecundis tertiiſque conſiſtes,
Dum prima quæque, dum ſuprema ſectaris
Sed dum ſecunda, dum minora ſectaris,
Stabis, per hæc ſecunda ductus in primis.
Res ſint ſecundæ, ſit ſecundior fama,
Quæ pulchra, magna, ſumma quæque complectens
Secunda ſic ſit, ut ſecunda ſit nulli.

AD
VIRVM
Admodum Reverendum & Ampliſſimum
DOMINVM
MATTHIAM WASMUTHIUM
S. S. Theol. D. Hebrææ & Oriental. Lingg.
Profeſſorem Celeberrimum,
Cum novam Accentuum Hebraicorum doctrinam in novâ Academia ederet.

NAſcere & Auguſtis imple conatibus orbem,
Per tot ſeclorum vota petite Liber!
Incipe, *Waſmuthi*, noſtro nova nomina ſeclo
Condere, & iſte tuo nomine creſcat honos!
Tu quod Judæos, Judæorumque Magiſtros,
Quodque fugit doctos hactenus, omne doces.
Tu Linguæ ſecreta ſacræ rimaris, & unus,
Perdita quæ totus credidit Orbis, habes.
Tu ſacer æterni numeras myſteria Verbi
Euclio, nec minimum jota perire ſinis.
Æterni quisquis corruptum dixerit Album
Prætoris, doctâ vapulat ille manu.
Divinæ micuêre faces, tenebrâsque per omnes
Duxerunt animi ſidera pulcra tui,
Tuque per anfractus omnes per & horrida teſqua
Ducentem ſequeris, quâ præit ille, Deum.
Sternitur ergo Tibi via ſentibus obſita quondam,
Et raro per tot ſecula preſſa pede.
Hæc Te non falſo deducit ſemita greſſu,
Hanc alius fidus ductor inire jubes.
Prima operi *Varnus* dedit incunabula: ſed nunc
Occupat æternum *Cimbria* ſola decus.

Heic, Pindo naſcente novo, nova nata Sionis
Gloria, & his Orbem ſedibus acta ſubit.
Jamque ipſum noſter Septentrio provocat Auſtrum,
Et nova ſub Boreâ nunc Cynoſura micat.
Immigrat noſtros Judæa noviſſima fines,
Iſteque Jordanem parturit Oceanus.
At Tibi quam multæ chartas hausêre lituræ!
Quam ſudata Tibi pagina multa fuit!
Nulla dies quondam ſine lineâ abibat Apelli;
Nulla ſine his punctis Noxque Diesque Tibi.
Omnis in his punctis tibi vertitur Orbis, & iſtis
In punctis punctum temporis omne teris.
Sic Tu continuis metiris tempora punctis,
Perque tot hæc annos linea ducta fuit.
Sic magnum formant tibi puncta voluminis orbem,
Punctaque diſpungunt Otia nulla Tibi.
Vertitur his punctis rerum Tibi cardo ſacrarum.
Quisquis es, his punctis crede latere Deum.
Heic tibi procedunt ſacri longo ordine Reges,
Et Reges ſequitur tota caterva ſuos.
Heic tua regna vides, illâ dominaris in aulâ,
Et ſupra Reges regia ſceptra geris.
Quæ pacata Tibi, jam ſacro milite turget
Pagina, quem pugnis deſtinet illa ſacris.
Comparent ad ſigna Duces Tibi Commata, Puncta,
Queis cæſim punctim bella diſerta geras.
Regibus his, Ducibus, turbâque ſatellite tutus
Improba Livoris ſperniere tela potes.
Sic cum melle Tibi ſtimuli junguntur acuti,
Armat cœleſtes hæc Tibi ſpina Roſas.
Gratulor his punctis, Accentibus accino veſtris:
Doctor ab his minimis tu mihi magnus eris.

Ma-

Magnus ab his punctis famæ Tibi ducitur orbis.
Iſte per hos apices creſcet honoris apex.
Nulla Tibi expungent divina hæc ſecula puncta,
Hisque ſuper punctis omnia puncta feres.

Ad

Ampliſſimum & Conſultiſſimum Virum

DOMINUM

SAMUELEM REYHERUM

J. U. D.

& Mathematum Profeſſorem Cl.

De variis Mundi Syſtematibus differentem.

SIc fingimus, Reyhere, machinas orbis,
Refingimusque, ſic in ordinem cœlum
Redigimus & jubemus ad novas ſemper
Meare leges, Orbium remotarum
Fabri, ſagaces ſiderumque ſtructores,
Stantesque in intermundiis novos mentis
In officinâ cudimus Deo Mundos,
Poſt Protoplaſten huncce deuteroplaſtæ.
Hic inter aſtra ſceptra noſtra jactamus,
Latè tyranni, Olympici Imperatores:
Tractus per iſtos ambulamus, & vaſtos
Calcamus hîc audacibus globos plantis.
Hic ſerperaſtris nos curulibus clauſa
Movemus aſtra, greſſibusque per certos
Docemus ire firmioribus gyros,

Ge-

Genioſve pigris addimus rotatores,
Qui fune tenſo, ut Helciarii navem
Trahant per auras. Scilicet Vietores
Quis dicat atque doliarios mundi,
Qui circulis orbem ſuis, velut vinclis,
Stringant ligentque, partibusque compingant
Æquis & arctis. Sic rotamus hos orbes,
Rotamur unà, dum rotatur hæc cœlo
Et intet aſtra Peripatetica incedit
Agiturque Tellus: namque nunc ferè nulli
Sententia ſtat illa ſtante de Terrâ.
Nec ſtamus ipſi, quæque corripit terram
Vertigo, mentes corripit ſimul noſtras.
Planeta tellus incolas ſuos omnes
Habet Planetas nunc, rapitque transverſos.
Non ſtante terrâ nemo ſtat ſuo talo.
Non ſtante terrâ ſtare promiſſis nemo
Poteſt, nec ullus nunc ſibi ſtatus conſtat.
Inverſus orbis totus, atque perverſus.
Cœlumque Terræ, Terra miſta ſtat cœlo.
Surſum deorſum ſumma & ima vertuntur.
Vertumnus Orbis, incolæque Vertumni.
Tot ille formis pingitur, tot aptatur
Novus figuris & refingitur ſemper.
Vertatur hic eccentricisque ſic ſemper
Tortuplicetur orbis, atque terrena;
Mens ipſo in orbis cardine ſtet immota!
Stet illa, vel Mundo ruente, & ÆTERNO
Converſa ſolo Mens quieſcat in SOLE!

AUTOSCHEDIASMATA POËTICA.

AD

PHOSPHORUM CIMBRICUM, *ILLUSTREM ET EXCELLENTISSIMUM* DOMINUM JOHANNEM ADOLPHUM KIELMANNUM A KIELMANSECK, Conſiliarium intimum, Præfectum, Præſidem &c.

SOLI SUO TÆDAS NUPTIALES ACCENDENTEM.

TYchopolin Sol Cimber adit, ſectatur amores;
Præcedis Solem, Phosphore magne, tuum.
Hic ſubit atque tui veſtigia ſideris urget,
Et Dux auſpiciis ducitur ipſe tuis.
Qua graderis, volucrum ſequitur chorus omnis Amorum,
Auguſtumque premit turba minuta latus:
Cumque viâ poſſit falli grex cœcus in iſtâ,
Luminibus credit, Phosphore & Arge, tuis:
Cumque ſit & mutus, tanto ſe conſecrat Ori,
Quo Charis ipſa ſedet, Suadaque blanda ſonat.
Exoras ergo Danicos Orator amores.
Te Duce ſe Phœbo, Phosphore, jungit Eos,
Quæ mediâ ſeptem ſurgens de nocte trionum
Ducitur in tantos, Te præeunte, toros.

Tu

Tu Cimbris Hymenæus eras. has, Phosphore, ſolas
Tu ſoli poteras ſupposuiſſe faces. (noctem
Phosphore ſparge diem! blandam quin, Heſpere,
Pande novoque tuas nomine ſparge faces!
Heſpere, ſic Soli dulces offunde tenebras!
Sic nobis ſeros, Phoſphore, conde dies!
Et manſura tibi tædis naſcentur ab iſtis
Lumina, cumque tuo Sole perennis eris,
Phosphoron ecce ſuum Te Cimbria tota ſalutat,
Summe Vir, & Cimbris vox ſonat una tuis:
Dux noſter caput eſt: Capitis Kielmannus ocellus.
Hunc oculum voluit Dux in amore ducem.

CASSIUS CHRISTIANUS:

SIVE

DE SUI IPSIUS TYRANNICIDIO POEMATION

AD

MAGNIFICUM DOMINUM

CHRISTIANUM CASSIUM,

CONSILIARIUM HOLSATICUM,

CANCELLARIÆ UTHINENSIS DIRECTOREM &c.

SErvimus eheu! ſervitutem peſſimam,
Omnesque vernæ audimus in noſtrâ domo.
Heic quisque glebæ adſcribitur ſervus ſuæ,
Suisque damnis pugnat usque beſtiis.
Sed & ſuperbo quisque ſe premit jugo
Tyrannus exlex impotensque deſpota,
Sibi ſecures atque faſces expedit
Lictor ſeverus & cataſtas injicit,

Ca-

Ænea labuntur tacito tibi ſidera curſu,
  Et gyris formant ænea ſecla ſuis.
Ferrea ceſſabunt, mox nobis aurea condes
  Secula, nunc orbis totus in ære tuo eſt.

AD

Nobiliſſimum & Ampliſſimum

DOMINVM

ADAMVM OLEARIVM,

cum globum illum ſpectandum mihi curaret.

IN cœlo fuimus. Vaſtos OLEARIVS orbes
  Pandit, & in cœlum tollit amica manus.
Tango polos digitis & ſidera vertice pulſo.
  Hoc felix Vates nomine vivus ero.
Tu me Terrigenam cœli dignaris honore,
  Eſſeque cœlicolam, dulcis Amice, jubes.
Summus in hoc mundo Deus eſt ac incola Princeps:
  Primus in hoc mundo Tu mihi ADAMVS eris.

Ad eundem,

Cum is me per jocum Luciferum appellaret.

LUcifer ergo fui, quo jure vocandus, Amice?
  Tu potius tanto nomine dignus eras.
Tu cœlo lucem fers, & dedit hoc tibi lucem,
  A celo cœlo lux venit ampla tuo.
Nos damus è fumo, tu das ex æthere lucem.
  Illuſtris cœli es Lucifer ergo tui.

Scazon,

Scazon, quo

DOMINO

HENRICO BERNHARDO Beſelin

De ſummis in arte Medicâ honoribus poſt inauguralem de *Luxatione Oſſium* diſputationem feliciter obtentis gratulatur.

Dum, BESELINE, Tu gradum petis ſummum,
Honoribus Luxatio viam ſternit,
Hæc te per alta ducit, & gradum firmum
Tibi pollicetur parte mobilem nullâ.
Ego hoſce claudo ſubſequor gradus talo,
Dumque os tibi haud luxatum in oſſa luxata
Laxatur, iſte crus pedeníque luxatus
Te propter ambulat gradu pigro Jambus,
Parti hinc honores ſint Tibi (precor) fauſti,
Fortuna firma, nec ſit illa luxata!
Nec Tu per ora vulgi, AMICE, luxato
Pede claudicabis, ſed volabis expanſis
Volutus alis. Te tuæ manent laudes,
Et tendis ad ſummum gradum gradu recto,
Rectusque, nec luxatus, & tenax Recti,
Ut mox feraris vel ſupra gradus iſtos,
O docte quondam, doctiorque, nunc Doctor
Doctisſime. At ſi pergis ire plus ultra
(Nam poſſe Te, nam velle Te ſatis conſtat)
Dum Tu gradus tuæ Artis occupas omnes,
Grammatici, AMICE, te ſuo gradu excludent.

AD

Magnificum & Nobiliſſimum Virum,

DOMINUM

ERICUM MAURITIUM

JCtum celeberrimum

ejusque Profeſſorem Primarium,

SECUNDUM ACADEMIÆ KILONIENSIS PRORECTOREM.

QUi nunc Secundus ſceptra noſtra, MAURITI,
Faſcesque tollis ordinis tui primus,
Qui nunc ſecundas primus obtines partes,
Partesque nunc ſecundus obtines primas,
Sceptris ſecundis, quæ ſecunda ſupremum
Tibi faxit eſſe Numen, integer, conſtans,
Tenaxque recti & glorioſus utaris.
Deus ſecundet vota, fata, conatus,
Tibi obſecundet ſacra Apollini pubes,
Tuas ſecundis captet auribus leges
Hæc prima ſint; majora te manent fata.
(Sic ominabor, ſic vovebo nunc Vates.)
Non in ſecundis tertiisque conſiſtes,
Dum prima quæque, dum ſuprema ſectaris
Sed dum ſecunda, dum minora ſectaris,
Stabis, per hæc ſecunda ductus in primis.
Res ſint ſecundæ, ſit ſecundior fama,
Quæ pulchra, magna, ſumma quæque complectens
Secunda ſic ſit, ut ſecunda ſit nulli.

AD

AD
VIRVM
Admodum Reverendum & Ampliſſimum
DOMINVM
MATTHIAM WASMUTHIUM
S. S. Theol. D. Hebrææ & Oriental. Lingg.
Profeſſorem Celeberrimum,
Cum novam Accentuum Hebraicorum doctrinam in novâ Academia ederet.

NAſcere & Auguſtis imple conatibus orbem,
Per tot ſeclorum vota petite Liber!
Incipe, *Waſmuthi*, noſtro nova nomina ſeclo
Condere, & iſte tuo nomine creſcat honos!
Tu quod Judæos, Judæorumque Magiſtros,
Quodque fugit doctos hactenus, omne doces.
Tu Linguæ ſecreta ſacræ rimaris, & unus,
Perdita quæ totus credidit Orbis, habes.
Tu ſacer æterni numeras myſteria Verbi
Euclio, nec minimum jota perire ſinis.
Æterni quisquis corruptum dixerit Album
Prætoris, doctâ vapulat ille manu.
Divinæ micuêre faces, tenebrasque per omnes
Duxerunt animi ſidera pulcra tui,
Tuque per anfractus omnes per & horrida teſqua
Ducentem ſequeris, quâ præit ille, Deum.
Sternitur ergo Tibi via ſentibus obſita quondam,
Et raro per tot ſecula preſſa pede.
Hæc Te non falſo deducit ſemita greſſu,
Hanc alius fidus ductor inire jubes.
Prima operi *Varnus* dedit incunabula: ſed nunc
Occupat æternum *Cimbria* ſola decus.

Heic, Pindo naſcente novo, nova nata Sionis
    Gloria, & his Orbem ſedibus acta ſubit.
Jamque ipſum noſter Septentrio provocat Auſtrum,
    Et nova ſub Boreâ nunc Cynoſura micat.
Immigrat noſtros Judæa noviſſima fines,
    Iſteque Jordanem parturit Oceanus.
At Tibi quam multæ chartas hausêre lituræ!
    Quam ſudata Tibi pagina multa fuit!
Nulla dies quondam ſine lineâ abibat Apelli;
    Nulla ſine his punctis Noxque Diesque Tibi.
Omnis in his punctis tibi vertitur Orbis, & iſtis
    In punctis punctum temporis omne teris.
Sic Tu continuis metiris tempora punctis,
    Perque tot hæc annos linea ducta fuit.
Sic magnum formant tibi puncta voluminis orbem,
    Punctaque diſpungunt Otia nulla Tibi.
Vertitur his punctis rerum Tibi cardo ſacrarum,
    Quisquis es, his punctis crede latere Deum.
Heic tibi procedunt ſacri longo ordine Reges,
    Et Reges ſequitur tota caterva ſuos.
Heic tua regna vides, illâ dominaris in aulâ,
    Et ſupra Reges regia ſceptra geris.
Quæ pacata Tibi, jam ſacro milite turget
    Pagina, quem pugnis deſtinet illa ſacris.
Comparent ad ſigna Duces Tibi Commata, Puncta,
    Queis cæſim punctim bella diſerta geras.
Regibus his, Ducibus, turbâque ſatellite tutus
    Improba Livoris ſpernere tela potes.
Sic cum melle Tibi ſtimuli junguntur acuti,
    Armat cœleſtes hæc Tibi ſpina Roſas.
Gratulor his punctis, Accentibus accino veſtris:
    Doctor ab his minimis tu mihi magnus eris.

Ma-

Magnus ab his punctis famæ Tibi ducitur orbis.
  Iſte per hos apices creſcet honoris apex.
Nulla Tibi expungent divina hæc ſecula puncta,
  Hisque ſuper punctis omnia puncta feres.

Ad

Ampliſſimum & Conſultiſſimum Virum

DOMINUM

SAMUELEM REYHERUM

J. U. D.

& Mathematum Profeſſorem Cl.

De variis Mundi Syſtematibus differentem.

SIc fingimus, REYHERE, machinas orbis,
Refingimusque, ſic in ordinem cœlum
Redigimus & jubemus ad novas ſemper
Meare leges, Orbium remotarum
Fabri, ſagaces ſiderumque ſtructores,
Stantesque in intermundiis novos mentis
In officinâ cudimus Deo Mundos,
Poſt Protoplaſten huncce deuteroplaſtæ.
Hic inter aſtra ſceptra noſtra jactamus,
Latè tyranni, Olympici Imperatores:
Tractus per iſtos ambulamus, & vaſtos
Calcamus hîc audacibus globos plantis.
Hic ſerperaſtris nos curulibus clauſa
Movemus aſtra, greſſibusque per certos
Docemus ire firmioribus gyros,

Genioſve pigris addimus rotatores,
Qui fune tenſo, ut Helciarii navem
Trahant per auras. Scilicet Vietores
Quis dicat atque doliarios mundi,
Qui circulis orbem ſuis, velut vinclis,
Stringant ligentque, partibusque compingant
Æquis & arctis. Sic rotamus hos orbes,
Rotamur unà, dum rotatur hæc cœlo
Et intet aſtra Peripatetica incedit
Agiturque Tellus: namque nunc ferè nulli
Sententia ſtat illa ſtante de Terrâ.
Nec ſtamus ipſi, quæque corripit terram
Vertigo, mentes corripit ſimul noſtras.
Planeta tellus incolas ſuos omnes
Habet Planetas nunc, rapitque transverſos.
Non ſtante terrâ nemo ſtat ſuo talo.
Non ſtante terrâ ſtare promiſſis nemo
Poteſt, nec ullus nunc ſibi ſtatus conſtat.
Inverſus orbis totus, atque perverſus.
Cœlumque Terræ, Terra miſta ſtat cœlo.
Surſum deorſum ſumma & ima vertuntur.
Vertumnus Orbis, incolæque Vertumni.
Tot ille formis pingitur, tot aptatur
Novus figuris & refingitur ſemper.
Vertatur hic eccentricisque ſic ſemper
Tortuplicetur orbis, atque terrena;
Mens ipſo in orbis cardine ſtet immota!
Stet illa, vel Mundo ruente, & ÆTERNO
Converſa ſolo Mens quieſcat in SOLE!

AUTO-

AUTOSCHEDIASMATA POËTICA.

AD

PHOSPHORUM CIMBRICUM,

ILLUSTREM ET EXCELLENTISSIMUM

DOMINUM

JOHANNEM ADOLPHUM KIELMANNUM

A KIELMANSECK,

Conſiliarium intimum, Præfectum, Præſidem &c.

SOLI SUO

TÆDAS NUPTIALES ACCENDENTEM.

TYchopolin Sol Cimber adit, ſectatur amores;
Præcedis Solem, Phosphore magne, tuum.
Hic ſubit atque tui veſtigia ſideris urget,
Et Dux auſpiciis ducitur ipſe tuis.
Qua graderis, volucrum ſequitur chorus omnis Amorum,
Auguſtumque premit turba minuta latus:
Cumque viâ poſſit falli grex cœcus in iſtâ,
Luminibus credit, Phosphore & Arge, tuis:
Cumque ſit & mutus, tanto ſe conſecrat Ori,
Quo Charis ipſa ſedet, Suadaque blanda ſonat.
Exoras ergo Danicos Orator amores.
Te Duce ſe Phœbo, Phosphore, jungit Eos,
Quæ mediâ ſeptem ſurgens de nocte trionum
Ducitur in tantos, Te præeunte, toros.

Tu

Tu Cimbris Hymenæus eras. has, Phosphore, ſolas
Tu ſoli poteras ſupposuiſſe faces.
Phosphore ſparge diem! blandam quin, Heſpere, (noctem
Pande novoque tuas nomine ſparge faces!
Heſpere, ſic Soli dulces offunde tenebras!
Sic nobis ſeros, Phoſphore, conde dies!
Et manſura tibi tædis naſcentur ab iſtis
Lumina, cumque tuo Sole perennis eris,
Phosphoron ecce ſuum Te Cimbria tota ſalutat,
Summe Vir, & Cimbris vox ſonat una tuis:
Dux noſter caput eſt: Capitis Kielmannus ocellus.
Hunc oculum voluit Dux in amore ducem.

CASSIUS CHRISTIANUS:

SIVE

DE SUI IPSIUS TYRANNICIDIO POEMATION

AD

MAGNIFICUM DOMINUM

CHRISTIANUM CASSIUM, CONSILIARIUM HOLSATICUM, CANCELLARIÆ UTHINENSIS DIRECTOREM &c.

SErvimus eheu! ſervitutem peſſimam,
Omnesque vernæ audimus in noſtrâ domo.
Heic quisque glebæ adſcribitur ſervus ſuæ,
Suisque damnis pugnat usque beſtiis.
Sed & ſuperbo quisque ſe premit jugo
Tyrannus exlex impotensque deſpota,
Sibi ſecures atque faſces expedit
Lictor ſeverus & cataſtas injicit,

Cæſarque libertatis hoſtis eſt ſuæ,
Mentemque bellis ſubjugat civilibus.
Heic eſt palæſtra Martis, heic Pharſalia,
Heic iſte campus totaque heic acies ſuis
Convolvitur globis & ordine integro.
Heic ſe Quirites mutuis audaculi
Toties laceſſunt evocantque præliis.
Pugnat voluntas & ſibi rebellis eſt,
Votisque vota dimicant contrariis
Quæ Pſychagogo paruit quondam DEO,
Nunc factioſa partibus diffinditur.
Jam caſtra cogitationem exercitus
Movent, volaticæque Mundi imagines,
Cæcisque tecta nubibus phantasmata:
Faſtus, Voluptas, & vagæ libidines,
Iræ rubentes & ferox diſcordia,
Et mille pictis vultibus mendacia,
Et quicquid unquam pectus extudit mali,
Id omne juncto concitatur agmine.
Conſcendit arcem veritatis Opinio,
Mentemque totam concutit Dementia,
Jam Marte aperto, jam cuniculis agens,
Belli magiſtris & tribunis Senſibus,
Et Primipilis hinc & hinc Affectibus,
Et Caſtrametatrice carne ſubdolâ.
Pugnatur hinc & inde, cominus, eminus,
Telis ab orci proditis armario,
Hoſtisque promtis de pharetra Dæmonis.
Sic ergo nobis impares ſuccumbimus,
Nobismet ipſis præda & Orci victima,
Sic heu rebelles nosmet ipſos vincimus,
Turpesque de nobis triumfos ducimus,

Ipſi

Ipſi Tyranni Cæſareſque peſſimi.
Quicquid Tyrannicorum in orbe nominum,
Quicquid nefandi perpetratum criminis,
Id omne noſtro comprehenditur ſinu.
Et jam cruenti dicimur Buſirides,
Noſtroque nos nutrimus ipſos viſcere:
Jam Caji ad inſtar nos adoramus Deos,
Araſque noſtræ condimus ſuperbiæ:
Jam cum Nerone urbi parante incendia
Incendiarii ſumus libidinum,
Matremque noſtram occidimus Mentem bonam,
Lentiſque criminum perimus toxicis.

Exſurge tandem victor & vires novas,
Anime, ô ſupremi vis & aura Numinis,
Roburque ſanctum opemque divinam roga,
Quâ perduellem comprimas tyrannidem.
Hîc euge Bruti ſimus atque CASSII,
Noſtræque libertatis acres vindices,
Dumque in ſenatu Pſeudodoxus conſidet
Cæſar, Dynaſta Mentis heu! miſerrimæ,
Sedem Tyranno ſubruamus regiam,
Teliſque ſacris atque pugionibus
Faſtu tumentem lancinemus Cæſarem,
Primum petatur ictibus certis caput;
In fronte configatur impudentia;
Oculis in iſtis livor exſtinguatur, &
Impuriorum fomites libidinum.
Aures ſceleſtis obſequentes vocibus,
Et ad querelas & pias ſurdæ preces
Hinc vulnerentur. Lingua, ſica quæ fuit,

Menteſque percuſſit bonas calumniis;
Scindatur ipſa. Naſus iſte, qui probos
Suſpendit, amputetur. Hinc vorax gula
Juguletur, osque rancidum ac injurium,
Et publico quod turpiter mutum bono.
Manus capaces & rapaces ungulæ
Exungulentur. Ventris ingens machina,
Cujus ſaginæ vota ſudant omnium,
Arteſque cunctæ, & ipſa (prô ſcelus!) ſacra,
Eviſceretur, peſque claudus, lubricus,
Qui regiâ Virtutis excedit viâ,
Humilemque calce proterit fero gregem,
Totus ſecetur. Cor ſcaturigo mali,
Ubi prima primo ebulliunt in ſanguine
Delicta per venas rotata ſingulas,
Totum enſe transfigatur, ut totus cadat
Homo ſibi ſicarius, ſibi latro,
Laniſta, carnis ipſe carnifex ſuæ,
Ut lancinatus omnibus membris, ſibi
Animum refingat atque ſervet integrum.
Sic verus ille Chriſtianus Αὐτόχειϱ
Seſe trucidet, ut novus vivat, ſibi
Rex ipſe, liber totus & juris ſui,
Soli DEO relictus & Menti bonæ.
Hic CASSIVS mihi CHRISTIANVS dicitur,
Et ſic vocarem CHRISTIANVM CASSIVM.

AD

Nobiliſſimum & Ampliſſimum Virum,

ERICVM MAVRITIVM;

Juriſconſultum in Academia Kilonienſi Primarium & Polyhiſtora Celeberrimum,

Amicum Optimum

Ut varia ſua tam in Jurisprudentiâ quàm in varia literatura ſcripta eruditiſſima edat.

QUid nectis iſtas, docte Cunctator, moras?
Quid fingis & refingis, ornas, expolis
Jam per tot annos perpolitas paginas?
Quas ornat illuſtratque nativus decor,
Quas ipſa nectare perpluit ſuo Charis,
Queis ipſa ſecla ſpondet immortalitas.
Quid vota fallis iſta hiantis ſeculi?
Quid eruditi ſpernis orbis omina?
Vir literarum promiconde, maximum
Cimbris dature nomen & decus tuis,
Cui ſacra fonte ſurgit æterno Themis,
Cujus per ima ſumma cuncta volvitur,
Per quicquid altum eſt, quicquid addiſci poteſt,
Mens vaſta, mens profunda, mens pulcherrima.
Ecquando pandes mentis hunc uterum tuæ
Incomparabilisque fœtus ingenI
Mittes in auras inque lucem proferes?
Quid Virginum inſtar, queis vel annus integer
Dum moliuntur, dum lavantur, labitur,
Tua ſcripta comis, ac ad ungues exigis?

Nil addet illis tempus & ſegnis mora,
Quæ tardat acres mentis impetus tuæ.
Ne tu moras morare; nam vel unica
Vigilata nox tibi ferre ſeculum poteſt,
Tuæ vel una ſufficit famæ dies.
Divina ſi mihi daretur virgula,
Scrutarer iſtud in ſuis reconditum
Aurum latebris prædo literarius.
Si carminum vis ſacra vel Lunam polo
Deduxit olim, forſan iſto carmine
Servata in iſtis evocarem ſcriniis.

Ito ergo, jambe noſter, i celeri pede
Aureſque noſtro vellica MAVRITIO,
Et poſt ſalutem, pulchra dic convitia:
Quid tantus iſtis Euclio incubas bonis?
Scientiæ quas ſemper inſidias ſtruis,
Apollinaris prædo, Raptor artium?
Quid inter iſtos repis & lates libros,
O Hippocrenes helluo bicongie,
Chartis nec erubeſcis impalleſcere?
Quin linquis iſta. Sat libris datum tuis:
Nunc profer iſta mentis altæ pignora,
Fabiique Cunctatoris inſtar Maximi,
Repende publico bono graves moras.
Te fama linguis eripi dolet ſuis,
Te voce clamat, te laceſſit improba:
Prodi foràs, prodi foràs meum decus.
Prodi, quid intus muſſitas, quid ſomnias?
Quid docta truncas ſtrangulaſque murmura?
Quid inter iſtos parietes tibi ſapis?
Impende ſeclo impende voces aureas.
Feram per auras buccinatrix ſedula.

Quod ſi nec iſta nunc tuas rumpat moras,
Apollo noſter, totus Aonidum chorus,
Ut denique ignes exſerant ſeſe tui,
Suffundet ipſâ ex Hippocrene frigidam.

IX.

Faſces Academicos

Nobiliſſimi & Ampliſſimi Viri

CASPARIS MARCHI

Med. Prof. Pr. & Archiatri.

Qui ſceptra Medicis Æſculapî tradidit
In ſymbolum artis, ſceptra Nato Regia
Parens APOLLO nunc dat Æſculapio
In Artis Imperîque contubernium.
Tu tolle, MARCHI, tolle ſceptra Regia,
Simulque morbos tolle literarios.
O tolle nobis tolle ſurda nomina,
Inter bonos ut audiat nemo malè:
Cœcisque lucem da tenebrionibus,
Qui nil vident, videri at unicè volunt:
Vocemque mutis, ut queant viderier.
Tu λειποθυμίας, gravedinem Ingenî
Muſarum alumnis & veternum diſcute,
Lentasque febres & vagam vertiginem.
Reſcinde Strumas, fœda carcinomata:
Et ſi qua forſan exhibentur ulcera,
Perfunde aceto, ſparge, perfrica ſale:
Si quis maraſmus & bonæ mentis phthiſis,
Vel pica quædam futilis ſcientiæ
Nos occupavit, artiumque nauſea,

Malum hoc Machaon arte doctâ corrigas,
Ut ſic utrumque munus uno nomine
Explere poſſis, Corporique publico
A Te medente ſit ſalus, ſicut BONÆ
SANÆQVE MENTES SANO IN HOC SINT
CORPORE.

Admodum Reverendo & Ampliſſimo

V I R O,

MATTHIÆ WASMVTHIO,

S.Theol. D. Ejusdemque Extraord. Hebr. verò
& Orient. Ling. Ordinario Profeſſori,

*Cum Academ. Kilonienſis ProRector
conſtitueretur.*

EXorere ô noſtris, Orientis gloria, Muſis,
Et clarum Clariis faſcibus adde jubar.
Aonidum trabeas & ſplendida ſceptra ſerenes,
Hisque Tuo radios ex Oriente feras.
Surgat amica ſacris tua nunc Aurora Camœnis.
Phosphorus eſto bonis: Heſperus eſto malis.
Ipſe tuis oriens ſceptris adſpirat Apollo,
WASMVTHI, famæ conſcius ipſe tuæ.
Atque ait: Iſta meas poſthæc tractabis habenas,
Sceptraque formandis Regibus apta manus.*
Ad Boream regnum hîc Orientis habebo: nec unquam
Occidet hoc oriens ex Oriente decus.

* *Alluditur ad doctrinam Accentuum.*

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro,

THEODORO SVTERO,

de Conſulatu Roſtochienſi gratulatur ex itinere Anglo-Batavo redux.

ITe remiſſa meæ reduces ad plectra Camœnæ,
Priſcaque ſopitos animate in carmina nervos.
Hâc tantùm datur ire tenus. Phœbeia jam vos
Claſſica, jam veſtri revocant penetralia Pindi.
Hæc cupido ſtat meta pedi. Gratiſſima non vos
Otia, non gentes variæ & præclara juvabunt
Amplius exilia. Spatiis concludimur illis,
Et gyros ſors noſtra locat. non Anglia mater,
Anglia, majoris, quantus patet, Orbis imago
Maxima, & Oxoniis fontes, dilectaque nobis
Nomina, Bodlejæ congeſta volumina gazæ
Flagrantes paſcent animos, non mitia BelgI
Sidera, & illuſtres ſpectabitis amplius oras.
Ite ergo, quò fata vocant, ſuperûmque voluntas
Huc, ubi Apollineos docto Pater amne pererrat
Varnus agros, pulchramque & odori nominis urbem
Alluit. Heic, quà ſtat prima contermina portæ
Illa domus, dilecta domus, magnoque decora
Conſule, quæque ſinu toties Vos foverat almo,
Et placidis toties admoverat hoſpita menſis,
Præcharas pulſate fores tentâteque lentis
Ictibus. At vos non poſitæ terrore ſecures,
Nec pudibunda ſacri confundant lumina faſces:
Illa manent animi documenta perennia priſci
Et faciles etiam reſident in Conſule mores.
Tum demum, ni forte foris graviora fatigant

Munera, & ipſe meo cieatur nomine CONSVL,
Et Conjux, & tota domus, & quiſquis eorum
Noverit ingenui conſortia blanda Poëtæ.
Unus abeſt eheu! noſtræ non infima curæ
Portio. mœſtorum quondam ſpes magna Parentum,
Non ullo nobis ſpectandus tempore, cujus
Immatura pio ſolamine plangite fata.
Non dedimus triſtes elegos; ignoſcite manes
Defuncti, & tacitum ſinite hunc memorare dolorem.
Tum date ſolemnes curvato poplite geſtus,
Dextram dextra premat, multoſque ſalutis elenchos
Multa ſuper multis rogitantibus edite amicis,
Tunc iterum præſente Viri Vos paſcere vultu,
Et dulces audire ſonos & verba diſerti
Oris & optatas dabitur bibere aure loquelas,
Tum bona, nec grandi gradientia verba cothurno
Dicite, diffuſis nec circumducta meandris;
Qualia non viſæ dictaret amator amicæ:
Sed bona, ſed brevia, ac operoſæ expertia curæ,
Ingenua, infucata novo dicetis honori,
Tum benefacta Viri & priſcos laudate favores.
Sed laudate; piis tantum nunc illud agendum eſt
Officiis & quod vobis conceditur unum,
Sinceros animos gratumque reponite carmen.
Macte novis, CONSVL, titulis, Themidoſq; tribunal
Scande & ſublimes, populo dictante, tiaras
Indue, Virtutis dignisſima præmia tantæ,
Et meritis delata tuis. Tibi publica cordi,
Non privata ſalus, generoſique ardor honeſti
Et Civis commune bonum conſtantia movit
Pectora, te curis exercuit undique amicis,
Afflixitque caput; Tibi ſe debere fatetur
 Var-

Varnus & unanimes lætus decrevit honores,
Solus honor virtute venit non emta probantur
Nomina fumoſumque decus, fax mentis honeſtæ
Gloria, non quæſita tamen, fugit illa petentem;
Sed ſequitur fugientem, & adactis paſſibus inſtat.
Quo mihi doctrinam? quorſum impalleſcere chartis?
Nocturnis juvat, & tot conſumſiſſe lucernas,
Et picturatis longos diſperdere ſoles
Legibus & vaſti ſinuoſa volumina Juris
Herculeâ volviſſe manu? ni debita merces,
Reſtet, & æternæ ſolentur tædia laurus.
Vidit & haſce tuas laudavit Curia curas,
SUTERE, & rerum ſummas tibi credit habenas
Præſidio gaviſa tuo. Tibi regula Recti
Recta, nec ille doli confuſus nomine candor.
Non fallax ſtat fronte Sinon, non pectore Ulyſſes
Clauditur, at juſtum turpi ſine nube ſerenum.
Non bonitas tibi mixta placet fucataque Virtus,
Sed mera, ſed ſimplex & non niſi ſindone tecta.
Scis tamen & mollire Themin, differreque pœnas
Criminibus, meritosque reis ſuſpendere faſces,
Cum ratio, cum facta jubent. Tu promtus ad omnes
Arbiter accedis tricas momentaque libras
Singula. Tu cauſas juſti cum dicis & æqui,
Es judex prius ipſe Tui, non vota clientum
Improba, non anceps nodoſis pagina turgens
Legibus & quicquid clamoſus gannit in aurem
Rabula, confundent: fugitas ceu toxica Lernes,
Tænariumque chaos & dentes aſpidis Afræ
Mangones miluosque fori funeſtaque Cadmi
Semina, ſed longas trahis in compendia lites.

Ergo capeſſe tua hæc, toto plaudente Senatu,
Munia, Te roſeis Reſpublica ſuſcipit ulnis,
Patronum pupilla ſuum conjuxque maritum.
Tu rege, tu tutare tuam; ſis proxima cervix
Ponderis immenſi. Vaſtam ſpatioſior exi
In famam magnumque decus. Tu coctile ſaxum
Oebalio muta lapide, & res erige lapſas.
Dat civis tibi vota tuus. Tibi jubila Varnus
Solvit & ingentes veneratur quisque tiaras.
Indoluit toties pulchrisque infrenduit auſis,
Nunc tamen ipſe ſuo dentes in viſcere figit,
Et diſcerpta ferox depaſcitur ilia Livor.
Sit fauſta illa dies! ſcribant in floribus Horæ,
Et tibi ſerta ferant plenis effuſa caniſtris,
Egregiosque beent æternum Numen honores.
Imbelles tibi hos numeros & iners dare carmen
Poſſumus, & verbis tantum felicibus uti:
Tu tamen officii ne ſpernas pignora noſtri,
Nec contemne tua non dignum laude Poëtam.

In
Nobiliſſimi & Experientisſimi Viri
JOHANNIS DANIELIS MAJORIS
Medic. Prof. & Archiatri Cl.
CHIRURGIAM INFUSORIAM.

DUm Medicæ gentis Pater inventorque ſalutis
Perpetuos Muſis figit Apollo lares,
Dum novus in Cimbris Helicon nunc naſcitur oris
Et quacunque novum ſurgit in arte decus,
In MAJORE ſuo medicorum gloria majus
Nomen, & ipſe ſuâ Phœbus in arte tenet,

Ex-

Expugnare novo truculentos arjete morbos
Hic novaque in mortem ſtringere tela docet.
Pugnavit variis Medicorum natio telis,
Cominus hinc morbos, eminus inde petens.
Fronte modò adverſa bello decernit aperto,
Pharmaca dum pugnas ore recepta movent.
Sæpe per inſidias à tergo invaditur hoſtis,
Cum ſubit aversâ viſcera ſipho viâ.
Sed te Venarum duxère cuniculi in arcem
Cordis, & hîc mira disjicis arte malum;
Namque ubi Parca cutem venarum ſtamine nevit,
Ingeritur Medicus, quà data porta, liquor,
Ille abit in venas, ut ſanguine vecta curuli,
Conatu pellat vis propiore malum.
Hæc calidis vitæ deducta canalibus omnes
Perreptat latebras, ingrediturque ſinus.
Hanc tua tam felix artem ſolertia nobis
Extudit: hanc Cimbros nunc, ô Amice, doces.
Quam non Philyrides; quam non Podalirius artem
Novit, quam Cous diſceret ipſe Senex;
Quam non imberbis proles barbata Parentis
Monſtravit ſomni per ſimulachra ſacri.
Hâc ſocero Medea infunderet arte juventam:
Ætatem Peliæ redderet ille ſuam.
Tu firmis iterum nodis ea ſtamina, quæ jam
Fatali ſcindit forfice Parca, ligas.
Cum pene egelidus circum præcordia ſanguis
Siſtitur, infuſo frigida rore moves.
Japetoniades novus es. Hic munera vitæ
Flammis; infuſis Tu reparabis aquis:
Magnus in arte tuâ nobis diceris; eriſque
Maximus, ac ipſo hoc nomine Major eris.

Cum-

Cumque Valetudo tali infundatur ab arte;
Infuſum rectè dicimus hunc habitum.

Ad eundem
Excuſat moram promiſſi Carminis.

TOrpebant Vati reſides in pectore venæ,
Quoque riget mare nunc, hæ riguere gelu,
Cum ſtaret mihi vena, pedesque negaret Apollo,
Promiſſis potui non ego ſtare meis:
Eſt tamen & fruſtra eſt per vota vocatus Apollo:
Fer pedibus, dixi, fer, Pataræe, manus.
Eſt tamen eſt precibus demum exoratus Apollo,
Et Medicam Vati fert Pataræus opem.
Hic magni pulcras artes imitatus alumni,
Siphonem venis admovet ipſe meis,
Caſtaliosque illis latices inſtillat, & hinc eſt:
Quod facili rurſus carmine vena fluat.

AD
Virum Ampliſſimum
ADAMUM TRIBECHOVIUM,
Hiſtor. Sacr. & Civil. Prof. Cl. Collegam
& Amicum Conjunctiſſimum,
&
Eruditiſſimum Juvenem,
GEORGIUM NICOLAUM
Meyer/
de Philoſophiâ Morali Barbarâ diſputantes.

BArbara Pyramidum ſileat miracula Memphis:
Sed veterum jactet barbara ſcita ſophûm,

Barbarus in ſtudiis primum ſe jactat Apollo,
  Et Veneres Græcas barbara gignit anus.
Purior his primum delapſa canalibus unda
  Caſtalis: at lenta hinc & lutulenta fluit.
Barbara ſecla Deo primùm ſapuêre Magiſtro,
  Barbaricumque illis nil niſi nomen erat.
Una fuit veteri & ſimplex ſapientia mundo,
  Et Pietas inter dogmata prima fuit.
Hinc jam pejor avis per ſecula ſcinditur ætas,
  Et variam voluit mentis & oris opus.
Auſpiciis humana ſuis ſapientia crevit,
  Barbaraque illa magis, quò minus illa fuit.
Inde tot errorum ſparguntur ſemina, nugæ
  Difficileſque ſua futilitate Logi,
Gerræ, quisquiliæ, febreſque ſcholaſticæ & atræ
  Somnia quæ poſſes credere bilis opus.
Scilicet appoſitis tranſcendimus æthera ſcalis,
  Ut cœca hinc lapſo mens graviora ruat.
Jam multis animi divina negatur origo,
  Deque ipſo dubitat mens male ſana DEO.
Secula vel ſenio delirant noſtra, vel ipſa
  Impietas Sophies omnia puncta tulit.
O priſci redeat nobis infantia Mundi,
  Sanctaque præſcribat dogmata ſimplicitas!
Deviat hæc variis diſtracta receſſibus Ætas,
  Ipſaque nunc minus eſt barbara barbaries.
Summa in Barbaricis latitat ſapientia ſcitis,
  Diſcite barbaricè, ſi ſapitis, ſapere.
Iſta meus veteri TRIBECHOVIUS eruit ævo,
  Iſtaque MEIERUS barbara jura docet.
Degeneris legat hæc proles ingloria ſecli,
  Ut quantum veteri diſtet ab orbe, ſciat.

At

At Tu perge tuas, TRIBECHOVI, promere gazas,
Quasque tenes clauſas Euclio doctus opes.
Sumimus hos obulos,; quæ reſtant ede talenta,
Quas ſi Tu dederis, ſemper habebis opes.
Priſca novo ſurgat per Te ſapientia Pindo,
Ut Natas inter Barbara Mater agat.
Et nos hinc magnæ ſequimur veſtigia matris.
Sacra mihi SOPHIE BARBARA ſemper erit.
Accedunt occulta Sophûm ſuffragia: namque his
BARBARA perfectum dat rationis opus.

AD
Generoſum Juvenem
CAJUM RANTZOVIUM, EQUITEM HOLSATUM,
Juridice diſputaturum.

MActe animo, Juvenis Generoſe, & PRÆSIDE TANTO
Ingenii profer maxima dona tui.
Sed Tibi quid tantâ dignum precer indole? nam ſpes
Votaque, vix quò jam progrediantur, habent.
Quam pedibus carpunt alii; tu corripis alis,
Deproperasque Tibi prodromus ipſe viam.
Prima tibi doctos mens exardeſcit in ignes,
Lethéo quos non Evius imbre rapit.
Nulla dies tibi, nec ſine fœnore labitur hora,
Nec quæſtu punctum temporis ecce caret.
Sic ſolida ratio ſubducitur integra vitæ,
Dumque exaſſe tua eſt, pars tibi nulla perit.
Prætextata graves vincit ſapientia barbas.
Penè puer poteras exhibuiſſe Virum.

Te variis Natura inſtruxit dotibus unum,
Quæque noverca aliis, hæc tibi mater erat.
Quas olim laudes GERNANDO maximus Hugo
Scripſerat, has aliquas ſcriberet Hugo Tibi.
Scilicet à puero Delphis nutritus in ipſis,
Mente Senex, annis Phœbus ephebus eris.

AD

Generoſum Juvenem,

DETLEVUM RANTZOVIUM,

Equit. Holſat.

Anno ætat. XIV. ſecundo
ſuo Climacterico

de Comitiis Electoralibus diſputantem.

EN iterum Cimbris ſurgunt miracula Muſis,
At ipſum Themidos culmen ephebus adit.
Vidit & obſtupuit CAJUM tria luſtra tenentem
Vel Cajis priſcis digna ſonaſſe Themis.
Jam Frater, cui vix bis ſeptima ducitur æſtas,
Septenos docto diſſerit ore Patres.
Macti animo Fratres! Macti virtutibus! O Par
Absque pari, ſoli par quod utrinque ſibi.
Quos inter dubia Genitor ſuſpenſus amore
Ambigit, an prior hoc ille, vel iſte minor.
Sed geminos hinc inde notans, quantum omnibus ille
Diſſimiles, ſimiles tam videt eſſe ſibi.
Macte animo! DETHLEVE, ſacræque ale ſemina flam̃æ,
RANTZOVIUMque olim ſparge per aſtra decus.
Colligis anguſtis Collegia ſplendida chartis,
Cenſuramque ferunt nomina ſumma tuam.

Augu-

Auguſtus Juveni Tibi panditur iſte Senatus,
  Imperiique Patres inter, ephebe, ſedes.
Quam fauſtis creſcit tibi climacteribus ætas,
  Præcurrisque tui temporis ipſe gradus!
Nec gradus incidit numeris æqualibus annos,
  Sed duplâ ſemper ſe paritate præit.
Nam dum te format his ſeptimus annus ephebum,
  Jam repræſentat mens tibi adulta Virum.
Sic minimis ſurgit gradibus minor orbis; at inde
  Dirigitur vaſtis orbita magna viis.
Macte tuis gradibus! juvenis doctiſſime, qui jam
  Grammaticos ultra creſcis abisque gradus.
Macte tuis gradibus! queis ſi mens creſcit & ætas,
  Immenſo ſuperas ſecula & aſtra gradu.

AD

VIRUM EXCELLENTISSIMUM,

NICOLAUM HEINSIUM.

DAN. E.

Illuſtr. & Præpotent. Fœderat. Belg. Ordinum
ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Sueciæ
Regem Legatum ordinarium,

SERENISSIMI ETRURIÆ PRINCIPIS

COSMI MEDICEI

è Belgio ad Gambrivios, ut tunc quidem
credebatur comitem.

ILluſtris Heinsi, Patris & Patriæ decus,
Patriæque Patrum lingua, cujus dulcibus,
Non Gallicani, Belgici ſed Herculis,
Vinclis potentes obligant ſibi Gothos,
Ut ipſe molles vocibus ſuaviſſimis
Poëta vinulus catenas injicis

Et

Et entheato figis aures faſcino:
Illuſtris Heinsi, Patriæ jubar tuæ,
Patriæque Patrum dextra, quâ geminæ ſibi
Gentes adhærent, & pias jungunt manus,
Quo placida colligente utrinque pectora,
Uterque mutuis jocatur unguibus
Amplexibusque innoxiis ludit Leo:
Dum maximum viſurus ibis Principem,
Magnus ſodalis contigit Cosmus Tibi,
Cosmus, perennis ſeculorum gloria,
Cosmus, Camœnarum Stator fugientium,
Ingens Etruſci Dux decusque nominis;
Comisque nunc es Principis Magni comes,
Ut vos Pater ſalutat Albis hoſpites,
Magno utriusque nunc ſuperbus nomine!
Sua invidente Rheno & Arno pignora,
Novoque ſic junctum Maronem Cæſari,
Et plectra ſceptris, ſceptra plectris æmula
Miratur, & par invidendum maximis
Ad aſtra tollit evehitque laudibus,
Ut illa pulchrè nunc jugantur nomina!
Velut ille Princeps magnus; hic eſt maximus
Princeps Poëtarum, Poëta Principum.

AD

Virum Nobiliſſimum & Ampliſſimum,

JOHANNEM SCHEFFERUM,

Jur. Nat. & Gent. in Academ. Upſalienſi
Profeſſorem Celeberrimum,

poſt commentarios de Re Navali Rem vehiculariam illuſtraturum.

Dum Tibi curvatâ compingitur abiete navis,
Et reparat priſcas pagina docta rates,

Ss Ad-

Adverſæque Tibi decertant prælia claſſes,
  Naſcitur è vaſto gloria prima mari:
Dum Tibi nunc agilis campos rota corripit omnes,
  Terra Tibi magnum ſternit honoris iter.
Et jam quà properant currus, quà navita tendit,
  Immenſi pretium grande laboris habes.
Quà patet Orbis, abis, tibique omnia ſubjicis uni,
  Ingenioque via eſt invia nulla tuo.
Poſt mare, poſt terras æther tibi reſtat, ad illum,
  Jam pennas famâ ſufficiente, vola.

In
Ejusdem Commentarium de Re Vehiculariâ.

SCHEFFERE, magnum ô Orbis Arctoi jubar,
Nutantium ſpes literarum, maximo
Evecte ſemper eruditis nomine,
Cujus per omnes volvitur partes geni
Vis alta, promta, paſta pulcris ignibus,
Et inter ipſas nunc rotabitur rotas,
Curruſque curret inter, ac ampliſſimum
Decurret infrequente campum tramite.
Quis ardor iſte ſpiritus agit tuos
Terraque figit editum cœlo caput?
Te literatos colligentem pulveres,
Acto per omnes usque curriculo vias,
Centumque palmis te decorum vidimus:
Nunc iſte Te, SCHEFFERE, nunc campus vocat
Novum Te Erichtonium, novum plauſtrarium.
Ito ergò, currus junge, rumpe carceres.
Faventibusque Diis tibi vialibus,
Per plana, perque confragoſa & aſpera,
Nulli ſubactam primus occupa viam,
Quam rarus hoſpes ambulat: nam publica

Sa-

Samius Magiſter ingredi vetat viâ.
Nihil volanti ponet obices rotæ,
Nemo invehetur, omne de trivio tibi
Vulgus recedet & minuti Satrapæ
Poſt terga ducti; qualis eſſedas ſolet
Regum ſatelles circumire plurimus.
Ipſe iſte tardo Jambus adrepit pede.
Te nullus hac moratur error in via.
Prætervehêris nil, nec extra ſemitam
Non audiens currus habenas abripit,
Celerem curulis ipſa ſupponit rotam
Fortuna, quæ ludis ſuis Circenſibus
Magni orbis incolas hamaxobios agit.
I, docte nunc, SCHEFFERE, quà ducit via,
I nunc, fer auras, mitte lora gloriæ,
Laurusque prenſa, debitum tibi decus,
Extrema quas jam meta præfigit tibi.
Currus parabitur triumfalis tibi,
Et ipſa doctum Fama Te aurigam vehet,
Tuosque currus dædalâ factas manu
Hominum per ora, perque ſumma ſidera.
Et ipſe ſummo deſpicit tuos polo
Currus Bootes, dum tibi nunc frigido
Cœli ſub axe ſudat axis hic tuus,
Geminumque ſpondet nomini plauſtrum tuo,
Quod per ſereni candidam ætheris viam,
Qua cælitum eſt acceſſus ad palatia,
Te ducet. Ipſæ te celerrimæ vehent
Bigæ Deorum, vel Jovis verſatiles
Scandes quadrigas: ſi voles, Phœbéi eris
Auriga currus Pegaſejusque eques.

Ad eundem

Commentarium de Re Navali denuò editurum.

ERgò iterum vaſtum remis veliſque ſubibis
Æquor & antiquas, ò Palinure, vias,
Adque tuas iterum te damnature triremes
Jam famæ perges velificare tuæ?
Jam tibi jam navis ventis delata ſecundis
Ivit: at ò faciles vos maris eſte Dei!
Fallor? an ipſa vias læta tibi fronte ſecundat,
Quæ fuit æquoreis fluctibus orta Venus.
Non tibi vel ſcopuli quatient fluctusve carinas,
Vel tibi naufragium ſæva minatur hiems.
Perpetuo ſeptem lucebunt igne triones;
Plena Tibi Boreâ vela favente tument.
His ſecura ſuo tua navigat æquore fama
Auſpiciis, portu non caritura ſuo.
Aſt ego (nam poſſum vates) tibi ſpondeo cœlos,
Atque locum, puppis quo Pagaſæa micat,
Ut Borei, quæ nunc exit de cardine mundi,
Occupet extremos mox citâ famâ notos.
Intereà plenis dum ferris navita velis,
Exiguam patere hanc ad latus ire ſcapham.

AD

Nobiliſſimum & Ampliſſimum Virum,

SAMUELEM RACHELIUM,

J. U. D. & Jur. Nat. & Gent. Prof. Cl.

Conjugis Carisſimæ ipſo partu exſtinctæ obitum lugentem.

I.

NAſcimur, & morimur. ſic nos alterna fatigant
Fata per arcanas ducta reducta vias!

Fi-

Filia nata tibi eſt, RACHELI; mortua Conjux,
Dum tibi damnoſo paruit officio.
Naturæ nobis exponis jura: ſed iſta,
Dum parit, hæc diſcit ſolvere, dumque perit.
Fata quid accuſas! Naturæ jura docentem
Jura hæc Naturæ ferrea ferre decet.
Non tamen illa perit, ſed & hæc ſua funera vicit,
Per mortem vitæ reſtituenda novæ.
Quæ peperit natam mater, naſcatur ut ipſa,
Concipitur magnæ Matris humata ſinu.

II.

Defuncta Maritum alloquitur.

QUid mea fata gemis? quid acerbos objicis annos,
Meque ſub ætatis flore perire doles?
Sat tibi, ſatque mihi vixi; ſemel ecce Marita
Dicor; non uno nomine Mater eram.
Non ingrata fui Conjux, tres prodiga natos
Edidi, & hinc quarto munere nata datur.
Quam benè nunc vixi, toties quæ vivo per iſta
Pignora, quæque ipſâ non queo morte mori?
Quid Te nunc viduum quereris, me quæris ademtam?
Ter tibi Te reddo, Me Tibi reddo ſemel.

IN

Exercitationes Anti-Baronianas

Viri Ampliſſimi,

ADAMI TRIBBECHOVII,

Sacr. & Civil. Hiſt. Prof. Celeb.

collegæ Amiciſſimi,

ſub auſpicia novi Anni inceptas,

&

Excellentiſſimo Præſidi

DN. JOHANNI ADOLPHO KIELMANNO A KIELMANSECK

inſcriptas.

SCilicet iſta tuis reſtabat gloria cœptis!
Hæc erat ingenio digna palæſtra tuo!
Te, Caſauboni qui ſacra reſumeret arma,
Exhibuit dignum Cimbrica Muſa Ducem.
Cauſa DEI eſt, iſto pugnabitur auſpice, non hic
Subſidiis deerit *Cimber Apollo* ſuis.
Ibis in annales noſtros annalibus iſtis,
Hosque per annales fama perennis erit.
Nam quot continuas labor hic tibi creſcit in horas,
Annos tot pariet fertilis hora tibi.
Dum novus Annus adeſt, annales excutis illos,
Qui generant famæ ſecula longa tuæ,
Quæ non ſumma dies, quæ nulla obliterat ætas,
Quæ non Letéis abripiuntur aquis.
At Tibi *Mæcenas* Annales *Maximus* iſtos
Inchoat auſpiciis continuatque ſuis.
Secula qui nobis KIELMANNUS pandit & annos,
Hic tibi qui referet ſecula, JANUS erit.

Ad Sponſum

nuptias circa ſolſtitii tempus celebrantem.

DUm tenet extremam vectus ſuper æthera metam
Phœbus & æſtivo limite claudit iter,
Optatos tibi præfigit ſors pronuba fines,
Votaque non, quô jam progrediantur, habent.

Sci-

Scilicet ut ſommo cœli ſtat Phœbus in orbe;
Sic jacet in thalami carcere fixa Venus.
Ut Sol majores nunc exardeſcit in ignes;
Sic tibi majores nunc alit illa focos.
Sit felix torus hic, conſtans, fœcundus; & iſte
Ut vertit Titan; ſic benè vertat amòr!

IN

Obitum præmaturum

Eximii Juvenis,

JODOCI BOII,

S. S. Theol. Studioſi & Hebrææ literaturæ peritiſſimi.

MOrtalis iſta vita dicitur Via,
Per quam pius Viator ad cœleſtia
Deique ſanctam Civitatem ducitur.
Hâc Bojus iſtam Civitatem adit viâ,
Interque Cives vult haberi cœlites.
Ne mutus ergo civis illic degeret,
Divina primum lingua Bojo diſcitur.
Hanc ergo cum calleret, ivit, & ſtatim
Inter Quirites eſt receptus cœlites,
Sanctæque jure Civitatis utitur,
Et uſitato prædicat DEUM ſono,
Vocesque notas reddit, audit, provocat,
Et Angelorum mutuis ſermonibus
Miſcetur & concentibus ſuaviſſimis.
Vos hîc & iſtîc muta, ſurda Nomina,
Quid vos agetis? hunc habete interpretem.

IN

Eximii & Præſtantiſſimi Juvenis

CHRISTIANI EHRENFRIED CHARISII ORATIONEM,

Quâ Potentiſſimi Regis Sueciæ CAROLI Natalem celebrabat.

O Qui, CHARISI, ſumma quæque conſectans
Magnum minaris Patriæ tuæ nomen,
Qui primus obſtetrice ſuſcipis linguâ
Regem potentem maximumque naſcentem
Naſcentium in ſacrario Camœnarum,
Quod ipſe nobis Cimber exſtruit Phœbus:
Qui cœli ab axe vota fata ſuſpendis,
Et Aſtra metam figis inter Arctoa,
Heliceque Regiâ tuos regis curſus:
O perge prima ſumma quæque ſectari!
Non in minutis ultimisque ſubſiſtes,
Ad culmen ipſum *Regiâ viâ* tendes.

AD

Eximium Juvenem

JOHANNEM UPPENDORF,

de Studio Hebraico
ſub PRÆSIDIO
D. WASMUTHI
diſputantem.

QUà tua te Virtus, *Juvenis cultisſime*, quà te
Dexterа *Waſmuthi* provida ducit, abis.

Illotis

Illotis manibus ſacra ne cœleſtia tractes,
Doctior Hebræis fontibus ora lavas.
His tinctus tetricas ſpernisque fugisque lacunas,
Visque ſuâ primum diſcere voce Deum.
Scilicet ingenio lux occidit ipſa dieſque,
Ni tenebris radios ex Oriente petat.
Scilicet illa tibi doctrina precaria viſa eſt,
Quando peregrino ſenſus ab ore patet.
Scilicet hic cœco figit veſtigia greſſu,
Humana quisquis judicat iſta fide.
At tu præclaro monitus meliora Magiſtro
Degenerem linquis poſt tua terga gregem.
Macte tuis cœptis! nam quâ tu curris, in iſtâ
Claudicat & repit lauguidus iſte viâ.

Cum legeret ANATOMEN CEREBRI ſcriptam à WILLISIO, Medico celeberrimo.

PEr Caput hoc juro! Capitis patuêre receſſus,
WILLISIO ignotas nunc præeunte vias.
Scilicet hic nervos nervos intendit in omnes,
Sollicitamque fugit venula nulla manum.
Hic Cerebri latebras ſolus pervaſit, hic arctos
Explicuit nodos, eruit arte ſinus.
Hâc licet anguſtâ quondam regione viarum
Plurimus implicitum duxerat error iter:
At nunc ingenii lapſos per opaca canales
Ingenium nobis hoc capitale notat.
Quanta patent oculis! nunc intus & in cute noſmet
Noſcimus, obſcurum jam nequit eſſe nihil.
Ne mihi Vulcani Vatum commenta ſecurim
Et gravidi memorent pondera ſacra Jovis:

Doctior ingenitam faber eruit ille Minervam,
  Dum mentis penetrat regna domoſque ſubit.
At Tu, qui merito caput inter ſidera condis,
  O carum ſeclo Britonibusque Caput,
Quæ tua tam felix cerebri ſolertia ductus
  Extudit? an doctam duxit Apollo manum?
Cæſorum ut numerus Capitum fortisſima monſtrat
  Pectora, victori præmia digna ferens:
Sic tibi cæſa novos pariunt capita iſta triumfos,
  Et ſtatuunt famæ viva tropæa tuæ.
O auro dignum Caput & Parnaſide lauro!
  Exclamat tua qui ſcripta profunda legit.
Huic capiti linguas aptabit Fama ſonantes,
  Inque oculis feret hoc doctior ordo Caput.
Dii ſalvum hoc ſervate Caput! Sic quilibet inquit,
  Qui Cor habet, Cordi cui Caput illud erit.
At vos ô cenſi capite, ô vilisſima turba,
  Ignavi, linguas hinc cohibete graves,
Queis vacuum Cerebro caput eſt, procul eſte, nec iſta
  Tangite, nî Capitis quis velit eſſe reus!
Multa quidem capimus capita haud ingloria rerum,
  Quas Natura ſuo condit alitque ſinu:
At Caput hoc ipſum capiens caput omnia vincit.
  Hoc veſtrum, Medici, dicimus eſſe Caput.

AD

Eximium & Præſtantisſimum Juvenem

JOH. FRIDERICUM HASEN-MULLERUM,

Cum de CONCURSU DEI pro Laurea Philoſophica diſputaret.

EST DEUS, & noſtris præſens illabitur actis
Optimus, Æternus, Maximus, Omnipotens.
Hunc loquitur Natura DEUM confeſſaque motus
Vicino impelli Numine cuncta docet.
Hos videt; & cœcus tamen eſt, hos tangit & audit;
Surdeſcit tamen hîc & ſtupet omnis homo.
Nec tantum ſtupet hic, animo ſed ſæpe reluctans
Obſtat Motori congrediturque ſuo.
Infera commiſcet ſuperis Acherontaque Cœlo,
Et toto cœlo totâ abit ille via.
Adversâ cerebrum rapitur vertigine, currit
Extra orbem vetitâ lubrica planta viâ.
Non movet iſta manus poſcenti munus egeno,
Involat ac unco ſæpius ungue rapit.
Os nec ab ore DEI ſuſpenditur, & modò clauſum
Non movet & motum non bene claudit homo.
Sæpius invehimur; ſed ſæpe obrepimus illis
Motibus, obliquò, quà data porta, gradu.
Quis Cynicus ſua non obvolvit dolia cœlo?
Humanâ quis non obſtitit arte DEO?
Nec ſequimur, quò fata trahunt; incurrimus illa,
Abrepti, quò nos cœca libido trahit.
Ut ſit honoratus, laudatus, dives, amatus
Omnem quam lapidem non movet ipſe lapis!
Exagitet, rapiat, mutet quadrata rotundis,
Ptoſternat, turbet, miſceat omne nefas;
Omnia cum movet & formas ſe vertit in omnes,
Conatu tanto promovet ille nihil.
Omnia tum retro ruere & ſublapſa referri
Incipiunt, motus non agitante DEO.
Tu meliora vides, HASENMULLERE, doceſque,
Divina ut noſtrum dextera ducat opus.

Hæc

Hæc quoque (ne dubita) conatibus additur iſtis,
Tu modo Tu dignum te quoque crede DEO.
Hunc ſequeris, quamvis non ſemper paſſibus æquis,
(Nam quæ non hominem pondera ſæpe gravant?)
Sed ſequeris tamen, & veſtigia colligis illa,
Et prono metam pergis adire gradu.
Macte tuis gradibus! felices ſcilicet illos
(Namque DEUS comes eſt) dicimus eſſe gradus.

AD

Præſtantiſſimum Juvenem

JOH. CHRISTIANUM HASEN-MULLERUM,

De Dignitatibus ECCLESIASTICIS SUPERIORIBUS

Pro Conſequendis Honoribus Philoſophicis diſputantem.

DUm Dignitates diſſeris Sacras, digna
Noſtri propago portioque Parnaſſi.
Et vocis iſtâ dignitate defendis
Ut dignitatem conſequare ſupremam,
Quam noſter Ordo Seculis tot acceptam
Jam liberali conferet tibi dextrâ;
Tu Dignitatum dignus iſte Defenſor
Et hanc mereris, & mereberis ſacras,
Quas nunc recenſes infulas, togas, mitras.
Nam (ſi quid aſſequor vel auguror Vates)
Sententiis ſuffragiisque Doctorum
TU DIGNITATE DIGNUS; ILLA TE DIGNA EST.

HORÆ

HORÆ

SUBSECIVÆ POETICÆ.

ILLVSTRI VIRO,
CONSTANTINO HUGENIO,
Equiti, Zulichemi & Zeelhemi Toparchæ, Celſisſimo Principi Auriaco à Conſiliis ſecretioribus.

Quotiescunque apud animum meum reputo: (facio autem quam ſæpisſimè) quam mihi jucunda fuerit, ante ipſum annum, tum in Belgio, tum in Anglia tecum converſatio; toties inter præcipuos itineris mei fructus eam numerare ſoleo, ac eo quidem nomine vehementer mihi gratulari. Quanquam enim jam tum puero magni tui nominis fama è ſcriptis argutisſimis ingnotuiſſet; propius tamen tantas venerari virtutes maximæ fuit voluptati. Erant præterea tot luculenta tui favoris adverſus me argumenta: ut cum in in animum ea mihi revoco, non posſim quin me Tibi profitear devinctisſimum; ac aliquas etiam mihi, inter Grotios, Heinſios, Barlæos at quantos viros! in tanto nomine efferendo, vel tribuam, vel rapiam certè partes. Quod, quanquam per ingenii tenuitatem facere decorè nequeam; faciam tamen: ac ferenda Tibi profectò eſt, inter tot olores Belgas, ad medium ſolem cantillans cicada. Cum vero nihil ad manus mihi ſit, quod tanto viro dignum videri queat; pro tempore tamen offeram, quod me ὡϱαῖον inveniſſe munus exiſtimavi: Horas ſcilicet ſubſecivas Poëticas. Quo nomine complector Carmina quædam

mea,

mea, quæ vel impetu ſtimulante ſponte fuſa; vel ab amicis impetrata; aut importunius nonnunquam, ferente ita conſuetudine, à notis, ignotis extorta. Ita ſcilicet comparatum eſt. Velis, nolis ſcribendum aliquid eſt: Quod ego ſæpiſſimè, ut Græci ajunt, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ facio. Pulſandæ Parnasſi fores, etiam cum nullus Apollo domi eſt, & ad cujuslibet nutus: ut indignatio aliquando extundat, quod à propitiis impetrari Muſis nequit. Unde fieri ſæpenumero ſolet, ut, quæ cum turbine fluat, lutulenta vena fluat; nec iſte rerũ & verborum delectus, qualis à compoſitiore animo procedit, inſtituatur. Ac ejus quidem notæ eſſe, quæ illuſtri tuo Nomini inſcripſi Carmina, facile apparet. Horarii labores ſunt, non diurnâ nocturnâque manu elaborati, ſed extemporales ac ſubſecivi. Neque enim id Horis meis tribuam, quod MOMENTIS tuis Viri eruditi: quæ & ἔργα & ἡμέρας omnium, ac ipſos etiam annos vincant & ſecula. Illis non niſi à tuo nomine famam promittere auſim, quam ipſæ non merentur. Quæ ſi illis nec ſperantibus tuo obventura ſit auſpicio, non malè nos iſtas poſuiſſe horas exiſtimabimus. Vale, Vir Maxime, Deus Te Reipublicæ Literariique Orbis Commodo diu ſervet. Dabi Kiloni è Muſéo meo Kal. Octob. Anni clↄ Iↄc LXXI.

Illuſtris tui Nominis
Cultor obſervantiſſimus
D. G. M.

AD

AD

PHOEBUM.

MUſarum Pater ô, Paterque Vatum,
Horarum Pater, & Pater dierum,
PHOEBE, cui memini labore caſſo
Totos condere me canendo Soles:
Nunc iſtas (quid enim juvant Camœnæ?)
Extremum tibi dono munus, HORAS:
Sed quas de ſolido die reciſas
Prenſatus toties & impetitus,
Diſtentus toties & impeditus,
Invito genio, rudi Minervâ,
Adverſantibus omnium Poëta,
Qualeſcunque tamen, vel abnuenti,
Volentes tibi dedicamus HORAS.

Tu, bonas malè qui locabis horas
In HORIS, bone Lector, his legendis,
Queis nullum ingenium furorque nullus,
Benignus tamen arbiter, memento:
Non horis ſapere omnibus Poëtas:
Non horis furere omnibus Poëtas.

IN

Viri illuſtris,

CONSTANTINI HUGENII,

Equitis, Zulichemi, Zeelhemi &c. Toparchæ, Principi Auriaco à Conſiliis ſecretioribus

argutisſima Poëmata.

PRocul hinc profani natioque barbara!
Non hæc lutoſo fercla ponuntur gregi
Glandes vorare ſueto olusque putridum.
Hæ Gratiarum nobiles cupediæ.
Hoc non Jovis, ſed eſt cerebrum Apollinis.
Nil vidit ætas tale priſca, poſteri
Nihil videbunt, comparari quod queat.
Quot verba ſunt, tot hîc notantur pondera.
Quid ſentiat plebs ſtulta, quis curet bonus?
Sint hiſce, quot capita, usque tot ſententiæ,
Hîc quot pedes, tot penè ſunt ſententiæ.

DE

CONSTANTINI & CHRISTIANI, HUGENIORUM,

Parentis & Filii

Incomparabili Poëſi & Mathematicâ.

O quis te talem genuit Pater, ô quis, HUGENI!
Quam Te digna Tibi nata propago, PATER!
Par ſummum, ſerum ſemper memoranda per ævum
Nomina, nec numeris ſat celebranda meis,

Et quæ fama ſuis jam dudum conſecrat aſtris,
 Ac ultrà laudes invidiamque locat:
Quæ vobis paritas? rerum eſt ſuprema ſuarum
 Gloria, & ad numeros factus uterque ſuos.
Filius æthereis cum vivit in orbibus hoſpes,
 Definit gradibus ſidera; Tu pedibus.
Ille ſuis numeris Saturnia ſecla reducit: *
 Te numeris Phœbum reſtituiſſe juvat.
Ille Syracoſiam; Tu Bilbilicam excolis artem.
 Ille profunda capit; Tuque profunda ſonas.
Quas facit ille, facis, Phœbo ducente, figuras.
 Plurimus utrique eſt Angulus atque ſinus.
Quos notat ille, Tibi condit tua Muſa receſſus.
 Metiri ille poteſt; Tu mera puncta loqui.
Ne quis Anaxagoræ titulos mihi jactet: uterque
 Mens eſt Hugenius totus & ingenium.
Ingeniis fines cum ponant omnibus, illi
 Ingenio fines non poſuêre ſuo.
Scilicet Hugenios nulli quis comparet aptè,
 Ni Patri Natum comparet, hosque ſibi.

* *alluditur ad deſcriptionem Syſtematis Saturnini.*

IN

Illuſtris Viri

ROBERTI BOILII,

Machinam Pneumaticam mirabilem.

ERgo novis ſemper tua gloria creſcit ab auſis,
 Maxime Vir, genitis gloria ſumma tuæ?
Jam Natura tuis ſuccumbens artibus à ſe
 Exit & exerto ſtat pudibunda ſinu.

Con-

Continuum nobis eviſcerat aëra ſolers
Machina tam doctâ ducta reducta manu.
Jamque inſtillatum lentè ſiphone reflexo
Partibus extendit miſſe rapitque Jovem:
Ille, tuis cujus non artibus omnia plena,
Admitti rebus, Te prohibente, nequit.
Quo ſpiras, ſpirare vetas. Tua ſtrangulet arctum
Machina, ni manibus ſupplicet ille tuis.
Nunc eat æquoreæ menſor celebratus arenæ:
Particulas numerat BOILIUS aëreas.
Non penetrant craſſo tam rara ſub aëre fiati,
Plus ſapit ingeniis omnibus iſta manus.
Qui rerum vulgò cæcam ſcrutantur abyſſum,
Principiis fruſtrà ſe tenuêre ſuis.
Tradere Tu rerum quo ſemine ſemina ſurgant
Ac elementorum, BOILI, elementa potes.

In Ejusdem
Librum de temperatura Regionum Subterranearum, Submaritimarum & fundo maris, cum in linguam latinam converſum ederet,
GOTHOFREDUS SCHULTZIVS.

QUi mare, qui terras liber intus & in cute novit,
Eximium ignoti prodiit oris opus.
Jamque etiam nobis ſenſus patuêre latentes
Te ſocias operi, SCHULTZI, adhibente manus.
Nam ne cum toto diviſis orbe Britannis
Diviſus toto ſit ſimul orbe liber,
Tu facis, ac toto totum qui ſcripſerat orbem,
Dum Latio legitur, poſſit ut orbe legi.

Ad eundem
De eodem libro.

Aërei dudum Tibi, Vir celeberrime, tractus
Finibus immenſis quà patuêre patent.
Nunc imos penetrat terræque marisque receſſus
Gloria radices hîc habitura ſuas.
Nam quæ naturæ, quæ ſunt primordia rerum,
Nominis, ô BOILI, ſunt elementa tui,
Alta fuit, fuit ampla, modos impleret ut omnes,
Nunc etiam, BOILI, fama profunda Tibi eſt.

IN
Theodori Kerkringi,
Anatomen mirabilem.

HActenus artifici ſecuiſſe cadavera dextrâ
Phœbei fuerat gloria prima gregis.
Tu nova, KERKRINGI, Medicis miracula pandis,
Inſolitasque doces artis inire vias,
Quæ nullo ingenio nullâ ſuperabilis arte
Et fines aliis ponit, & ipſa ſibi.
Non perfecta ſat eſt tibi ſolvere corpora vinclis,
Penè hominum cauſas ac elementa ſecas.
Arcani patuêre ſinus uterique labores.
Corporis humani fabrica prima patet.
Per menſes tibi, perque dies diſtinctus & horas
Embryo texturæ dat documenta ſuæ.
In minimis quam magna notas! hîc ordine certo
Prima rudimentis didita membra ſuis.
Ipſaque ſeſe oculis ſpecies dubitantibus offert.
Ars tua, ne tenuis fallat imago, cavet.

Mo-

Momentis hîc cuncta ſuis ſurgentia jamjam
Viſcera, naturâ diſſimulante, vides.
Huic dudum meditata, patent. coit actus in oſſa
Sanguis & in tabulis ſiſtitur ille tuis.
Scilicet hæc vitæ te ſtamina texere credam,
Parcarum ſtudio præveniente colos.
Penè laboranti ſolers faber ipſe videris
Naturæ ſocias apposuiſſe manus.
Quæ cum immaturis vitam lucemque negârit
Fœtibus; hi vitam, Te reparante, ferunt.
Hos tua ſervavit manus obſtetricia fœtus.
Hique Tibi nomen nunc peperêre novum.
Deprenſam doluit ſeſe Natura ſub ipſis
Nubibus ingenio ſuccubuiſſe tuo.
Quisquis Apollineæ vidit miracula ſcenæ,
Hem quantum ingenii, quantum, ait, artis opus?
Quam levis eſt cultro res ſcindere corpora; penè
Punctorum hic partes ſpirituumque ſecat.
Perfecti quisquis ſecat artus corporis, is nil
Humanâ majus mente vel arte facit:
Qui divina notat teneri veſtigia fœtus,
Divinum ſeclo, credite, condit opus.

AD

V. Cl.

VITUM BERINGUM,

Cum Tincturam Martis, quam vocant, illi mitterem.

Qui fueras toto tingendus Apolline, Vates
Auree, nunc Martis ſanguine tinctus eris,
Sanguine, quem nondum veteres oblitus amores
Hauſerat arcanâ Mulciber arte potens,

Scilicet, ut nobis labuntur ferrea ſecla;
  Sic vis morborum ferrea membra premit.
Non Phœbea chelys, non hos Parnaſſia laurus
  Mitigat, aut Clariæ limpidus humor aquæ,
Arma dabit Mavors Vatum pellentia morbos,
  Pugnacique potens ſanguine victor erit.
Ille modo obſeſſi perrumpet clauſtra lienis
  Exſcindens triſtis ſemina cœca mali.
Innocuo penetrat ſine vulnere viſcera ferro
  In pia manſueſcens pharmaca ſponte Deus.
Inde valetudo, BERINGE, athletica ſurget,
  Pancraticèque tuo Marte valere potes,
Et modò qui medicum didicit conſumere ferrum,
  Hinc ſtomachus, credo, mox cataphractus erit.
Sic tibi ridebit Phœbus facilesque ſorores
  Et tibi Marte tuo conciliata Venus.

AD

JOANNEM PETRUM TITIUM,

Cum noctes ſuas poëticas mihi mitteret.

A TITIO noctes? gratum mihi munus amici eſt;
  Sed frons diſplicuit triſtior ille libri.
Improbat ipſe (mihi quod in aurem dixit) Apollo,
  Et titulum docto vellet abeſſe libro.
Scilicet infames tenebroſo nomine chartas
  Is ferat, ipſa quibus non magè clara dies,
Quas ipſis Phœbum radiis pinxiſſe putares,
  E quibus ingenii tot micuêre faces,

Queis adeò nil noctis ineſt, nil frigoris, umbræ:
Nam qui mentem, agitat carmina docta calor.
Nocte ſati lemures Ditiſque inamabile vulgus.
Nîl his cum Phœbo Pieriſinque rei eſt.
An veluti nebulâ Venus olim, amicitur opacâ;
Sic Veneres ſperas poſſe latere tuas?
Nîl agis. ipſe pates. ſplendent tua carmina, fruſtrà
Luminibus titulo hoc officiente tuis.
Tu tamen obſcuro mirè tibi nomine plaudis,
Præque tuâ tenebras luce modeſtus amas.
Quin tibi donamus, ſi nolis cedere, nomen,
Et placeat nobis, quod tibi lemma placet.
Nulla dies memori tibi noctes eximat ævo,
Nec neget uſuram lucis Apollo ſuæ.
Hæ vidui tibi erunt noctes ſolatia lecti,
Quas Muſas, poſtquam rapta marita, rogas.
Tu modò perge tuas in lucem mittere noctes,
Hoc Vatum chorus, hoc te mea Muſa rogat.
Noctibus illa lubens hoſpes pernoctat in iſtis
Feſtivos etiam poſthabitura dies.
Nocturnâ verſare manu verſare diurnâ
Geſtiet, & lectis accinet iſta tuis:
Si tibi tam claro ſplendeſcunt lumine Noctes,
Quos ego non ſperem (ſpes mihi magna) dies?

Hecatombe Phaleucorum ad Aram,

Quam Magnifico ſumtu in templo Eutynenſi exſtrui curaverat

Magnif. & Excell. Vir

CHRISTIANUS CASSIUS.

CASSI ſplendide, magne, docte CASSI,
Cui nomen Pietas, & ipſa Virtus,
Et Phœbus dedit, & novem ſorores,
Aureosque Charis benigna mores;
Conſilîque animam reconditæque
Mentis robur & indolem Minerva;
Quem natum placidis tuens ocellis
Auguſtis Themis impedivit ulnis,
Et majoribus educavit auſis:
CASSI ſplendide, magne, docte CASSI,
AUGUSVI pia cura FRIDERICI,
Magne PRINCIPIS INCLUTI Senator.
Qui fultus monitis tuis ſuorum
Audit gloria ſpesque magna Cimbrûm:
CASSI ſplendide, magne, docte CASSI,
Tui præſidium, decus Morhofi,
Quo noſtris ſuus arbitro Camœnis
Eſt honos, ſua laurus, Hippocrene,
Et præſens decus implet omne Phœbus,
Et totum cupidus laceſſo, Pindum:
Quæ te Carmina, quæ ferent Camœnæ,
CASSI ſplendide, magne, docte CASSI?
Quæ dignè ſatis evehet facultas?
Dum novas ſacer architectus aras,
Ductus religione non profanâ,
Et condis reverenter, & ſupremo
Immortale dicas opus JEHOVÆ,
Quod ſacris micat aſperum figuris,
Et multo violatur undique auro,
Magnum Dædaleæ quod inſtar artis,
Et quod Phidiacum toreuma, quodque
Priſcorum ſuperare penicillos,
Et tot artificum queat labores.

Quam totum Tibi Muſa noſtra montem
Velit pandere, & has decenter aras
Feſtivâ cupida implicare lauru!
Luſtrales quibus ipſa ſpargat undas
Cyrrha, queis gemini ſuos honores
Submittant placidè tremantque Colles,
Sed fugit Pater & ſilent ſorores,
Et magnum veritæ hoſpitem, potentem
Sedis ſcilicet hujus inquilinum
Imbelles, pavidæ, vagæ recedunt.
Nec cortina ſuos tripusque Phœbi
Mugitus benè miſceat Tonanti.
Cassi ſplendide, magne, docte Cassi,
Nil hîc Pyramidum æſtimabo moles,
Regum barbara buſta barbarorum,
Inſanæ ſtolida artis illa monſtra,
Ac infamia famæ ineptientis
Inſtrumenta: nihil moror Coloſſos,
Nil arces, ſtatuas, nigroque veſca
Dente quæ monumenta carpit ætas:
Nam Tu ſplendide, magne, docte *Cassi*,
Sanctioribus excitatus auſis,
Non vanos agitaris in labores,
Non idola tuo paras honori,
Non opes malè luxui miniſtras;
Sed pectus ſatur & Deo refertus,
Et vivo pietatis igne paſtus,
Æternos meditaris hos labores,
Æterno modo Numini dicandos.
Quæ dum Tu monumenta ponis, ipſe
Jam tuæ monumenta viva famæ,
Et nullis peritura ſigna ſeclis,

Erigis Tibi non volens, & ipſe,
Sincerâ pietate motus, iſtâ
Elapſos Deus usque reddet annos,
Ut quos non petis ipſe, deſtinati
Jam cœlo Tibi teſte ſint honores,
Ut Virtus PIETASque CASSIANA
Indignata ſuo tegi ſepulcro
In iſtis habitet ſuperſtes aris,
In iſtis ſibi conſecretur aris.
Ergo cum memores ſonant Cathedræ,
Et pius recitat preces ſacerdos,
Ac omnis ſua vota miſcet ordo,
Tu miſceberis omnium ſuſurris,
Qui Tibi ſolidam vovent ſalutem,
Vero & nomine CHRISTIANUS illis
CHRISTIANISSIMUS eſſe Tu mereris.
Et cum ſis Themidos ſimul ſacerdos,
Et civilia ſic geras, ut idem
Et cures ſacer ipſe ſacra, dignè
Pro Focis vigil excubas & Aris.
Illic civica quercus; hic perennis
Vertici dabitur tuo Corona,
Aris qui DOMINUM tuis coronas,
Aut tuis, BONE, reſtitutus aſtris
Auſtrales radiabis inter Aras.
At quæ Te mea Muſa nunc ſalutat,
Et tuas pudibunda tangit aras,
CASSI ſplendide, magne, docte CASSI,
In genu pia procidit Deumque
Pro tuâ precibus ſalute fuſis
Ad ipſas validè fatigat aras,
Hos centum quibus immolat Phaleucos,

Et

Et totum Tibi jure mancipatum
(Ad aras ego juro CASSIANAS !)
Totum dat Tibi Victimam poëtam.

Ad
ERICUM TILEMANNUM BECKER,
Advocatum, poſt Inauguralem de Beneficio in quantum facere quis poteſt diſputationem *Summis in Juriſprudentiâ honoribus ornatum.*

I.

DUm defendis, ERICE, debitores
In quantum facere hi queunt daturos,
Hi debent animam Tibi Patrono;
Tuque illis Titulos, ERICE, debes,
Et quod juris habes in arte nomen,
Qui tui es modò pileate juris.
Sed & verſiculos ego petitos
Tricator Tibi debeo Poëta,
Quos ægrè tamen improbèque cunctis
Exſculptos loculis, ERICE, ſolvo.
Nam quid nunc facias inani, egeno?
Ne nihil tamen impetres, neceſſum eſt
Hos paucos capias rudeſque verſus.
Fas eſt jure tuo frui Poëtam,
In quantum facere is poteſt daturum.

II.

MItra caput: digitos aurum Tibi, ERICE, coronat,
Innocuusque manus tingit & ora rubor.

Ac

Ac velut apparent miniato vertice Leges;
   Sic Tu *purpureâ* Lex modò viva mitrâ.
Jamque triumfalis THEMIDOS Tibi ſignat honores,
   Hanc quamvis ornet nullus, ERICE, color.
Illa ſeverarum *reſerare* volumina legum
   Durior, ac eadem *claudere* blanda jubet.
Illa faces præfert. tuus hic Tibi luceat ignis.
   Si fumos alii vendere forte velint.
Sic lucubratus penſat Tibi ſplendida noctes,
   Splendidior faculis ſed modò facta, dies.
Denique Te cupidis ſponſum *complectitur* ulnis;
   Sed tamen & famulam non malè jungit ERIN.
Aſt Hera DOCTORI nubit THEMIS; hæcque PATRONO,
   Nec ditem ſpernat pellicem ERICUS ERIN.

IN

Lauream Philoſophicam

LEONHARTI PEGMANNI

Paſtoris Sunderburgenſis.

DUm, PEGMANNE, manu meâ revinctum
Floret purpureâ tibi tiarâ
Regalique caput colore ſplendet,
Dic ſodes bone, dic, Amice, nobis:
An unâ benè ſede commorantur
Triſtis infula & Aonis tiara?
Hæc ſpiſſâ ſaturata luce; qualis
Magnorum facies micat Deorum,
Fulgurat radiis per ora ſparſis,
Cognatoque flagrantis igne raptos
In tortum digiti reflectit aurum:
Illam religioſus ornat horror

Fu-

Funeſto tetricam colore tinctam.
Quæ feralis imaginem ſepulcri
Dediſcentibus ingerat Magiſtris,
Et piis animos opacet umbris,
En quam disſidet infulæ tiara!
Aſt ego benè convenire utramque,
Ac unâ benè ſede commorari
Et ſcio, Leonharte, & ipſe credis.
Nam quantùm tumidâ ſuperba luce
Se jactantius efferet tiara;
Tantùm ſanctior infula ſimultas
Injectis moderabitur tenebris,
Ut ſit & Sophies colore myſtes,
Sophusque Euſebies colore tinctus.
Nec pugnet tibi cum rubore nigror.
Qui licet caput occupent colores,
Et miſti benè ſuaviterque juncti;
Nulli ſunt animo tamen colores,
Quem ſimplex notat imbuitque Candor.

AD

JOELEM LANGELOTTUM,

Archiatrum Principalem Celeberrimum,

Cum illi mitterem tractatum Chemicum de Igne ſecreto Philoſophorum.

Dum novum fugiens gelu reducit,
Armaturque novis hiems procellis,
Ignes mitto tibi, ſed haud profanos,
Suppoſtos cineri tamen doloſo:
Quos aſtris novus ætheriique raptos
Terris ſcilicet intulit Prometheus;

Quos

Quos fidelibus in focis repoſtos
Virgo relligioſa ſervet ignes.
Sed mitto tamen hos, modò ut ſeverum
Vulcani ſubeant tibi tribunal:
Cujus judicio ſtatim patebit:
Cenſeri fatuos an inter ignes;
An veri mereantur hi vocari.
Si ſuo liber ille fallit igne,
Vulcanum ſaturet Tibi, ſuiſque
Prædam porrige victimamque flammis.
Autori quoque Mulciber, doloſo,
Qui plures aliàs fefellit, igne
Interdicat & omnibus caminis.
Nam certè vereor, quod & verentur
Sacra qui propius tuentur iſta.
Ne qui vendit avarus autor ignes,
Vendat, optime Langelotte, fumos.

IN

M. ADAMI LAURENTII NICOLAI

Schediaſma philologicum
de Aratione.

QUi doctas toties arare chartas
NICOLAE, ſoles bonamque ſparſis
Ditas ſeminibus ſubinde mentem,
Nunc doctum ſchediaſma prodis, ipſam
Priſcorum memorans arationem,
Nunc Tu Pieriſin mihique doctus
Ruſticator eris homoque frugi,
Cui pulcras ager usque & usque, avenas

Neſciens ſteriles rudesque lappas,
Educet ſegetes novosque fœtus.
Tu, ceu vota ſuos juvant colonos,
Ac omnes alit iſta ſpes arantes,
E quâ modo aratione meſſes
Et des atque feras opimiores.
Ad famam hæ facient & ad farinam.

AD

JOH. HENRICUM HORBIUM

De origine hæreſium commentantem.

HActenus Aoniis immerſus fontibus, Horbi,
Expleſti doctam non ſine laude ſitim.
Hactenus æternæ divina fluenta Sionis
Combibis æthereis pectora tinctus aquis:
Jam Camarina tibi fluit ac immunda Mephitis,
Ac ipſum nobis, Horbi, Acheronta moves.
Nec leve conciliant ingloria nomina nomen,
Et pulcrum pariunt crimina tetra decus.
Qui ſtygiis ſolem tenebris rapuêre, ſacrisque
Sacrilegas tabulis appoſuêre manus.
Qui fumos ipſi flammarum pabula vendunt,
Inviti lucem dant Tibi, Amice, novam.
Scilicet haud iſto bonitas ſplendore refulget;
Surgat ab adversâ ni ſibi parte decus.
Nam cœlo virtus tua teſte triumfat & Orco,
Teque vel impietas judicet ipſa pium.

AD

HENRICUM MICHAELIS

JCtum,

Cum Magiſtratum Academicum die Aprilis 7. qui in Faſtis Romanis Apollinis naturalis eſt, adiret.

PHœbe Pater, toto toties qui naſceris anno,
 Phœbe, die toties qui fugiente, cadis,
Exorere & noſtris illabere pulcrior umbris,
 Natalique vaca, quem facis ipſe, tuo.
Quem tibi feſtivâ celebrarunt voce Quirites,
 Hunc Cimbri ſacrum juſſimus eſſe diem.
Heic ubi præluſtres ſeptentrio condit Athenas,
 Ac Helicon gemino provocat aſtra jugo.
Huc ades atque novo Muſarum in Præſide nobis
 Æſtivos placidè da Pater ire dies.
At Tu Phœbeis cui nunc natalibus omen
 Surgit; propitio munere ſceptra geras.
Auſpiciis tibi creſcet honos felicibus, illo
 Qui Duce & Aſtræâ judice jura dabis.
Sic Tibi ſic nobis Phœbi naſcentis origo
 Conferat æternos non peritura dies!

AD

PAULLUM SPERLINGIUM, D.

Theol. Prof.

Cùm ſceptra Academica illi traderem.

ERgo valete meis incommoda regna Camœnis,
 Regna Poëtarum non ſatis apta gregi,
Cui ſua damnatæ properant ad vincula Muſæ,
 Quæ pedibus Vates ſuppoſuêre ſuis.

Jam-

Jamque mihi poſthàc Rex Stoicus impero ſoli,
Impiger & Domino ſervio verna mihi.
Nec deſunt jam regna mihi, diademata, faſces,
Muséo dominor, crede, Monarcha meo.
Heic ego quadrifidum claudi mihi pariete mundum
Fingo, ſuâ pluteos & regione noto.
Heic mihi tot parent per pulverulenta Quirites
Pulpita, & è populis tot mihi lecta cohors.
Ergo vale variis extracta laboribus Æſtas;
Tuque mihi ſalve, dulce levamen, Hiems!
Non tibi nunc rigidos ego durior exprobro ſoles.
Deliciæ mihi ſunt frigora, turbo, nives.
Vosque mihi doctæ ſenſim ſuccreſcite noctes,
O quam grata mihi tempora pandet Hiems!

Ergò vale, ac humeros SPERLINGI ornare ſeniles
Incipe nunc humeris PURPURA lapſa meis.
Quam bellè hæc niveis affulget purpura canis!
Intonſus lauru quos vel Apollo tegat,
Purpura quæ ſacros Regum teſtatur honores,
Cognato Phœbum quæque colore decet.
Purpureâ nunc ecce triumfat epomide candor,
Illeque ne rubeat ſanguinolenta, vetat.
Aurea ſic humeri, caput hinc argentea ſpondet
Secula. Virtutis duret uterque color.

Hinc noſtrâ cape SCEPTRA manu. Rex eſſe juberis,
Quin ſupra Reges hæc tua regna puta.
Traditur in geminis geminata potentia Sceptris,
Cum ſimplex Reges formet & ornet honos.
Ite ergò! longè vos dignior occupet heres.
Nil mihi cum Sceptris; nunc ego plectra paro.

Trado LIBRUM, memori commiſſaq; nomina chartæ,
Tradita perque manus ſecula ſera ferant.
Heic Phœbéa ſuos numerat Reſpublica cives,
Quos ultrà numeros vota benigna velint.
Candida multa notat ſi pectora candida charta:
Non paucos ſignat litera nigra nigros.

Ne ſua Muſarum deſint INSIGNIA Regi,
En tibi quæ nobis Cimber Apollo dedit!
Virginibus ſignum Divis pulcerrima rerum
Virgo dat egregio nunc ſocianda Seni.
Illa tuis Virgo Pax aurea ſiſtitur ulnis,
SPERLINGI, amplexus non fugitura tuos.
Ite procul rixæ, & lacerâ diſcordia pallâ.
Obſignat firmâ Pax ſacra noſtra manu.
Ergo qui ſanctam per publica crimina Pacem
Fregerit, ejiciat Pacis imago reum.

Denique clavigerum Pindo ut te ſymbola Janum
Præficiant, CLAVES en tibi habeto tuas!
His Helicona tuum reſera, delubraque Phœbi
Pande, ſed indignis hæc quoque claude domos.
Virtutum monſtres aditus & limina honorum,
Carceris & rigidas claude reclude fores.
Sic geminæ pœnas æquant & præmia claves.
Clavibus his, clavum qui tenet omnis, eget.

Aſt ego qui tantos emancipo lætus honores,
Rectori totum me quoque trade tibi.
Nunc parere tibi, tua juſſa capeſſere fas eſt,
Et civis bonus hinc atque Senator ero.
En tibi quam famulæ ſtipent latus undique Muſæ,
Fauſtaq; Parnaſſi jubila ſpargat apex!

De-

Deſcendunt de Monte Deæ, Regemque ſalutant,
Præque capillato canus Apollo places.
Sis felix, venerande Senex. Tibi vota volentes
Fundimus, & Procerum te pius ordo canit.
Audiet has (teſtor divini Numinis aras!)
Audiet has æther ſuſcipietque preces.
Fallor, an & juvenum chorus annuat ipſe ſonantum:
SPERLINGI SALVE TUQVE MORHOFE
VALE!

AD
HENRICUM SCHRADERUM,
Cum â Parente ipſo honores Philoſophici illi conferrentur.

SCHRADERE, Aonidum ſpes ô præclara ſororum,
O magni proles digna decusque Patris!
Cujus in exemplo teneris tibi ſemper ab annis
Virtutum radiis luxit imago ſuis.
Quo primum cultore bonæ tibi ſemina mentis
In ſegetes ſurgunt luxuriantque novas.
Jam ſegetes læto jam meſſes redde colono,
Et metat ipſe ſuos doctus arator agros.
Redde age fœcundas, titulorum præmia, meſſes:
Sed quæ munificâ dat prior ipſe manu.
Quos dedit hic titulos, Patri cum fœnore reddes,
Quosque tuos voluit, poſſidet ille ſuos.
Quam bene nunc patriâ tibi ponitur infula dextrâ,
Ut patris auſpiciis iſte patriſſet honor!
Quam bene Te Patriâ Genitor ſpectante coronat,
In pretium tituli quæ cupit ire tui.

Ornat ut illa Patrem, Pater illam; Tu modo Patrem
Et Patriam ornabis digna propago tuam.
In cathedris *aſcendit* amor ſociataque Muſis
Amplexus Pietas ingeret ipſa ſuos.
Hîc *liber* eſt *aurumque* & cetera ſigna *faceſque*
Queis radiat, tradit jam Pater ipſe ſuas.
Hic dum præco tuos recitat non vanus honores,
Nominis heredem nominat ipſe ſui.
Qui genuit natum, Sophiâ de matre renatum
In Cathedrâ ſiſtit Bis-genitumque ſuâ.
Qui genuit natum Pater, hunc creat ipſe Magi-ſtrum,
Ac animi ſignat non pereuntis opes:
Quod genuit, mortale, leve eſt & debile Corpus,
Immortale quod eſt perpetuumque, creat.

AD
ADAMUM HENRICUM
Möllenhof/

Cum honoribus philoſophicis primus inter reliquos competitores in Academiâ Salanâ ornaretur.

NOn horridai grande ſyrma barbai
Non hirta frontis & ſupercilî nubes,
Pugnas minanti qualis intumet tauro;
Non ora ſemilota, crinis impexus,
Vultusque pallens, pumicoſus, exeſus,
Quem tu priori debitum putes ſeclo,
Et vix cohærens oſſibus ſuis corpus,
Lutoſum, inane, turpe, ſqualidum corpus,
Recens Promethei quale finxit argilla,
Digitusque tortus, ungulæque demorſæ,

Plu-

Pluteique dextrâ fulminante quaſſati,
Non quæ eruditas jactitat feneſtrata
Sordes abolla, tertiata non verba,
Raucumque guttur atque rancidæ voces,
Decora tuſſis, oſcitatio docta;
Non illa demum grande nomen abſolvunt,
Decusque, quo ſapientis eminet ſtultum
Mens alta vulgus. Sed nec iſta quæ doctos,
O MOLLENHOFI, purpura inficit crines,
Non qui manus incendit annulus, non qui
Præfertur ignis omne complet hîc punctum.
Animus ſibi ipſi reſtitutus & cœlo,
Ad alta tendens, ne tamen ſit elatus,
Per ima ductus, ne tamen ſit immerſus,
In ſe recedens, cognitus ſibi ſoli,
Habitansque ſecum, nec domi peregrinans,
Sic orbis hoſpes, ut ſibi magis vivat,
Simplex & unus; partibus nec addictus,
Unâque cuncta veritate complexus,
Quam nulla fraus dolusq; nullus incruſtat,
Quæ tinnulorum ineptiis locutorum
Non obſidetur, pura, caſta, divina.
Animus ſerenis ſemper ignibus paſtus,
Per aſtra ductus & profunda Naturæ,
Quà pandit illa, quà ſinus ſuos condit,
Scientiarum emenſus omnium Euripos,
Cauſis nihil cauſatus in ſuis, nunquam
Supervacua vacuo in ſuo trahens penſa,
Non in loco per devia actus, æterna
Sectans & infinita temporum in ſphærâ.
Hæc ſunt beatæ ſigna mentis, hæc laurus
Titulos, tiaras, hæc merentur applauſus:

Hæc, MOLLENHOFI, pectus arduum formant,
Sapientiæque nomen atque doctrinæ
Tibi largiuntur, hiſce ductus auguſtos
Sophies triumfos mente præcipis pulcrâ.
Fovêre noſtræ te ſinu ſuo Muſæ,
Vidêre magnos ſubdidêre conatus,
Ramos paratæ nexuiſſe felices.
At nunc Salana germinat tibi laurus,
Et æqua dotes reſpicit tuas JENA,
Felix honorum & artium parens JENA,
Sacrâque crines impedit tibi fronde
Primas merenti diligentiæ partes.
Nunc quando noſtras ferre non potes laurus,
Tu Cimbriacarum ferre vota Muſarum
Domeſticique teſſeram potes teſtis
Benè ominantis, idque ſeriò optantis;
Ut qui ſtetiſti honore primus in primo,
Quando ſecundo tertiosque ſectaris,
Nunquam in ſecundis tertiisque ſubſiſtas.

IN

LAUR. FRISI,

Diſputationem Inauguralem de Angelis.

APplaudit Sophie, dum tu, cultisſime FRISI,
Ingenios linguam pandis & ingenium.
Tot mentes mens una capit, tot lingua profatur,
Quas centum dignè vix tamen ora ſonent.
Hi ſternent tibi honoris iter, ſuper æthera ducent,
Teque Deo cupient jungere, ſeque Tibi.

IN
Honores Philoſophicos
JOHANNIS VOLKMARI ROTSCHERI,
Paſtor. Schleſvvic.

NAm quid tuis honoribus, tuæ ſcribam,
Rotschere, laudi, quem meam ſupra laudem
Et dignitas & ipſa collocat virtus?
Quid ergò ſcribam, quod tot ora doctorum,
Nolint fateri, quod nec ipſe decernat
Suffragiisque comprobet ſuis Pindus?
Mereris iſtos & mereberis porro,
Rotschere, famæ blandientis applauſus.
Quid ergo ſcribam? teſtis illa vox vulgi eſt.
Nec inter iſtas unus audior voces:
Nec verba proſunt, res ubi ipſa teſtatur.
Quid ergo laudem? nil, Amice, nil claudus
Hic aſſequetur impari gradu jambus;
Nec acta nobis ſunt agenda, Rotschere,
Quid ergò ſcribam? ſcribat ordo doctorum.
Felicitatum quicquid & brabeorum,
Quicquid bonorum eſt usque quaque verborum,
Rotschere, Vota mille ſcribe. Subſcribam.

AD
JOANNEM UPPENDORFIUM
De ſigno Crucis diſputantem.

QUot pingimus, quot fingimus nobis cruces,
Atras & albas, luteas & cærulas,
Non ſanguine, aſt oſtro rubentes regio,
Planas, triformes, turbinatas, pendulas,

Avita paſſim queis tument inſignia,
Inter ferarum cernuas imagines,
Rictus Leonum & explicatas ungulas,
Urſos, Dracones, tigrides, gryphes, boves!
Quid hæc ſuperbi vana ſigna ſeculi
Jactamus? ipſi quando nobis mutuas
Injurioſi figimus ſemper cruces,
Et hæc meremur, quæ fuêre gentibus
Infamiæ non ſanctitatis ſymbola.
Quis non in auro Luſitanico ſacras
Spectare malit aut adoret nunc cruces
Figendus illis? nemo cum figat ſibi
Vel ferre nunc dignetur has, ut improbo
Pius triumfet furcifer de ſeculo.
Tu Chriſtiana pandis hæc inſignia,
Nec diſputas tantum, ſed & figis cruces,
Crucique fixum pectori figis tuo;
Crucisque candidatus iſto ſplendidam
Signo parabis impiger victoriam,
Perennis olim cum tropea gloriæ
Ingloriæ ſuffulcient tibi cruces,
Queis Theta Dæmon ipſe non figat nigrum,
Nunc quando ſacras Orcus ad pugnas vocat.
Hoc tolle ſignum, teque ſiſte militem,
Nam, ſi quid auguror, hocce ſigno ſtrenuus
Mox anteſignanus Piis vocaberis.

IN
Panegyrin Menippeam
JOACHIMI RACHELII.

LEgimus arguti riſus, Vir docte, Menippi,
Et, fateor, riſus hi meruêre meos.

Et

Et juvit legiſſe, nec hos memorare pigebit,
Quos mirâ ſpargis fertilitate jocos.
Nam quæ non ornant doctam tibi nomina ſcenam!
Quò non ingenii panditur ala tui?
Jam ludos ipſam facis aleam & ipſa flagellas
Flagra, tuoque coquus ſpargitur ipſe ſale.
Ipſe tibi calamo tonſor tondetur acuto,
Sartoremque tibi non ſua pungit acus.
Jam tibi de corio ſutoris luditur, & jam
Muſarum diſcis, calcee, ferre pedes.
Vapulat & baculus tibi, cuiter hebeſceret ipſe,
Redderet huic aciem nî tua penna novam.
Jam laſciva ſtyli meretrix fert ſtigmata veſtri;
Saltator pedibus ſubſilit ipſe tuis.
Jam cretam carbone notas, loligine tinctus
Scriba tulit calami vulnera cæca tui.
Quin fures etiam naſo ſuſpendis adunco,
Quos cruce ſuſpendi jura ſevera velint.
Non invitam ornat tibi ſus lutulenta Minervam.
Ac unum faciunt Muſca elephasque pedem.
Jam quoque mordaci vinum perfundis aceto,
Abluit & matulam Caſtalis unda tuam.
Singula quis memoret? multi celebrantur ab uno;
Materiem laudis res tibi quæque dabit.
Omnia Te Vatem faciunt elementa, tibique
Inſtrumenta ſacri certa furoris alunt,
Scilicet hoc chaos eſt, genio ſubigente Poëta
Omnia Phœbeus temperat iſta liquor.
Æthereus non ignis abeſt, hoc ſemine ſurgit,
Quem facis hîc orbem, docte Poëta, tuum.
Omne tuum Naturæ opus eſt ac artis. utrumque
Naturâ Vatem te bonum & arte probat.

Hinc numeroſa novæ ſurgent tibi ſemina famæ,
  Fabricat hæc laudes; parturit illa tibi.

In Eundem.

SAxa, boves, aſini, perdices, allia, cepæ,
  Oſtrea, vina, nuces, porculus, ova, roſæ.
Pileus, arbor, anas, teſtudo, ciconia, cimex,
  Clavis, avis, navis, menſa, crumena, liber.
Sus, coquus, olla, veru, caſtrator, pellio, curſor,
  Belga, lepus, Gallus, creta, metalla, canes.
Falco, caper, ſartor, fur, textor, amygdala, glires,
  Et quæ ſunt numeris non ſatis apta meis,
Omnia docte tuo memorantur Carmine Vates,
  Et tot habes artis nunc documenta tuæ.
Qui te non alium nunc crederet Orphea? cujus
  Ad doctam properent omnia ſponte lyram.

AD ARNOLDUM Mecklenburg/ J. U. D. & Sponſum.

DUm ſtantem in Cathedrâ Themidi te ſiſtis Achillem;
  Hinc Martem ad thalamos te Cytherea vocat.
Oſcula utrinque ſonant: fauſto vibrat alite tædas
  Hinc Themis alma ſuas; hinc Venus alma ſuas.
Mutua ſunt thalami & cathedræ commercia: namque eſt
  Fomes honoris amor; fomes amoris honor.

IN

APOLLONII PERGÆI LIBROS *de Conicis Sectionibus.*

à

CHRISTIANO RAVIO

Ex Arabicâ in linguam latinam converſos.

AUreos tibi Lector en libellos
Quos RAVI labor improbus ſupina
Servatos malè Græciæ libellos
Inter pulpita rara barbarorum
Barbarâ facie ſibi repertos
Ad nos hinc Orientis è ſepulcris
Latino profugos reducit orbi.
Sunt libris ſua nempè fata, doctus
Dum doctum hic rapitur liber per orbem
Amplexus perit inter eruditos
Magnâ parte ſui. Sed inde totum
Quem ſervârat Arabs ſuâ renatum
Renaſci Latiâ facit loquelâ,
Tertiamque dedit novamque vitam
Tertius Genitor. Quod ergo, RAVI,
Quod tanto modò præmium labori
Dignum Poſteritas benigna reddet?
Pro conis tibi, Vir amice, ſectis
Struet Pyramides per aſtra ductas,
Et conos ſtatuet, ſed irreſectos.
At nos quæ docet hic tuus libellus
Ad mentes ſimul applicemus! ô quos!

O quos non animo hic & ille conos,
Quas non pyramides ſtruit! ſed ingens
Preſſo hinc vertice & hinc baſi reductâ
Transverſos ſecat, erudite RAVI,
Hos ELLIPSIS HYPERBOLEque conos.

IN
ENOCHI SVANTENII
Diſputationem
de
Nomine JEHOVA

QUi nomen memoras ſacrum Jehovæ,
Supra nomina cuncta glorioſum,
Nomen gentibus omnibus tremendum,
Suanteni, Aonidum decus ſororum,
O nomen mihi non inane: multis
Cum te nominibus mihi probâris,
Hoc uno bonus omne nomen imples,
Quo te nomine prædico beatum,
Et magnum tibi nomen ominabor.

AD
JOHANNEM BACMEISTERUM,
PRÆSIDE
D. KORTHOLTIO
de
Funere Eccleſiæ Romanæ in CLEMENTE IX diſputaturum.

EXEQVIAS (OLLA ECFERTUR!) SI QUI IBI-(TIS,ITE,
Omnes ridiculi ridiculèque pii.
Nam

Nam parat has Romæ noſter KORTHOLTIUS, & tu
  BACMEISTERE, novis adderis exequiis,
Qui dum CLEMENTEM rapit inclementia Mortis,
  Romanum iſta doces fata manere gregem.
Quid ſi Roma neget? ſi per miracla renaſci,
  Quæ toties nata eſt, ſe modò poſſe putet?
Sed neget illa.ſacros jugulant ſua tela Quirites,
  Et capite excuſſo Roma cadaver erit.
Huic vos non triſtes argutula juſta dediſſe
  Vidimus & plauſus hæc habuiſſe ſuos.
Vidimus ad tumulum magnæ fleviſſe Novercæ,
  Et comites lacrymis ſuavibus iſſe ſales.
Iſta jocabunda eſt pietas; ſubridet ocellis
  Flentibus ad lepidos præfica læta rogos.
Scilicet ut veri ridendo ſæpe vocamur:
  Quid vos ridendo nunc vetat eſſe pios?

IN

SEBASTIANI WIRDIGII,

Med. D. & Prof.

Novam Spirituum Medicinam Illuſtri Societati Regiæ apud Anglos inſcriptam.

NOn liberos quæ duxit olim ſpiritus
Doctrina rerum & ars modendi lubrica
Inter tot atræ ſtulta bilis ſomnia,
Tot qualitatum diſputatas nænias,
Scholaſticas febres & heu! meros logos,
Logos logorum, quotque naſcuntur logis
Logos ab illis redditos ſuis logis,
Tot tinnula heu! opinionum cymbala,

Tot

Tot regularum dogmatumque tot fabros,
Tot verbi fuminubi nugivendulos,
Vaporum alumnos & tot humorum coquos,
Actos in orbem tot rotis Ixiones,
Interque tot voluta ſaxa Siſyphis.
Illa, illa, cui præcluſus olim vinculis
Per colla jactis penè ſpiritus fuit,
Novos reſumit arbitro te, ſpiritus,
Qui transmarinos æmulatus Hercules,
Rerum parentis excitatos vindices,
Propinquiores corporum cauſas notas,
Docesque docto, docte WIRDIGI, libro:
Qua plurimus ſe Spiritus rotet viâ,
Magnus cerebri, magnus hoſpes ſanguinis,
Artusque ſegnes nervulosque vellicet;
Doces, ut ille ſæpe cognatis potens
Armetur aſtris atque miſtus ætheri
Radio curuli ſiderum vectas bibat
Mergatque vires corporum in receſſibus.
Quæ pingat ille mentibus phantasmata:
Ut ſtringat arcto corda amoris faſcino
Verus cupido, vera figens vulnera,
Affectuumque promicondus omnium,
Morumque temperator atque ſenſuum:
Fœcundus ut ſit ille morborum parens,
Cum perduelles hinc & illinc mutuis
Senſim Quirites provocantur præliis,
Venæque lentis uſtulantur ignibus:
Quo putris adflet ſpiritus contagio
Viciniores, queis feratur motibus
In res remotas, quasque mirus exerat
Vertumnus artes imputatas ſæpius

In-

Infamibus Ditis maligni fraudibus.
Hæc eruditis diſſeris tu paginis,
Qui quicquid errorum eſt, vaporum, nubium
Diffles vel uno diſſipesque ſpiritu.
Conſpirat ecce! tot tibi ſuffragiis
Natura rerum, cujus auguſtisſimus
Cœptis Senatus, ut puto, plaudet tuis,
Qui glorioſum Regis auſpiciis ſui
Sophies tribunal inter Anglos erigit.
Nî fallor Ipſa nunc Tibi ſe mancipat
Hygeia totam ſtatque legibus tuis.
Cui Spiritus dum reddis, ac iſtos ſibi,
Omnem ipſe vectigalem habebis ſpiritum,
Iſtique jungent ſpiritus ſeſe tuis,
Ut integros haurire ſemper, vividos,
Agiles, perennes, neç remiſſus viribus
Tot inter exſpirare ſpiritus queas.

AD

JOHANNEM BAUDE-WINUM

De

Impoſitione Manuum

pro conſequendis ſummis in Philoſophia honoribus diſputantem.

HActenus Aonidum Miles non degener arma
Tractaſti doctâ, ſuavis Amice, manu.

Vidimus ore, manu cuncta ad certamina promtum
Sæpe aliis placidas conſeruiſſe manus.
Seu pugno pugnas Logico palmâve diſertâ;
Te victas vidit porgere nemo manus.
Nunc quoque ad *impoſitas* venerandis legibus olim
Te pia bella vocant non ſine laude *manus*.
Injicis ergo manus manibus: Tibi nam quoque longas
Hîc credo, veluti Regibus, eſſe manus.
Ceu digitos unguesque tuos hæc omnia noſti,
Ac plenâ cumulas conſolidasque manu.
Scilicet illotis manibus ne pilea tangas,
Auſpicium *impoſitæ* rite dedêre *manus*.
Dumque manumittit SOPHIE Te Mater alumnum,
Impoſitas diſcis ſic quoque ferre manus.
Macte animi BAUDWINE! manu te laudat utraque
Quilibet & digitis monſtrat, & ore probat.
Plurimus en! Pollex premitur Tibi. Plauditur. At Tu
De manibus doctam denique tolle manum.
Sufficit. Impoſitâ meruiſti pilea dextrâ.
Imponet ſacras hinc ſacer Ordo manus.
Ecce manu qui te duxit Deus, his quoque cœptis
Extremam imponet ſubjicietque manum.
Aſt ego dum Capiti manus his imponitur auſis,
Impono manibus nunc capitique pedes.

MISCEL-

MISCELLANEA
POETICA.
Accedunt
EPIGRAMMATA
SELECTA.

MAGNÆ MATRI
BIBLIOTHECÆ GOTTOR-
PIENSI;

Reverendiſſimi Sereniſſimique Principis & Domini,

DOMINI
CHRISTIANI ALBERTI,
Electi Epiſcopi Lubecenſis, Heredis Norvvegiæ, Ducis Sleſvvigæ, Holſatiæ, Stormariæ ac Ditmarſiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt,

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

ALUMNÆ,

ET
SENATUI POPULOQUE LITERARIO,

LIBELLUM HUNC SACRUM ESSE

JUBET

D. G. M.

O MA-

O MAGNA MATER, Nata MAXIMI PATRIS,
Ipſius ô Æternitatis hoſpita,
Et ſeculorum Mater, atque Filia,
Et quotquot, ô Quirites literarii,
In hoc bonarum mentium Capitolio,
Muſarum aſylo, Palladisque Regiâ,
Æterna famæ conſecraſtis nomina,
Vocesque mille condidiſtis poſtumas.
Salvete multum, & hunc minutum ſatrapam,
Qui primus huc pedes profanos intulit,
Civem vocate, vel clientem parvulum,
Tutum tot inter ſe phalanges qui putat,
Et pulpitûm inter iſta propugnacula,
Contra invidorum tela & hoſtes barbaros,
Ut ipſe ſic Æternitatis irrepat ſinum,
Exilis umbra maximorum nominum.
Majora nunquam tanget is ſubſellia,
Nec ſtabit inter magna Patrum nomina
Suisque tectos æneis umbonibus
Heroas iſtos & quadratos Hercules.
Non ſtabit inter maximos Belli Duces,
Sed ſerpet inter milites gregarios
Inane nomen atque ſegnis troſſulus.

Nec in ſecundis tertiisque claſſibus
Subſiſtere audet. qui leves tantum pedes
Offerre novit, veſter hic apparitor
Vocetur, & vel ante januam excubet,
Cæcumve detrudatur ille in angulum
Telis aranearum & alto pulvere
Oppletum. at illi nullum in his Synedriis
Mutos Magiſtros inter eſt ſuffragium
Pedibusque ſolis in Patrum ſententias
Non ut Senator ibit, aſt apparitor.
Ergo ô alumnum ſuſcipe hunc MATER tuum,
Et quotquot eſtis, ô Quirites ceteri,
Quem civitate ſi tuâ donaveris,
Quem, MAGNA MATER, ſi ſatis probaveris,
Et MAXIMO probabitur ſtatim PATRI.

VOTVM

VOTUM VETERUM ANNORUM PRO VOTO NOVI ANNI.

Clɔ Iɔc LXIII.

AD INCLUTAM ACADEMIAM ROSTOCHIENSEM.

Nil ſub Sole novum eſt, nec Sol novus ipſe, nec annus;
Et tamen hunc annum credimus eſſe novum.
Stet quæcunque aliis ſententia: Verum ego nullum
In veteri tempus tempore quæro novum.
Et quid in orbe novi? rerum vetus ordo perennat,
Et gyro redeunt ſecla voluta ſuo.
Squalida quæ vaſto mater produxerat antro
Tempora, conformi mota tenore ruunt.
Volvitur & variis Serpens ſe maximus annis
Induit, aſt annos non ſubit ille pares.
Unus erit veteri ſuccedens temporis Ævo
Ambitus, hic vetus eſt annus, & unus erit.
Inde ſuo tempus diſtinguunt ſidera motu,
Inſtaurantque annis ſecula tarda ſuis.
Fallimur & levis hoc docuit perſuaſio vulgi;
Anni certa nec eſt meta, nec ille novus.
Circulus eſt; puncto nec circulus incipit ullo,
Pronus & in partes labitur ille ſuas.
Principium ſtatues? ſtatuet tibi quodlibet alter.
Si punctum dederis hoc, dabit ille novum.
Puncta loca quocunque loco: pars prima vocatur
Quælibet, & punctum non tamen omne feres.

Signifer his Aries; aliis jam Libra placebit;
Hic annum cancro dedicat; ille capro.
Et cur quæſo novos tam ſolers colligis annos?
Quidve volunt Anni vota precesque novi?
Momentum vix, credo, tuum eſt: qui præterit annus,
Non tuus eſt, nec qui deinde ſequetur, erit.
Non hæc hora tua eſt, ſed punctum temporis unum,
Hoc fruere, ac annos fac procul eſſe novos.
Quæ novitas anno? toties novus ille vocatur.
Qui toties novus eſt, hic nequit eſſe novus.
Omnis ab ANTIQVO rerum procedit origo.
Omnis in ANTIQVO gloria, nulla NOVO.
Secula qui ſenio præceſſerat omnia, Primus,
Optimus, Æternus, Maximus *ille fuit*.
Inde novus cœpit volvi per tempora mundus:
Inde novus, qui mox degeneravit, homo.
Attamen antiquo & venæ melioris in ævo,
Mundus in antiquâ tum bonitate ſtetit.
Hinc ubi ſe puro ſeclum vetus exuit auro,
Continuò mundus pejor & annus erat.
Tum Ver perpetuum per inæquales autumnos
Frangitur; hinc ſubeunt ſemina quæque mali.
Ænea pòſt orbi cataphractaque inambulat ætas,
Omneque tunc crevit cum novitate malum.
Peſſima nunc miſeri (namque illa noviſſima) ſecla
Vivimus, & virtus his procul omnis abeſt.
Nunc antiqua fides periit, moresque vetuſti,
Quos quia vita negat, non niſi vota petunt.
Imponit vitium titulo virtutis, & ars eſt
Nunc propè ſola bonis artibus eſſe rudem.
Si ſapitis, nova ne deducite tempora votis.
Ætas quæ nunc eſt peſſima, pejor erit.

Fro-

Protulit heic vultus *Academia mater* honeſtos,
Et ſacra annoſum movit ad iſta caput:
Quis novitatis amor; quæ tanta inſania? dixit.
Annos quam vellem nunc minus eſſe novos!
Annos dum veteres numero, mihi gloria ſalva eſt,
Et latet omne meum ſub novitate malum.
Sic ait & faciem nebulis oppreſſa malignis
Contrâhit, & nova jam non ſibi vota petit.
Nulla nec ipſe dabo. Veteres optabimus annos,
Ingens hæc voti ſumma caputque mei,
Stet vetus ad veteris normam Reſpublica ſecli,
Nec majus poſſum dicere, nec melius.
O nobis veteres referat ſi Jupiter annos,
Annos nemo ſibi tunc velit eſſe novos.

IN
RECTORATUM ACADEMICUM,
DOMINI
D. HENRICI MULLERI.

SUme novos Tibi quos Academia ſpondet honores,
Magnificumque illâ judice Nomen habe.
Sceptra tene, Rex noſter eris, Tibi regia dantur
Pignora. Tu faſces, regna, tribunal habes.
Sic felix gradibus Tibi gloria crevit, honosque
In Te cauſa novi ſemper honoris erit.
Hæc utraque manu Pietas Tibi præmia donat,
Grataque cultores ſic colit illa ſuos.
Hinc Tituli Titulorum, & qui naſcuntur ab illis.
Hinc nunc Magnifico Te quoque major eris.

IN

RECTORATUM ACADEMICUM DN. D. CASPARIS MARCHII!

ACcipe Varniacos nunc, Vir celeberrime, faſces,
Quæque offert Clarius ſceptra Senatus, habe.
Sunt etiam ingenuis illuſtria nomina Muſis,
Doctaque Majeſtas æmula regna tenet.
Qui vacuâ quondam ſolus regnavit in aulâ,
Et leve per montes nomen Apollo fuit,
Nunc pulcris graditur ſceptris inſignis & auro,
Exercetque novo regia jura foro.
Non ſimplex illi regnum, at geminata poteſtas
Traditur: hanc regni ſymbola bina docent.
Una præeſt Cathedræ & ſolio dominatur in iſto,
Altera civili præſidet æqua foro.
Accipe nunc ſacrâ tibi tradita pignora dextra,
Et Medicas nobis, Clare Vir, adde manus.
Et Medicus, quo regnet, habet: nam certior illum
Natura excellens jura Magiſtra docet.
Quam latè Natura patet, paretque regitque,
Et pars imperii quælibet inſtar habet.
Plaudimus, & felix Tibi noſtra Academia plaudit.
A Medico poterat ſors ſupereſſe ſalus.

IN

VIRI CELEBERRIMI THOMÆ BARTHOLINI, tractatum DE NIVE.

Magne

MAgne Vir, Aoniis toties qui perpluis orbem
Fontibus, æternas nunc quoque funde nives.
Dent alii gemmas, aurum, dent denique verba;
Das infucatas Tu, meliora, nives.
Quid pulicum ſaltus, aut quid metimur arenas?
Dædaleæ fabricam tu mihi cerne nivis.
Ne floccifacias tenuis miracula flocci,
Heic latet arcanæ nobile mentis opus.
Magnæ ſub exiguâ tegitur ſapientia formâ,
Quodque ſagax poſſit diſcere menſor habet.
Invenit occultas Medicina domeſtica vires,
Indeque fœcundas diſcit arator opes.
Hinc clarum nomen Tibi, *Bartholine,* decusque,
Naſcitur, & multum nix tua lucis habet.
Perpetuæ durate nives! non humidus Auſter,
Non ſol in liquidas extenuabit aquas.
Non æſtiva dies, non trux Jovis ira, nec ignes,
Nec vincent iſtas ſecula longa nives.
Frigida ſub prælo nix (quæ miracula?) fervet,
Fuligoque albas parturit atra nives.
Quisque leves redimit nummorum pondere floccos,
Duraque pro molli merce metalla ſonant.
Venditor augeri loculos miratur & iſtam,
Vel ſic fœcundam judicat eſſe nivem.
Quod petit è flammis optatum Chemicus aurum,
Agricola è vili pulvere, Nauta mari.
Quodque Maro invenit quondam ſub ſordibus Ennî,
Eruit è madidâ Bibliopola nive.
Librorum titulos potuerunt hactenus omnes,
Verbaque vel fumos vendere, nemo nives.

AD

DOMINUM

JOHANNEM BERNHARDUM ZINZERLINGIUM,

Amicum ſuaviſſimum.

De Impenſis Dotis illatæ, Funeris elati, Litis ſublatæ Pro conſequendis ſummis in Jurisprudentia Honoribus diſputantem.

AN ſapimus? lites tot, ZINZERLINGE, movemus,
  Doctaque ſumendis jurgia pro titulis.
Crebreſcunt pugnæ & ferientes pulpita rixæ,
  Et dubiâ pendet mobilis aure Themis.
Inclinata ſuo non audent credere vero
  Jura, & ab adverſis juribus illa timent.
Incedunt rubræ truculenta ad prælia leges,
  Et fera feralis buccina bella canit.
Inde Modeſtinus contraria provocat arma;
  Hinc capito partes aſſerit; hinc Labeo.
Confligit jam Papa manus, & jura tuetur
  Propria, Cæſareo non toleranda foro.
Hinc Canones multo timida ariete pulpita pulſant,
  Tutaque vix clypeo, JUSTINIANE, tuo.
Non irata aliter præceps fodit æquora Caurus,
  Cui tonat adverſis Eurus in ora plagis.
Pugnamus nobis, Martem nos viſcere in ipſo
  Paſcimus, & partes pars facit una ſuas.
Civiles agitant civilia prælia leges,
  Hoſticaque in medio condimus arma ſinu.
Nec ſperanda quidem mauſuræ fœdera pacis?
  Nam reduci ſemper volvitur orbe labor.

Quid

Quid ſerimus tantas pro nudo nomine lites?
  Quidve juvat tanto jura furore coli?
Cunctarum ſi ſunt Lis & concordia rerum
  Principia, iſta tui tunc & honoris erunt.
Prima dedit juri Lis incunabula lato,
  Et cur Doctori non daret illa ſuo?
Litem alimus, nam lite alimur. Lis omnia firmat,
  Et miſerum nullâ lite tribunal erit.
Omnia lite ſcatent, impenſis omnia, dosque,
  Ducere Tu funus non ſine lite potes.
Hanc te Lite tuam facis, Optime, Candide, litem,
  Et tunc præclaræ Pars ego litis eram.
Pars ego litis eram: Tibi ſed ſuccumbere pulcrum
  Tunc erat, & liti cedere jura tuæ.
Hæc tibi Lis gemini titulos nunc ſpondet honoris:
  Sed titulos! rerum pondus inane tenes.
O miſerum! titulis qui ſe metitur & umbris;
  Metiris titulos temet, Amice, tuos.
Non titulis dominis; famulantibus uteris illis,
  Appendix Tituli eſt non Vir; at ille Viri.
Ergo Tuo titulos *rubra* mox dabit infula crini.
  An bene tunc *rubrum* convenit atque *nigrum*?
Sæpe *nigro rubrum* ſcio latius eſſe: ſed in Te,
  Credo ſuo *nigrum* latius eſſe *rubro*.
Heus tamen! inſtanti non ſcribam carmen honori,
  Quæ nova res? quare gratuler? Eſto, quod es.

AD EUNDEM.

SIncere ZINZERLINGE, cui nivem multam,
Pectusque lene, mite, neſcium fraudis
Præſens honeſtas atque candor incoxit,
Qui glorioſum ducis ingeni robur,

Mentemque pandis inter arduos tractus
Patentis ævi, ruderum vetuſtorum
Scrutator ingens, ſola digna tam claro
PARENTE proles, cujus inclutum nomen
Non unus orbis, gens nec una metitur,
Queis te vehemus laudibus? quibus tantas
Feremus orſis mentis optimæ dotes?
Seu tu repoſtos volveris per anfractus,
Sublimiumque permeas ſinus rerum,
Quodcunque vel recondit elegans grati
Mater leporis Græcia, atque diffuſa
Latii theatra; ſplendet undique inſignis
Inuſitatæ fama literaturæ,
Decusque pulcrum. Quicquid optimum noſti,
Excerpis omne; hûc omne tempus impendis,
Librûm bicongius helluo vetuſtorum,
Sagaxque raptor artium, Euclio horarum?
Nec ſolum inerti impervium quod eſt vulgo,
Sed cautiori quæ haud notata ſunt ungui,
Tibi notantur. Maximus Tibi Serpens,
Quem ripa Nili ſervat, abditos ſenſus,
Et circinantes-ſemper explicat ſpiras,
Et omne punctum antiquitatis annoſo
Producit antro; dente qui ſibi æterno
In os reductam prodigus vorat caudam.
Tuo *Vetuſtas* alma gaudet amplexu,
Anus decora, honeſtioribus rugis
Pulcraque commendabilis ſenectute:
Procis ſed illa rarioribus gaudet,
Amatque ſperni, non petita. Quid cauſæ eſt?
De Dote lis eſt. Parca, pauca, jejuna eſt.
Impenſa multa. At illa veſticeps Virgo,

An

An Virgo? *Novitas*, ſplendidas madens buccas,
Peruncta fuco vultum & ora Sarrano
Satiata ſucco pluribus fatigatur,
Quam nec Pelasgæ Conjugis fides, turbis,
Tu cum pererras paginas ſitu turpes,
Non ſemiroſa commatis retrimenta,
Apicesque flexi, & verba falſa ſuſpendunt.
Mox tu penetras abditos dolos chartæ,
Nemeſinque pollex Alphabeticam exercet.

Sed nunc ſacratas acer eruis leges,
Pugnator ardens ſtrenuusque defenſor,
Non ferrei, ſed æqui & aurei juris,
Non fœculenti, turbidi, cruentati,
Sed optimi, ſed limpidiſſimi juris,
Quod norma ſimplex ac amuſſis informat.
Nam nunc (fatemur) tot voluminum mole
Aſtræa preſſa eſt, quot nocentibus quondam
Tarpeja ſcutis, Juribus laboramus.
Fovemus ipſi nunc inutiles rixas,
Nec jus tuetur ſe ſuo amplius jure.
In jure juſtum quærimus? latent pugnæ
In ſecla ductæ, totque litium formæ.
Strepit tribunal jurgiis latratorum,
Et Rabularum præda proſtat Aſtræa.

Tu profer altas mentis optimæ vires
Vindex ſeverus, curiasque nutantes
Cathedrasque pulcro porro munias fulcro:
O quam precamur! Diva nomen *impendet*
His eruditis grande & inclutum, Impensis.

AD

AD EUNDEM.

Caſſiodori librum de Amicitiâ cum Animadverſionibus ſuis edentem.

AD calamum! Ad calamum! generoſa ſilentia rumpe,
Et quædam ſeclo ſcribere digna para.
Ad calamum, mi Zinzerlinge, & te quoque dignum
Crede ævo, ut meritum te quoque fama vehat.
Meta patet, ſtat palma tuo ceſſura calori.
Tu modo perrupto carcere rumpe moras.
En tibi tot ſtantes in curribus Æmilianos!
Omnes poſt tergum tu præeundo trahes.
Sume animos, ſtadio ſolus regnabis in iſto,
Atque rotâ palmam mox propiore feres.
Scena patet, geminum pandunt Helicona ſorores,
Conſenteſque vocant ad ſua templa Deæ.
Cur doctas paries privus tibi ſtrangulat artes?
Qui cedro poteras luceque digna loqui.
Quid juvat abſtruſæ muſſantem inhiare papyro
Osque ſonaturum magna tenere domi?
Dic aliquid, linguis quod mille reciprocet Echo
Fama, quod in ſeclum migret, & orbis amet.
Actor eris, mutum non famæ fabula nomen
Te cupit, in ſcenam Te quoque, Amice, vocat.
Sunt equidem hîc Momi, ſunt, turpia nomina, Mimi.
Hunc animo ſpernes Tu meliore gregem.
Scribunt indocti doctique volumina paſſim,
Et quivis chartas Cercopithecus arat.
Parturiunt montes, & naſcitur exiguus mus;
Eſt tamen, hunc Lucam qui putet eſſe bovem:

Jam

Jam placet æſtivæ facundia rauca cicadæ,
Et rudis altiſonum pulſat aſellus ebur.
Jamque omnes fatuis Sylvæ ſunt Conſule dignæ,
Et ſapit ingenii pingue vomentis opus.
Mille alis famæ decreſcunt anſeris alæ,
Milleque nunc orbem ſtigmate præla notant.
Innocuæ dirâ jugulantur arundine chartæ,
Totque atramenti dolia crena bibit.
Inde tot in vulgus deliria, ſomnia, nugæ,
Et grandes abeunt, ſed ſine mente, libri.
Sit vulgi furor hic: tu rerum pondera pandis,
Et partu ſeclum nunc meliore beas.
Reſtituis nobis inſignia Casſiodori
Rudera, Amicitiæ queis ſacra jura docet.
Publicus hic labor eſt, & nobis utile munus,
Tuque illi famam condis, & ille Tibi.
Diſplicet utilitas in Amici nomine: Virtus
Ornat amicitias ſola & honeſtus amor.
Sic ſtatuant alii. Sed veſtras Venditor atque
Lector amicitias utilitate probant.

GRATULATIO
AD
DN. HENRICUM BANGERTUM,
Cum Scholæ Lubecenſis
Rector conſtitueretur.

INcluta Cæſareum quæ tollis ad æthera nomen,
Et vaſto ſtatuis jura, Lubeca, mari.
Ipſe cui Nereus effuſis Balthicus undis
Nympharumque cui ſurgit amœna cohors.

Cu-

Cujus vicinæ venerantur fœdera gentes,
Et vel ſponte ſuum ſuppoſuêre caput.
Judice Scaligero,* terris Aſtræa relictis
Si quondam veſtro ſedit amica foro:
Judice me, veſtris Helicon nunc naſcitur oris,
Naſcitur & Muſis junctus Apollo ſuis.
Legiferæ poſtquam Themidos ſe Regia pandit,
Panditur & Clariis Regia clara ſacris.
Nunc tibi præclaros auget BANGERTUS honores,
Inque iſto crevit fama decusque Viro:
Namque juventutis doctas dum tradis habenas,
Das illi clarum nomen, & ille tibi.
Mutuus hic honor eſt, & mutua gloria ſurgit,
Perque ſuas veſtra eſt illa, *vel illa* vices.
Ille tuis quondam largitus pilea Slavis
Antiquum aſſeruit voce potente decus.
Hic Tibi GUALPERIOS, KIRCHMANNOS vindicat unus,
MEIERIQUE ſagax hic reparator erit.
Hic Phidias Tibi doctus erit, poteritque probatos
Quolibet è ligno ſculpere Mercurios.
Ingenii figulum hunc, doctumque Promethea dicam.
Hunc quis fortunæ dixerit eſſe Fabrum.
Tu, BANGERTE, potes primos oſtendere fontes,
Et tenero primum ſpargere ſemen agro.
A Te Conſul erit facundus, quæque diſertus
Pro populo fundat verba Senator habet.
A Te declamant Cathedræ, reſonatque tribunal
BANGERTE, & cauſas rite patronus agit.
Primus in urbe ſapis, per te juvenesque virique
Si vivis, Schola Respublica facta brevi eſt.

Hinc

* *Jul. Cæſ. Scaliger Poëmatum part. I. p. 610.*

Hinc tibi naſcentur cives, horumque Magiſtri.
Communis fies hâc ratione parens.
Hinc nati natorum, & qui naſcentur ab illis;
Poſteritasque tuo à nomine nomen habent.
Sic quoque Conſul eris: totam Respublica debet
Se Tibi: nam Cives qui docet, ille regit.
Vel potius (ſed vos nobis ignoſcite magna
Nomina) Te PATRIÆ dicimus eſſe PATREM.

IN
DOMINI
CHRISTIANI KORTHOLTI,
S. S. Theol. D. Amici ſui optimi.

EN dubitas, KORTHOLTI, & ſic dubitaſſe juvabit.
Hanc ſequitur matrem filia pulcra ſuam.
Prima dedit cauſam veri dubitatio vero.
Qui dubitare poteſt, & ſapere ille poteſt.
Qui ſe ſcire putat, plenis jam deſipit auſis,
Qui dubitat de ſe, quod ſapit, ille ſapit.
Conditur obſcurâ Divorum filia pallâ,
Subque ſuis quæri nubibus illa cupit.
Tu felix ſcrutator ades perque abdita rerum
Volveris, ingenio dives & ore potens.
Agglomerat varios ſublimis pagina gryphos.
His dubiis dubios tu facis eſſe cibos.
Aſt ego, ne dubita de Vatibus, autor Apollo eſt.
Vota tuis dubiis non dubitanda dedi.
Ecce Sophum monſtrat tua te dubitatio grandem.
Nec dubito: namque hoc per dubia illa ſcio.

AD
EUNDEM,
Cum Græcæ Linguæ Profeſſionem Solemni Oratione auſpicaretur.

JAm ſumus ergo pares. Tu Græcus; egoque Poëta,
Suſpectæ vulgò credimur eſſe fidei.
Fallit Græca fides, fallitque Poëtica, quanquam
Nec tu nec noſter fallere norit amor.
Ceſſet Græca fides, ceſſetque Poëtica. Agamus
Philoſophâ potius munia noſtra fide.
Si vis, Legalem Collega ſpondeo amorem;
Tu mihi Thejologam des, ô Amice, fidem.

AD
DOMINUM
HERONEM HERSENIVM,
ME PRÆSIDE
de Divinitate Principum diſputantem.

PRincipibus placuiſſe viris non ultima laus eſt:
Sed major tamen eſt laus placuiſſe Deo.
Maximus hic Deus eſt, æternus, ſolus & unus.
Terrarum Dominis imperat ille Diis.
Inter mortales Deus eſt, qui vult minor uno
Eſſe Deo Princeps, nec ſua fata ſequi.
Hæc dum præclaris, HERSENI, diſſeris auſis,
Laus hinc (ne dubita) Te modo ſumma manet.
Prima DEI tibi cura, DEOS cole deinde minores:
Nam placuiſſe DEO ſic potes, atque Deis.

IN
CANEM TURCAM
Ipſis diebus Canicularibus prælio fuſum.

SIrie, cui Cynicas volvunt Pimpleides horas,
Et Cynicus lentos ducit Apollo dies,
Ecce tuo Mars igne calet radiisque caninis
Fultus in EOUM prorogat arma CANEM.
Non in Marte tepet, quæ nunc in Apolline flamma;
Sed vigili vigil hic obſtruit ora CANI.
CERBERUS ille furit, cui ſe DRACO junxit Averni,
Et CANE nil iſthoc pejus & ANGUE fuit.
Sed tamen Herculeas mox ſentiet ille catenas;
Et DEUS hunc victum poſt ſua terga trahet.
Sunt qui hunc ungue CANEM poterunt laniare LEONES,
Sunt AQUILÆ, quibus hic putre cadaver erit.
Obſtrepat ille CANIS, gravis illum SIRIUS uret,
SIRIUS, æthereo quem fovet igne LEO.
SIRIUS EN / Heros noſter SERINIUS, & qui † Anagramma
Subjicis huic ignes, es, LEOPOLDE, LEO!

AD
DOMINUM
JACOB. KORNMESSERUM,
Medicinæ Doctorandum,
Amicum optimum, in patriam abeuntem.

NOſter es, & multis ſpectatus Amicus ab annis,
Dignaque amicitiæ munera nulla dedi.

Indignis ſcribo toties ſatrapisque minutis,
Ac ignota mihi nomina ſæpè cano.
Ut doctè ſervire queam, mihi pilea ſumſi,
Sumque ancillantis verna Poëta Deæ.
Ejuraſſe velim natas ad vincula Muſas
Sæpius, ac artem dedidiciſſe meam.
Tu nobis indictus abis, quo dignior unquam
Materies nequeat carminis eſſe mei.
Nec Tibi præclaros nuper gratabar honores,
Quodque ingens Medicâ nomen in arte tenes.
Sed vile officium linguæ eſt, ſi pectus amicum eſt,
Pro pedibus noſtris dextra fidesque datur.
Vix ſcribo leve nunc abeunti Carmen Amico.
Vix pedibus potui nunc comes ire meis.
Sed tamen argumentum ingens mihi reſtat: in aurem,
Dicam. Si me vis ſcribere plura, REDI.

PROGRAMMA,

Quo humanioris Literaturæ Studioſi ipſis diebus Canicularibus ad lectiones tàm publicas, quàm privatas invitantur.

MAgna minorque Canis, Nemeó juncta Leoni
Sidera, ferventi nomina nota polo,
Seu vos ſolares rapiatis fomite flammas,
Ac alio ſteriles igne prematis agros;
Seu fluat ipſe tuus nativos gurges in æſtus,
Sirie, quem ſolem credimus eſſe novum.
Sirie, quem coluit dubiâ ſpe Cæa juventus,
Et petiit radios in ſua rura bonos,
Cui ſacri crepuit pulſator liniger æris,
Quemque Iſin coluit Memphis inepta ſuam.

Cujus

Cujus ad exortum mundi natalis & annus
In reduces Phariis creditur ire dies.
Cujus ad imperium Nili fœcunda poteſtas
Tollitur, & largo proluit amne ſolum.
Cur minor è veſtris exhalat faucibus ardor,
Nec reſides torrent arva polumque faces?
Cur Libycæ frigent inſeſſa Hyperione multo
Ora feræ, & pluvio ſub Jove terra tumet?
An quoniam rapido latrator anhelus ab æſtu
Se flammis metuit poſſe perire ſuis,
Et totos plenis epotans faucibus amnes
Nunc, quos concoxit, ſponte refundit agris?
Cur Tibi ſubmittunt languentes ſceptra Camœnæ,
Subque tuis flammis, Sirie, friget opus?
Pallida non tetrico Themidos ſubſellia latrant
Jure, nec elinguis verba patronus habet.
Te latrante, ſilent cathedræ, ſilet altus Apollo.
Tu nobis fontes ebibis Aonios.
Fulgura Phœbeus metuit puer illa, cavetque
Hunc cane cœleſtem pejus & angue Canem.
An quoniam teneras præmordet vulnere mentes,
Et radiis cerebrum verſat agitque malis?
An quod aduſta Canis deſtillat ab æthere ſpuma,
Unde venena intus mens rabioſa bibat?
Non tamen hos metuit truculentia Martia dentes,
In rabiem rapiens aſtra vel ipſa ſuam.
Fulminet iſte Canis, nunc fulminat improbus enſis,
(Flammifer hunc ſacro diſſipet igne DEUS!)
Turcicus Hungaricos populatur Cerberus agros,
Nec nocet huic aſtro Sirius iſte gravi:
Non tamen & ſegnis ſe ſolvit in otia Meſſor,
Nec durum ponit durus arator opus.

Nec ſua nunc turpi Mercator membra veterno
Mancipat, & preſsâ conſidet ille manu:
Nec validos Veneris conſtringit Sirius ignes,
Aut flammæ ceſſant, parve Cupido, tuæ.
Cur noſtris ergo concedimus otia Muſis,
Et ſtant Solſtitio Sol & Apollo pari?
Seu canat invito, ſeu Phœbo Muſa volente
Noſtra; tamen raucum concinet illa melos.
Et nunc arguto complent arbuſta Cicadæ
Carmine, nec nobis obſtruet ora Canis.
Nam quamvis mutos faciat Canis ille; Camœnas
Vocales reddet nunc tamen ille meas.
At Tu, ſi qua Tibi reſtat ſub pectore flamma,
Sirie, majori fulgura ſparge face.
Fac Phœbéa ſacro mage pruriat igne juventus,
Ut nunc mota tuo ſidere fibra flagret.
Illa gelu Scythicum & glacialis frigora Zemlæ
Traxit, & obſeſſum marmore pectus habet.
Solve gelu rigidum, venis liquefacta fluat nix,
Ut vivus ſubigat fervida corda calor.
Sic tu non vanus celebraberis ætheris hoſpes,
Sic mihi perpetuum, Sirie, Carmen eris.

PROGRAMMA,

Quo ad Claudiani libros de Raptu Proſerpinæ, præmiſsâ diſſertatione, de Enthuſiaſmo ſeu furore Poëtico, *publicè prælegendos Auditores invitantur.*

QUiſquis Apollineos ſub pectore concipis ignes,
Nec ſegnes ſentis ad tua vota Deas;

Aut Clarios ſaltem non adverſaris amores,
Nec Pindi noſtri degener hoſpes ades.
Sta, precor, & noſtro ſignatam nomine chartam
Inſpice, nec titulis terreat illa ſuis.
Eſt Furor, eſt Virtus non ſenſibus obvia noſtris,
Et quod non poſſum dicere, quid ſit, id eſt.
Evolat æthereis emiſſus ſpiritus ingens
Sedibus, & vaſto volvitur ille ſinu.
Ille per articulos immenſi diditus orbis,
Ingreditur tacito ſingula quæque pede.
Hoc & ab igne calent, & ab hoc ſpiramine ſpirant
Omnia: perpetuus rebus it inde tenor.
Ille ſui motor, movet, æternumque movetur,
Quâque movet, motus hos jubet ire pares.
Ergo quod æthereum, nec craſſa fece ligatum
Attigit, afflatu corripit ille ſuo.
Ille movens animos, non ad terreſtria fixos,
Illos corporibus ſubtrahit; hæc animis.
Ambulat impreſſos impreſſa figura per orbes.
Motori rapitur ſphæra voluta ſuo,
Seque ſibi ſiſtens oſtenſa reſultat imago,
Et ſequitur formas & præit illa ſuas.
Tunc abit in voces, ac immortalia fatur,
Præſentemque ſonant ſingula verba Deum.
Expulit hæc hominem vis & divinior aura,
Ac infuſa ſacrum pectora numen habent.
Hâc quondam auritas Orpheus animaverat Ornos,
Traxit & immites poſt ſua terga feras.
Hæc potuit triſtes animo vis pellere morbos.
Diſcuſſit nebulas mentibus illa graves,
Verberat illa ſacro, delapſa per intima, thyrſo,
Et cognata ſibi compede corda ligat:

Qualis contiguus magneſia flamina ſervat
Annulus, inſtinctu continuata novo.
Gens ſuperis ſacrata ſumus, & natio Divûm.
Et nihil in Vates ſecula juris habent.
Plusquam Dædaleis rapimur per ſidera pennis,
Et vaſtum facimus, quà patet orbis, iter.
Quod patet his oculis, & quod latet, omnia noſtra.
Omniaque ingenii ſunt dominantis opes.
Quid convexa poli? noſter niſi fulciat Atlas,
Credimur & noſtros nos fabricare Deos.
Immenſis quondam ſua nomina ſcripſimus aſtris.
Speratis Arcton nos prohibemus aquis.
Mutamus formas, defunctaque reddimus auræ
Corpora: namque mori carmina noſtra vetant.
Divinos manet hæc tantum ſua gloria Vates;
Vulgus iners blattis pabula gratá dabit.
Non canat argutos rauca ſtrix inter olores.
Arcadicum Pindo pellit Apollo pecus.
At vos, queîs ardor flammis populatur honeſtis,
Pectora, nec noſtro ſpernitis ore frui.
Ibitis hîc Clario (potero vos ducere) calle;
Quà patet ipſa meo ſemita trita pede.
Nunc primum mecum heîc atri antra horrentia Averni
Irruite, & raptæ plangite fata Deæ.
Nec metus ullus erit: ſolis via tuta Poëtis,
Et quos egregios fortia facta notant:
Sic Pater Æneas ipſum penetravit in orcum.
Tractus ab Herculeâ Cerberus ipſe manu eſt.
Tartara Biſtonius commovit Carmine Vates,
Et Stygio extorſit funera cara Deo.
Scilicet ipſe ſacros reveretur Pluto Poëtas,
Salvus & hinc ſolus, crede, Poëta redit.

AD

AD

Virum Celeberrimum

DOMINUM

JOANNEM GEORGIUM DORSCHEUM,

Theologum Incomparabilem,

Cum faſcibus Academicis ſe abdicaret.

VIr magne, Vir beate, pectus infuſo
Referte cœlo, cujus inclutum nomen
Geniumque grandem & undiquaque divinum
Metitur orbis; quà Pater ſerenatas
Intonſus effert luminis ſui flammas;
Quà ſurgit Eos, quàque decolor Veſper
Equos anhelos mergit & fatiscentes
Lavat quadrigas: ſive nunc Deo plenus
Propiore turges & caleſcis afflatu;
Turpemve pulcro lancinas gregem morſu;
Labesve Zwingli Vejovisque Tarpeji
Retundis errores piâque caſtigas
Vibice ſeclum: ſive pandis æterni
Conſulta Jovæ & queis canalibus lapſa
Quoque imbre dias GRATIA irriget mentes,
Sepone paulum hæc & minoribus pronas
Da rebus aures, ſique nunc vacat, noſtras
Audi Camœnas barbarosque concentus.
Tolera canentem, pipilante te quanquam
Laceſſat ore inglorioque vagitu,
Qui, quando Apollinaribus Vale Sceptris
Parabis, ire ponè te comes tendit
Dubium daturus nomini tuo carmen,

An gratuletur an queratur incertus.
At cur queratur? Namque das Viro Docto
Illuſtre minus & tribunal auguſtum.
Cur gratuletur? quilibet tuos faſces
Exoſculatur pronus, ac honoratis
Tactum diu vidiſſet atrium Virgis.
Felix juventus pendet à tuo nutu
Te poſtulans tuasque Thracicâ ſorbens
Amyſtide artes. Te modimperatore
Lubens Tiaram amplectitur tuam civis,
Facilisque mordet frena nobilis dextræ.
Parere dignis, Legibusque ſervire
Eſt ſumma laus & glorioſa libertas:
Nam fulta in æquor totiùs ruit navis
Remige, ederæque latius ſolent ferri
Quercu maritâ junctæ & arctius nixæ.
Tydeus colebat Hoplea altaque Evandri
Proles Aceſten. Ipſe Jupiter formas
Variare nondum gnarus inclutam fertur
Timuiſſe matrem criminisque laſcivi
Cæsâ expiaſſe pelle dicitur culpam:
Rex factus, ac exemtus ille maternis
Deus flagellis, aureus ſtatim fluxit
Sinumque mœcho rupit imbre regalem:
Jam ſumſit alas raptor, arſit Europam,
Mediisque Taurus mugiit ferox undis.
Ergo, ut ſupremâ Te abdicas poteſtate,
Dorschæ, mœſtos nunc ciemus applauſus:
Qualis peregrè cum pius pater migrat,
Stat parva proles oreque ejulabundo
Votisque iturum tardat, atque grandæva
Serpens per ora brachium ligat collo,

Nec

Nec illum amatis detinet puer vinclis.
Tu vive nobis, centiesque depoſtas
Geſta tiaras. FIAT illud, ô FIAT!

AD
Solertiſſimum & maximæ ſpei Juvenem,
JOHANNEM GOTHARDUM BöKELIUM,
Cum de Novo Anno Diatriben Philologicam PATRI Strenæ loco offerret.

SIc annis prælude tuis, mea cura, BÖKELI,
Et genio ætatem fallere perge tuam.
Eſt aliquid patriâ genitum quod origine menti
Inſidet, & tacito ſemine flamma venit.
Nam Tibi multa PATRIS prælucet gloria, & ingens,
Quod ſatis eſt, tanto de PATRE nomen habes.
Hic ſeu regales ſermonibus occupet aulas?
Seu tetrico dicat jura probata foro;
Seu magis humanis ſua non neget otia Muſis;
Seu quædam ſeclo ſcribere digna paret.
Nil leve nil parvum genio depromitur iſti.
Omnia præclarum pondus & inſtar habent.
Tu PATREM ſequeris laudandis Filius auſis,
Et primum calcas laudis ephebus iter.
Nil juvenile ſapis ſub tam juvenilibus annis.
Veſticipum certè nomine major eris.
Et legis & relegis, ſcribis, meditaris, & ornas.
Cottidieque bonæ ſemina mentis alis.
Sic, age, perge meis Juvenis cariſſime Muſis,
Et titulos omnes poſt tua terga trahes.

Ecce novum tu nos ducis ceu Janus in annum,
Auſpicium de Te dat novus iſte bonum.
Anna Perenna tuo ſua ſecula conferat Anno.
Ætatem Janus det Pater ipſe ſuam.
Sed Patri illa Tibi felicia Filius offert
Munera, & ingenii dat documenta ſui.
Ille pius facto eſt ac ingenioſus eodem,
Suſcipe tam carâ Tu data dona manu.
Sunt etiam menti ſua ſemina, concipit illa,
Parturit, & fœtus egerit illa ſuos.
Hunc primum genuit Tibi Filius, ecce! nepotem,
Qui non invitum de Patre reddet Avum.

IN
Diſputationem Medicam
GEORGII DETHARDINGII.

DETHARDINGE, tuam quis non laudaverit Artem,
Nec ſtudii extollat nomina magna tui?
Laudo tuas quoque, quas pulcro conanime dotes
Edis, & haud uno nomine, Amice, places.
Sunt Conſanguinei Medicis, gens optima, Vates:
Gentis Apollo tuæ nam Pater, atque meæ.
Gentiles certè ſumus, & cognata tuemur
Munia, & hinc noſter congeminatur amor.
Sunt etiam Sacro quædam quaſi pharmaca Vati,
Et medicas addit Muſa benigna manus.
Subſultat gracilis numerorum verbere tactus
Spiritus, & nervis addita membra movet.
Hinc toto effuſus ſubſultat corpore ſanguis.
Appula ſic Muſæ ſæpê venena domant.

In

In Satyras promi cauteria ſæpe paramus
 Chirurgi, ac artus ſcindimus enſe putres.
Improba jam ſecli multo mordemus aceto
 Ulcera, jam ſpiſſo ſpargimus illa ſale.
Ejiciunt crudam medicamina veſtra ſaburram,
 Ejiciunt mores Carmina noſtra feros.
Sæpe etiam vivos poſſunt mollire dolores,
 Fomentoque juvant mollia metra ſuo.
Si qua Cupidineis ſunt vulnera facta ſagittis,
 Obligat emplaſtro Naſo Poëta ſuo.
Hæc quoque Caſtalio purgamus vulnera fonte,
 Et tegit hic lauri germen Apollineæ.
Utque adeo ſimilis nos cura fatigat, Amice,
 Quique labor Medici, nunc quoque Vatis erit.
Ipſe ſuas tibi jam laurus promiſit Apollo,
 Quasque ſuis dederat Vatibus, ille dabit.
Sed ſi civiles artem convertis in uſus;
 Dignior à Jove tunc querna corona venit.

AD

DN. LUCAM Kochen/

cum J. U. D. publice proclamaretur.

SIt tibi fauſtus honos! Titulum tibi gratulor & rem
 Kochi, Doctoris. Sis, quod & eſſe meres.
Te quia jura coquunt & verſant pectore fixa,
 Supremus dabitur nunc tibi juris honos.
Heu mihi quis non hîc Peliam coquit! Heu mihi quis non
 Decoctor Themidos nunc magis eſſe cupit.

Non

Non tibi jura placent nimio piperata rigore,
Non & aromatibus tu cumulata probas.
Sint ſale ſparſa ſuo, nec fumo infecta, nec igne
Toſta, ſed æqualis temperet illa tenor.
Sic doctum generoſo incoctus pectus honeſto
O Kochi, (quis non colligat inde?) Sapis.

IN
DN. PETRUM MEILAND,
De
Cauſa per accidens diſputantem.

CAuſarum ſatis eſt. has omnia pulpita clamant.
Qui veras dederit, vix reor unus erit.
Omnia cauſamur, ne quid neſcire putemur.
In cauſis latet hic, & latet ille ſuis.
Et ſic cauſando docilis ſolertia vincit,
Cum nativa rei veraque cauſa latet:
Tu tamen in cauſas inquiris & ardua prodis
Dogmata: quæ caſu ſurgere cauſa queat.
Sed nec in hoc cauſæ caſu cadis optime causâ,
Meilande, at cauſam non ſine laude geris.
Ergo ubi cauſarum, Beckero judice, cauſam,
Dicis, Philoſophum Te voco Cauſidicum.

IN
CELEBERRIMI THEOLOGI
DN. JOHANNIS GEORGII DORSCHEI,
ſcriptum ultimum
DE GRATIA.

Qua-

QValis Mæandrum propter & vagos Lydi
Ripas Cayſtri, ceu inemta maturi
Præuca feretri Cygnus & ſui præco
Vateſque fati ſuaviore ſolatur
Sua buſta cantu; jamque ubi ille vicinum
Inſtare funus ſentit, obvio pandit
Sua roſtra letho, & ter quaterque quaſſatis
Laceſſit alis. tunc melos dat æternum
Notosque fundit vatibus ſuis leſſus,
Et dum ſupremus membra ſemiſopita
Pererrat halitus, erigit vacillantis
Veſtigia vitæ, & ore lene ſuſpenſo
Truncum reſorbet lingua debilis carmen.
Adſtat minutum vulgus, ac inauditis
Stupeſcit Elegis, & ſilentio linguas
Damnat minores: Talis, improbos quando
Poſt terga linquis victor Orbis anfractus,
Tuisque reddis Spiritum volens aſtris
DORSCHÆE, gratioſa Gratiæ pandis
Cœleſtis orſa. Hæc inter altus exſpiras
Tot delibutus Gratiis & æterni
Favoris auris inter aſtra ſubvectus.
Propinet atrox ſeculo ſuo virus
Infeſtus hoſtis: Tu paras inexhauſtæ
Nectar ſcatebræ, Gratiasque cœleſtes
Recludis ingens, queis beatus & præſens
Inebriaris, Septimosque transſcribis
Cœlo labores. O benigna Majeſtas,
O gratioſa, ſumma, ſancta Majeſtas,
Quam Te ſitimus Gratiamque inexhauſtam!

AD

AD
DOMINUM
RUDOLPHUM GASTOVIUM,
de
Abſentia Juridicè diſputantem.

ACta agimus, chordam miſeri pulſamus eandem,
Et te re dictâ dicere id artis opus.
Excutimus Baldos, rapimus tua vellera Jaſon,
Et turpem petimus nomina vana ſtipem.
Parturiunt Chartæ, naſcetur terribilis Lis,
Lis omni ſemper quæ repetenda die.
Hannibal ad Cathedras! vah quanta pericula cives!
Et remanet poſt tot prælia grande Nihil.
At Tu, Gaſtovi, meliores ſurgis in auſus,
Magnaque das genii nunc documenta tui.
Nil te trita juvant. Animæ dent illa minores:
Tu nobis juris nobile Thema paras.
Colligo ſic: Tua cui abſentia non placet, ille
Abſens à ſanâ nunc ratione mihi eſt.

IN
DISPUTATIONEM
de
BAPTISMO.

DUm ſedeo ſacros dicturus carmine fontes,
Aruit ad noſtros Caſtalis unda modos,
O ſuperi, quæ cauſa latet? cœleſtibus ille
Non bene miſcetur turbidus humor aquis.
Non errat, primis qui rerum ſemina ab undis
Eruit & cuncta hinc nata fuiſſe putat.

In-

Incubuit primis fabricator Spiritus undis,
Incubat & fonti Spiritus ille ſacro.
Eſt Aqua Baptiſmus, per quam generamur & à quâ,
Abditaque æternæ ſemina lucis habet.
Res miranda! genus periit mortale ſub undis,
Quaque perit, miſer hâc arte juvatur homo.
Huc quicunque venit nova captans frigora, non hunc
Igneus atroci Sirius ore petet.
Interdicat aquâ Prætor Plutonius illâ;
Nil agit, aſſiduo fonte voluta venit.
Hac madidus lentos irarum diſſipat ignes,
Uſtaque ſcintillis corda cupidineis.
O miſerum, indignum, qui ſeſe hoc flumine lavit!
Æthiopem lavat hic, ille lavat laterem.
Æternos igitur qui vitas ſedulus ignes,
Prima ſalutiferis ſpes tibi ſurgat aquis.

IN
Lauream Magiſtralem
DN. DAVIDIS CLINTHII,
Eccleſiaſtæ Wiſmarienſis.

SErvo fidem, CLINTHI, dum pectore pauca ſereno
Ut potero, titulis carmina promo tuis.
Fallo fidem CLINTHI, dum lancinat improbus unguis
Non reſponſuras ad ſua vota fides.
Invida VARNIACUM rapuerunt ſidera DAPHNIN,
Hinc ſtat ad enervem ſaxea dextra chelyn.
Hinc minor in ſolitas ibat mihi Spiritus artes,
Et manus hæc vetitum tangere neſcit ebur.
Hæc memorem poterit mentem mordere cicatrix,
Perpetuumque mihi mors ea vulnus aget.

Phœbe, quid eſt? dixi. Cur me rejicisque fugisque,
Cetera cultori non aliene tuo?
I, dixit: ſatis ipſe meas exhaurio vires,
Et mea non unus pectora mœror edit.
Ibimus exequias noſtro cum Vate Camœnis
Omnibus. Hæc Muſæ funera Teutonicæ.
Illa poëtaſtris porro in ludibria cedet,
Hanc trahet ad ſtolidam mens male ſana criſin.
Dixerat, & fremitu ſuſpiria miſcuit alto,
Et mox â vultu me jubet ire ſuo.
Quid faciam, CLINTHI, Muſis modo natus acerbis?
Hoc unum bona mens ſuccinat: EUGE! BENE!

AD
DOMINUM
CASPARUM CLOSIUM,
Mnemonicam Hiſtoriam edentem.

ECce, quid hoc CLOSI? loquitur pictura, levisque
Fabula te veram ducit in hiſtoriam.
Crede mihi, fatuis aliqua eſt ſapientia nugis,
Vanaque nunc aliquid ſomnia poſſe patet.
Non ſemper vivo licuit Doctore potiri:
Sæpe fuit ſcriptus; nunc quoque pictus erit.

IN
Lauream Magiſtralem
DOMINI
JOHANNIS EMMELII.

DIu pependi incertus, optime EMMELI,
Exaſciate, perpolite, limate

SOPHIE

Sophies alumne, ſplendidum caput Phœbi,
Diu pependi incertus, inquam, ô Emmeli,
An tu Magiſtro dignus; an Magiſter Te,
Sophiamne Tu; vel illa Te magè ambiret.
Credo quod illa. Credo? quin ſcio & novi,
Quoties ferire morſicantibus ſvêrit
Te Virgo ocellis pætulaque ſplendentum
Vibratione luminum atque telorum.
Jamque ambiiſſet Te; Sed indecens viſum eſt.
Et Virginalis id vetat pudor, quanquam
Amor pudorem penè vicerit juſtum.
Sed ambiiſti tu prius, quod & Sponſa
Ut fiat optat, & recuſat, ut fiat.
(Mos hic procare non neceſſitas juſſit.)
Sophiæ ergo nunc ſis (grande Dii beent cœptum!)
Solidus Magiſter, & Maritus, & Sponſus.
Solidus Magiſter, ajo: nam quotis horum
Poſt ſibilum ſtat Theta! ſcin quid hoc dictu?
Solidus Maritus, ajo; namque ſat multi
Ejus Mariti, & indies novi fiunt,
Quos cæca ſors obtrudit, & dolus nummi.
Mirum, inficetos ferre quod poteſt Mopſos!
Mirum eſt, quod illis cornua iſta non ponit!

In effigiem

DOMINI

D. CASPARIS MAVRITII,

Theologi.

En Tibi Mavritium color hic Pictoris adumbrat,
Cui Pietas nullo picta colore placet.

Pingite MAVRITIVM, Pictores, ſcribite Vates.
  MAVRITIVM pingit non niſi MAVRITIVS.
Noſter erat quondam, & noſtri pars magna Roſeti:
  Hammopolis myſtam nunc fovet alta ſuum.
Fama ejus Virtusque loco haud comprenditur uno.
  An teneat tantum parva tabella Virum?

IN
DOMINI
ADAMI TRIBBECHOVII,
AMICI OPTIMI.

SIc Tua, NOSTER AMOR, celeri petit æthera paſſu
  (! Gloria, ingenio ſurgit ovatque ſuo!
Ipſa Tibi primos mens altior anteit annos,
  Et juvenis poteras anticipare ſenem.
Non clamoſa Tibi ſapientia rauca flagellat
  Pulpita, nec ſpinas colligis ante roſas.
Non ignava Scholæ & lallantibus apta Magiſtris,
  Dignaque vel pueris te crepitacla tenent.
Sordent funereâ putredine jam fœtentes
  Chartæ, & iners fatuæ ſedulitatis opus:
Te potiora tenent ſpatiis illuſtribus auſa,
  Nec vulgi varium Te levis error agit.
Vix tentato aliis raperis ſuper avia calle,
  Et nomen pariet mox Tibi fama novum.
Prima Tibi nos ſigna damus tituloſque: ſed ingens
  Nominis & decoris Tu faber, ipſe tui.
Quàm Tibi diffluerem toto nunc fonte, novâque
  Pegaſeum canerem prodigus arte melos!

Caſta-

Caſtalius ſiccos humor mihi temperet ignes;
Et ſpiſſo in ſaurus ſpargeret imbre tuas.
Nunc ne ſperne leves arenti è pumice guttas;
Parvaque, ſed puri munera ſtillicidî.
Non tenui dicendus eras mihi carmine; ſed vel
Omnia debebam, vel memorare nihil.
Omnia non poteram: nam me labor iſte gravaret,
Temporaque his ſtudiis nunc aliena vetant.
Sed nec debebam Nihil: Ut negat illa facultas;
Sic negat hoc ſanctæ candor amicitiæ.
Ergo aliquid dicam, ſi non licet omnia, nec Nîl.
Eſt tamen hoc aliquid, dicere nolle Nihil.
Judice Te, noſtri pars quædam impletur amoris.
Et potes hoc Aliquid dicere, egoque queam.
Judice Me, noſtri pars nulla impletur amoris,
Quodque Aliquid dixi, dic, ô Amice, Nihil.

STRENA
ad
VIRUM
Magnificum & Nobiliſſimum
DN. DAVIDEM MEVIUM,
JCtum celeberrimum, & Tribunalis Regii, quód Wiſmariæ eſt, Vice-Præſidem.

UNgues momordi, ſtrenuè caput ſcalpſi,
Torſi, retorſi ſemiroſa metrorum
Fragmenta. Senſi torpidas nimis Muſas
Inauſpicati forſan ominis carmen
Mihi minari. Stat Papyrus infelix
Vocumque hiulca rudera atque deformes
Trahit lituras, ac inertibus ſquallet

Impreſſa litis; quale quid ſacrum jures
Scripſiſſe Gallum, & quæ Notariam ſigla
Duxiſſe aduncis unguibus putes felem.
Quid eſt Apollo? cur lates tuo civi?
Cur tot petitus & vocatus â votis
Juſti refiitas ora flagitatoris?
Nam radit ægrè querqueras miſer voces,
Et ineleganti nectit impares nodo
Varosque jambos ac inutiles nugas.
Ecquando nobis vapulat tuum Numen
Orisque pulcri ſemiraſa majeſtas?
Quo crimine inceſtavimus tuas laurus,
Malè feriati? Forſan omne nunc vulgus
Numerique tot precantium tuos nobis
Rapuêre vultus, nec clientibus totum
Sinunt vacare, lancinantque diverſum:
Nam quotquot arctis verba forte ſexſeptem
Ligant catenis & trabalibus clavis
Junxiſſe norunt, quique ceu ad æratas
Damnant triremes, carcerique durisque
Miſeros cataſtis mancipant pedum talos
Numerosque ſegnes, quotquot undique illorum,
Omnes precantur, gratulantur, acclamant,
Vovent, & optant, & benigna promittunt,
Largâ hercle liberalitate & auguſtâ;
Fide at Poëticâ atque Punicâ: quanquam
Nec illud æquum filios Deûm Vates
Ob id notare criminis reos tanti.
Optare Vatum eſt: impleant fidem Divi.
Solusne nunc ſilentiarius fiam,
Et ſolus inter tot voventium turbas
Inhonorus errem? nunc ubi aureus feſſos

Titan

Titan jugales nectare imbuit dio,
Quod Phryx Ephebus inter aſtra prolixo
Fundit meatu ſonte diluvI ſacros
Sparſurus ignes; nunc ubi auctius naſcens
Trahit ſerenæ ſyrma Phoſphorus lucis,
Qua, magne MEVI, vota perſequar venâ?
MEVI, labantis excitator Aſtrææ,
MEVI, invidendum & grande ſeculi nomen,
MEVI, mearum cenſor æque Muſarum,
MEVI, benigna cura REGIS excelſi,
REGIS ſereni, REGIS optimi, juſti,
REGIS beati, maximi, incluti, invicti,
Mortalitatem qui triumfat, & magnis
Graſſatur auſis indolem ſuper ſecli,
Qui, ſi vel illabitur orbis & mole
Suâ ſuperſtet urgeatque cervices,
Infractus altam ſtabit arduus mentem.
Quî nuuc favores ſtringet in tuos noſter
Sua plectra pollex? Loripes vicem jambus
Subire tentet. Juro per comam Phœbî
Ejusque frondes: quadrat optimè ad noſtrum
Pes ille ſeclum. Claudicat fides ſancti
Alumna cœli, Veritas, Amor, Virtus,
Tenaxque Recti norma, & inclutæ leges,
Sudat Pyragmon, claudus arma Vulcanus
Jam claudicanti ſubminiſtrat heu mundo.
Miſcentur Orco ſidera, & polo tellus,
Urbes vacillant, regna corruunt vaſta,
Nec tuta pax eſt poſtibus quidem privis.
Elapſus hic exceſſit annus, & Phœbus
Novum reduxit fortean novis auctum
(Dii ſaniora!) cladibusque turbisque.

Labuntur anni, truditur dies, ætas,
Stabilique ſe inconſtantiâ fugans cœlum
Veſtigiis reciprocantibus tractas
Inſtaurat horas, temporisque conformi
Rotata gyro puncta ducit, & quantum
Excreſcit ætas; tantum iniqua decreſcens
Semper per incrementa ſemet immenſo
Submergit onere & labi opaca manſuræ
Se involvit, infamique polluit culpâ.
Nugamu r omnes appetuntque luxatæ
Ineptiarum dulce pabulum mentes.
Exercet omnis hiſtrioniam mundus
Inanitatibus refertus, & fraudes
Succinctus atras. Strenuè orbis *inſanit*,
Dum quaſſat arma, bella, dira deliri
Crepundia ſecli, jamque latius ſerpet
Nocens venenum, & ceu Tarantulæ miro
A dente tactos hic bonos furor cives
Saltare demum coget, & ſuos extra
Salire limites agrosque natales.
Tu, qui tot inter ambulas, Vir immenſe,
Erectus ævi turbines & anfractus,
Novi beato prodeant tibi ſoles
Omine, ſuosque ſecla deſerant mores.
O vive noſtro ſidus emicans cœlo,
Marisque, ceu Ledæus ignis, inſultus
Fulgore nobis tempera ſalutari.
Tu porro pronas mî benignus indulge
Favoris auras, ſorte ſi meâ dignum eſt,
Tuique nunc admitte vota.

MORHOFI.

Pro-

Proſphonema gratulatorium
ad
DOMINUM
NICOLAUM BURENSKIOLD,
apud Norcopenſes Præſidem juſtitiæ
Regium.

Scriptum alieno nomine.

MAXIME VIR, Patriis magnum decus addite terris,
Unice Juſtitiæ nunc fugientis Amor.
Quæ Te mobilibus raptum ſuper æthera pennis
Virtus, quæ dubia gloria tollit humo?
Ecce novos Caſtor nobis exporrigis ignes,
Sollicitatque ſacrum quaſſa carina jubar.
Ipſa Lycaoniis Helice Tibi plaudit ab aſtris,
Qui nobis Helice, qui Cynoſura micas.
Publica Te ſtat Atlante ſalus, tibicine tanto
Noſter & hoc noſtro *Præſide* ſtabit honor.
In priſcas abiit Te Patria Præſide vires,
Dum datur illa Tibi, redditur illa ſibi.
Jam veteris nobis redeunt veſtigia ſecli,
Ac Aſtræa ſuos hic velit eſſe lares.
Tu nunc auguſtis peccantem legibus urbem
Inſtruis, & vetitum corrigis enſe nefas.
Judice Te, ceſsêre doli fraudesque malignæ,
Peccandique tuus ſemina ſopit amor.
Tu facienda facis. Tu nobile primus honeſtum
Quæris, & hinc civis, Te præeunte, ſapit.
Ipſa ſuas in Te virtus mihi tangere metas
Credita, nec quò jam progrediatur, habet.

Non

Non livor magicos intorqueat improbus hirquos!
  Diſcutitur radiis debilis umbra tuis.
Non tibi venales tempeſtas aurea leges
  Perpluit, aut pretio ſiſtitur emta Themis.
Non favor imbellis, vani poppyſmata vulgi,
  Et levis in ſyrtes ventus & aura rapit.
Tu velut in medio cautes Marpeſia ponto
  Inſtantes recto vertice frangis aquas.
Frons tua labe caret, tua mens ab origine pura eſt,
  Humaniſque nequit ſordibus illa premi.
Sis felix, patriasque diu rege mitis habenas.
  Sic precibus junctis plebs proceresque vovent.
Teque Patresque liget pulcris concordia vinclis,
  Ut junctis creſcat viribus aucta ſalus.
Ipſe ego, qui patriis vivo nunc exul ab oris,
  Tot per agros votis, per maria alta ſequor.
Ecce meas magnete ſuo ſeptentrio Muſas
  Provocat, atque à Te mens mihi mota calet.
O mihi tam lætos oculis ſi cernere vultus
  Detur, honoratos ſternerer ante pedes.
Nunc facili hæc cape dona manu. Sed fama ſequetur,
  Et tua mox linguis nomina mille canet.

IN

Honores Philoſophicos

DOMINI

OTTHONIS GROSKREUTZ.

QUos incomta tibi dabit, Phaleucos,
Groſcreutzi, mea Muſa, quosve plauſus,
Tot intra metra, totque ſcriptiones,
Cantus, Carmina, Gratulationes,

Tot

Tot commenta poëmatum, tot ora
Bella, ſplendida, dulcia & diſerta,
Lecta, limpida, lauta, læta, larga,
Et ſtagnantia fonte Pegaſejo,
Queis me nunc bone, belle, docte, Amice,
Jubes degenerem aggregare verſum, &
Mearum additionem ineptiarum?
Quæ nunc materies mihi relicta eſt
Tot inter metra, totque ſcriptiones,
Cantus, Carmina, Gratulationes,
Integrasque poëmatum maniplos.
Nam vel turpiter eſt mihi ſilendum,
Aut crambe recoquenda ter quaterque
Mendicovê mihi oſtiatim eundum eſt.
Reſtabat tamen unicum levamen,
Sed vanum ſterilis genî levamen,
Sed ignobile pauperis Camœnæ
Plebeique leporis involucrum,
Solamen miſeris bonum metrorum
Pellionibus. At quid hocce quæris?
Scriptitaſſem anagramma. Plura quæris?
Scripſiſſem mera verba. Plura quæris: ——
Scripſiſſem mera monſtra. Plura quæris?
Scripſiſſem fatuos rudesque verſus.
Sed nec hoc potui, quod & tuarum
Negant invida fata literarum;
Nec ſic (ô bone Jupiter!) valebo
Alphabeticus eſſe nunc poëta.
Quin nec turpe placet tuum in minuta
Tam pulcrum malè lancinare nomen,
Ceu pium Hippolytum, brevesque ſparſum
In partes Peliæ ſenile viſcus,

Pen-

Pentheove ſecare metra ritu,
Dum captator iners vocabulorum
Scabroſas cuperem atque ſemiroſas
Voces radere, fortè congruentes,
Humanum ut caput, ac equina cervix.
Quas ſi Democritus videret, (ô Di!)
Ventrem rumperet improbo cachinno.
Nil ergo tibi nunc precabor. hoc eſt:
Nolo dicere dicta, & acta nolo
Bis patrare. Quid hoc, rogo, neceſſum eſt?
Tu ſi fortè meas haves camœnas
ΜΕΓΑΣΤΑΤΡΕ, measque ſcriptiones
Dabo conſilium: ſed heus in aurem!
Sume mox alios merens honores,
Aut bellam tibi junge Paſicompſen,
Et tunc blandidulas ciebo Muſas,
Et tunc multiloquos dabo phaleucos,
Miſceboque jocos, ſales, lepores,
Penſaboque lubens tibi negata
Vsque ad tædia nauſeamque vota.
Fides verba ſequetur. Ecce dextram!

IN

DN. DANIELIS FISCHERI,

Sereniſſimo Brunſuicenſium & Luneburgenſium Duci à Conſiliis

Diſſertationem inauguralem de Favore ejus, quod publicè intereſt.

FAVETE LINGUIS! namque publico dignus
Favore Publici Boni recenſebit

Pars II. No-

Nobis Favorem. Qui meretur Auguſti
Ducis Favorem, nunc faventibus votis
Fruatur, ut qui publicam aſſerit cauſam
E publicâ cathedrâ amabilis Vindex.
Vos, qui Salutis ergò publicæ legem
Piiſſimamque judicatis & ſummam,
Quorum intereſſe Publico intereſt feſto,
Adeſte, & id, quod publicè intereſt, pronâ
Suſcipite mente, quodque publicâ eſt ê re
Ita vertite in rem veſtram, ut id, quod eſt ê re
Veſtrâ, ſaluti & publicæ rei cedat.
Nos gratulamur & benigna præclaris
Precamur auſis. Surgit ecce Fischeri
Nomen decusque mensque ſeſe inexhauſta
Per quicquid altum eſt, quicquid inclyto dignum
(Namque ille non minuta curat) Augusto
Agitat. Sed illæ publicè ſonant voces:
Qui publicè pro Publico Bono pugnat,
Hunc Publicæ triumfus evehet Famæ.

IN

PILEUM ΚΥΚΛΙΚΟΝ

Auguſtum ἐγκυκλοπαιδείας Symbolum

DN. JACOBO PRILLEVITZ,

Rectori Scholæ Gryphisvvaldenſis
meritiſſimo
impoſitum.

Pilee, principii non deficientis imago,
Pilee, principio mox cariture tuo.

Pilee,

Pilee, principium cui ſingula puncta dederunt,
Pilee, cui finem ſingula puncta darent.
Pilee, principium tibi parteque finis in omni,
Pilee, nunc *Doctum* cinge, rotunde, *Caput.*
Pilee, qui ſuperos in te revolubilis orbes
Exprimis, & cœlo non aliena tenes,
Eſto novus *Claro Capiti* per tempora Horizon,
Intra quem mentis ſphæra voluta ruat.
Scilicet eſt quidam ſtudiorum circulus: artes
Ille tenet gyro conglomeratque ſuo.
Hæ ſibi perpetua & per mutua vincula nexæ
Humanæ abſolvunt, nobile mentis opus.
Hæc mentes quoque ſphæra rotat, *redit actus* in orbem
Hic labor, inque ſuos creſcit abitque gradus.
Ceu ſuper immotos rota vertitur ætheris axes,
Aſtraque ſecum eadem lapſa relapſa trahit;
Sic quoque per vaſtos ſtudiorum truditur orbes,
Et tacitas vaga mens itque reditque vias.
Et jam, quà data porta, ruit: jam conſcia cœli
Tentat anhelantes antevolare polos.
Jamque redux humilem ſe terræ miſcet & undis,
Rimaturque toros Ditis, & alta maris.
Quà patet orbis, abit majoris ſpiritus Orbis
Æmulus, & promto colligit iſta ſinu.
Scilicet iſta minor complectitur omnia mundus,
Hæc facilis rerum mens ſimulacra capit.
Et tum perfectus ſtudiorum dicitur orbis,
Orbis ad exemplum cum ſibi format opus.
Omnia Majori volvuntur in Orbe per orbes,
Omneque vertigo corripit una caput.

Quos orbes Natura, eadem Sapientia format,
Et vult non aliâ ſe ratione coli.
Circenſes agimus jam per tot ſecula ludos,
Hactenus & Mundi Circitor omnis homo eſt.
Atque hic Doctrinæ ſervabitur Orbis & ille
Axe ſuper rectæ ſe rationis agat.
O miſerum! cui hic circulus integer, & cui
Truncatâ tantum parte Colurus erit.
Ille ſuo motus rapietur in avia centro,
Dejectusque ſua de ſtatione cadet.
Illum Siſyphii laſſabunt pondera ſaxi.
Ille Ixioniam voluet agetque rotam.
Tam præclara ſuo myſteria Pileus orbe
Obtegit, & Docti ſymbolon Orbis adeſt.
Circulum amat, quicquid ſcimus. qui mente rotatur,
Colligit in capite hunc Pileus iſte cyclum.
Creditur appensâ ſtructura eductâ corollâ:
Sic orbem exactum Pileus ille monet.
Figitur ille tuæ, *Vir præſtantiſſime*, fronti,
Cui dudum expletus circulus omnis erat.
Iſte mihi viſus nimbos æquare Deorum
Pileus. hoc capiti ſtat diadema tuo.
Si neſcis, magnos faciunt hæc pilea Reges,
Qui ſibi, qui mundo ponere jura queunt.
Libertas hinc ſumma venit. Sapientia geſtet
Pilea: ſtultorum ſervit egetque genus.
Ergo orbe exacto Sophies, teres atque rotundus
Nunc eſto, titulus qui Sapientis erat.
Acclamant omnes. dictant ſuffragia Patres.
Circulum habet, quisquis ſingula puncta tulit.

AD
DN. MICHAELEM BUSSEUM,
ſub Præſidio
DN. D. AUGUSTI VARENII,
Theologice diſputantem.

QUid ſteriles numeros & inania Carmina ſcribam,
Dum ſonat in laudes ſacra cathedra tuas?
Ipſe tuæ præco es famæ, licet eſſe recuſes,
Dum loqueris, laudes diſſeris ipſe tuas.
Ejuras Samii, Buſſæe, ſilentia ludi,
Et bene nunc audes, ut videâre, loqui.
Harpocrati medium monſtras generoſior unguem,
Litera vocalis nullaque muta tibi eſt.
Tempeſtas facunda ſonat per pulpita, nec Tu
Quam tacitus ſcenam Roſcius egit, ages.
Alternis agitur quædam ſtipulatio verbis,
Ut Tu *des* illi; Verba *det* ille Tibi,
Scilicet adverſas audire & reddere voces
Convenit, & reduces volvere utrinque ſonos.
At juſſæ ſi non reſonant Amaryllida ſylvæ,
Clamatus ſi fors nullus Apollo domi eſt,
Si fruſtra clamatus Hylas, neque conſonat Echo,
Appendix cathedræ ſtabit & umbra ſuæ,
Sed Tu, VARENIO qui nunc os PRÆSIDE ſolvis,
Hoc præeunte potes non niſi magna loqui.

In oſculum ab anu illatum
Pro more civilitatis Belgicæ.
Carmen joculare.

ELoquar an ſileam? pudor eſt indigna fateri,
Sed qui ſoletur forſan amicus erit.

Putida

Putida decrepitis (quis credat?) olentia labris
Invito licet heu! baſia fixit anus.
Obſtupuí primum fruſtraque hæc labra retraxi,
Oraque non tales tangere digna genas.
Stabat Dalmatico rarus dens concolor auro,
Et dens cruſtatus ſordibus omnis erat.
Manat ab exangui pituita ingloria linguâ,
Lentaque gingivæ ſputa per ora fluunt.
His tam bella Venus figi petit oſcula labris,
Nec petit: illa ſibi debita poſcit anus.
Hactenus intacta hæc Veneri ſervavimus ora,
Nunc primo turpis flore ſuperbit anus?
An patiar? teneros gravis eſt res lædere Vates,
An potui dentes hic cohibere meos?
Arcetur noſtris grandæva à finibus ætas,
Nec cœlo Divam nos toleramus anum.
Sic divina puer commiſcet pocla Tonanti,
Et pubes vix dum fercula Virgo parat,
Sunt Charites, Nymphæ, puerilia Numina, Amores,
Perpetuaque vigens virginitate Venus.
Sic Dominæ nobis dictant ſua jura Puellæ,
Intonſuſque choro Cynthius unus adeſt,
Cur cecini Idalios Vates non degener ignes?
Si tam fœda mihi præmia præbet anus?
Cur Clariis hæſi proles adamata lacertis,
Caſtaque Caſtalidum baſia ſæpe tuli?
Hac cecini mercede miſer? tam turpia ſentit
Commoda tam fidei ſedulitatis amor?
Tu mihi Phœbe (tuum fœdant hæc oſcula Vatem)
Sordida Pieriis ora lavabis aquis.
Virgineis penſabit anilia baſia centum
Noſtri materies carminis alma Venus.

Credite, ne Vetulæ graveolentia baſia carpam,
Pro Vetulâ vitulæ baſia ferre velim.
Vel potiùs, (quo Papa coli vis Maxime, ritu)
Virgineo figam baſia ſacra pedi.

APOLOGIA

Amici nomine ſcripta, quæ convitium hominis Elinguis illi immeritò objectum vindicat.

ELinguis ergo credor? Improbus, demens,
Excors & effrons iſta jactitat Momus,
Linguâ caninâ qui diſertus imbellis
Rabiem veneni ſpargit in bonos vates.
Cui ipſa dudum frons perit, putat linguam
Periſſe nobis. Heus ſceleſte latrator,
Mendacii propola, furcifer, Vappa,
Elinguis ipſe es, cum loqui jubet Virtus,
Sed ore ſemper ad calumnias promto,
Bilinguis es, cum vera deſtruis falſis,
Trilinguis es, cum pungis inſcios, ſerpens.
Fruſtra malignâ me, ſcelus, petis linguâ,
Nec hæc futuro (quod putas) nocet Vati.
Si Mome neſcis, Lingua, mens, caput, cor, frons
Cerebrumque nobis ſedibus ſedent juſtis,
Partesque cunctæ muneris ſui partes
Rite exequuntur. At Tibi ſedet Monſtro
Pro corde bulbus; mente, fumus & fimus;
Pro fronte ferrum, quæ tibi cataphracta
Contra pudorem eſt, literata, præfricta;
Pro Capite ſtat cucurbita; impotens lingua
Sica eſt; cerebrum ſpongia & putres fungi;
Si plura reſtant, totus improbe es naſus.

Sed

Sed heus, ſceleſte, ſi quid hanc gravat linguam,
(Quæ ſic ſatis ſoluta, ſic ſatis promta eſt)
Nec illa vocum diffluat diarrhœa,
Ajo Locutiove ſemper adverſo:
Quid inde damni? nulla nempe pro roſtris
Dicenda verba, non hians fori turba
Me vult Agyrtam Stentoremve clamoſum
Vox inter arcta parietum mihi clauſtra
Reciprocanda eſt, culta, lenis, & mollis;
Non hirta, non decumana, quæque Cyclopes
Terrere poſſit. Iſta non docet Muſas.
Nec pica ſum, nec pſittacus, crepans anſer,
Loquaxque hirundo, non Marone cum Vate
Exopto linguas centum & ora veſanus.
Namque una ſcilicet ſatis mihi lingua eſt,
Satisque nulla, & ſi quid auguror rectè,
Pro me loquetur fama, mille ſub plumis
Linguas recondens, ſique deficit lingua,
Hæc mille linguas commodabit elingui.
Et lingulaca clamitat mihi penna.
Non carmen hoc elingue, quanquam id elumbe,
Jambusque fracto claudicet miſer talo.
Si lingua non eſt intus, exero telum.
Hoc, verberare lingua cum nequit, pungo.
Si lingua non eſt, ſunt tamen mihi dentes,
Queis læſus inſto, queis remordeo Vates.
Nam, crede, qui Tibi, Mome, vapulat Vates,
Elinguis eſto, edentulus tamen non eſt.

In diem Natalem
DOMINI
ANDREÆ TSCHERNINGII,
Poëſ. Profeſſ. in Academiâ Roſtochienſi celeberrimi.

SÆpe in negatas involavimus Muſas
Injurioſi, ſæpe ſemipaganam
Male feriatus irruit chelyn pollex,
Ringente Phœbo, & infrementibus Divis:
Seu conjugales ventilavimus tædas;
Seu lacrymoſo turpiterque pullato
Suprema laſſu poſtulavimus fata;
Seu in furentes mens profana molitur
Abire greſſus, grandiore conatu,
At inerte plectro, nec tenore conformi;
Seu molliores nectit impari nodo
Arctatque verſus, mimicumve projectat
Anacreontem, Bupalive tortores
Olim & Lycambæ incude fabricat Jambos.
Sed inepta ſcripturimus atque plebeja
Diis & Poëtis nata ſemper iratis
Apollinares Lixæ & heu! ciniflones.
Nam vidit atque riſit ille, qui Montem
Sacri furoris verberat pio afflatu
Vatumque Numen, Augurumque Patronus
Et ultionis invocavit in teſtes
Plutonis amnes Marſyæque detractam
Seſe arbitro meminiſſe dicitur pellem,
Normamque ad iſtam plectra noſtra componens
Fermè ſub æquas hæc vocaverat pœnas.
Sed an ſilendum eſt? VARNICI ſalutamus

Fe-

Feſtum POETÆ, cujus in labris regnant
Mera mella, mulſa, nectarisque pars quinta,
Quam Gratiarum inſeminavit æterna
Illi venuſtas, Teutonumque qui Vates
Et Opizianæ ſolus heres eſt Suadæ,
Utriusque qui pollet Lyræ facultate.
Et cur ſilendum eſt? namque nunc canunt omnes,
Et pipiones noctuæque ferales
Aterque bubo, natioque picarum,
Minturiensque paſſer, & Progne trinſans
Cucuriensque gallus & loquax cornix,
Raucusque coccyx, tuque alumne Martini;
Alauda ſordet & Cayſtrius propri
Cantor feretri, Tuque Tereos pellex.
Ferunt miſelli verſuum latratores
Nunc omne punctum. Secla noſtra bacchantur
Stercusque adorant inſtar aureæ maſſæ.
Non jam lupinis æra diſcrepant vanis.
Jam ſurdus audit, quique cæcus & luſcus,
Jam perſpicacitate Lynceâ pollet.
Quicunque ſcabro lancinat fides ungue,
Audit Poëta (Jupiter Bone!) & Vates.
Et nos agamus hiſtrioniam talem,
Pellemque mentiamur hanc leoninam,
Intus bidentes ſimplicesque Bœoti.
Solatium eſt habere compares fati.
Neque enim ſilendum eſt. grande debeo nomen
TSCHERNINGIO, quod nulla forſan expungit
Et delet ætas. An negabitur gratæ
Hæc umbra mentis, impotes ubi vires
Majus recuſant? Pollicem integra pinxit
Quidam in tabellâ, corpus ut Giganteum

Artusque vaſtos & Cyclopicum ventrem,
Anguſta Ligni latitudo rejecit,
Manusque non eſt aſſecuta Pictoris.
Animo repoſtum eſt intimoque defixum
Latet receſſu, nec ſepulta erit noſtræ
Memoria menti, quam ſuperfluâ primos,
VIR AMPLE, iniquos ingenî tamen fructus
Laude ampliâris. Quid meretur infauſta
Themidos propago, tetricâque de Nocte
Extracta proles & caterva MORBORUM
Faſtidioſæ obtruſa nuper Aſtræa?
Decertet umbris vapuletque ſub flagro
Petulantis ævi! Sed Tibi inſuſurravit
Tam liberale candidus favor votum.
Ingrata inersque ſim ſaburra telluris
Et onus pudendum, nî minutulum ſaltem
Rependam amoris indicem & voluntate
Sola impotentem metiar facultatem.
O ſi lepores illi & elegans Linguæ
Rudes ſerenet ſuavitas mihi ſenſus,
Qua Tu patentes ſtringis ætheris tractus
Livore major, celſiorque plagoſi
Morſu cavilli, forſitan fatigarem
Alacriores in tuum decus Muſas.
O vive! vive! inæſtimabilis noſtri
Lampas Lycéi, clare municeps Pindi,
Et invidendæ pignus arduum famæ.
Plaudunt Sorores, & Pater ſtat intonſus
Tuæ beatum concinens melos luci.
Eat benigno purior dies cœlo
Redeatque fauſto ſemper auctior voto!
Morbi faceſſant corporisque ſubleſta

Soli-

Solidetur indies Tibi valetudo!
Pellatur omne, quicquid eſt aberrantis
Intus vaporis putriumque ſuccorum.
Quid ſtas Apollo? Confer ocius cunctas
Huc pyxides, & pharmaca atque ſuffitus
Anguisque ſpumas ſume nunc ſalutares,
Quodcunque gramen paſtor olim ad Amphryſum
Arabumque odoro carpis autor in rure.
Tuere civem. Poſcimus bono jure.
Cur Te Parentem nominas Poëtarum
Vitæque fabrum præſidemque ſanorum?
Is annuit quidem; ſed hacce mercede:
ÆSTAS ADULTA, dixit, indeque AUTUMNI
TSCHERNINGIANI gaza dives ad noſtras
Feratur aras, protinusque funeſta
Vati venuſto ſummovebitur labes.

AD

Virum Ampliſſimum & Nobiliſſimum

DOMINUM

ADAMUM OLEARIUM,

cum Hodæporicum ſuum Perſicum mihi donaret.

O Quantum tenui reddis pro carmine munus,
Clare Vir, & Muſis ſæpe canende meis.
Tot populos, tot regna, & tot mihi ſubjicis oras
Et mea tot terras Bibliotheca capit,
Ipſe meas admiror opes, lateque tyrannus
Imperio premo nunc nomina tanta meo,
Perſia nunc Domino, Te concedente, Poëtæ
Paret, & hæc plus quam Perſica gaza mihi eſt.
Morhofius per te Rex eſt, & munere tanto
Nunc præ Perſarum Rege beatus erit.

PROPEMPTICON
Ad Virum
Magnificum & Ampliſſimum
DN. JOHANN-OTTONEM TABOREM,
JC. celeberrimum, Sereniſſimi Ducis Meklenburgici Conſiliarium intimum,
Cum Gieſſam avocaretur.

JOHANNES OTTO TABOR JURECONSULTUS

Per anagramma ἔμμετρον

AH CUR IS ALIO? TUN, TOTO NOTUS ES ORBE?

PArum eſt, quod arctis Vandala Te Parens
Suſcepit ulnis, ſidere quod tuo,
O invidendum lumen ævi,
Nomineque eſt decorata tanta.
MAGNUS pependit, Magne TABOR, tuo
Guſtavus ore & robore conſili,
Princeps Diis prognatus ipſis
Et veteri fabricatus auro.
Cuſtodienda hic quæ tibi tradidit
Cati ſub antro pectoris, hæc fide
Seriphias æquante ranas
In tacitâ tumulaſti abyſſo.
Quò nunc recedis? quôve tuos rapit
Nobis honores Livor? *An altius*
Sectare Laudum culmen? At cur?
Totò etenim benè notus orbe es.

Quo-

Quouſque ſedes atque vagos lares
Figes refiges, ſoleque diſſito
Agros pererrabis calentes
Exul Hamaxabioque ritu?
Migras, remigras, dum tenet hæc, nova
Te terra poſcit. Maxima de tuo
Splendore pugna eſt. Hinc & illam
Invidet hic; cupit iſte palmam.
Ergo i beato ductus omine
Pronisque Diis & numine prævio,
Immota cum ſtet pertinaxque
Et malè flexilis hæc voluntas.
Laſcivientes arva Favonii
Libidinoſo pollice mitigent,
Viamque ſternant molliorem,
Rorifluoque fricent volatu.
Procul ſit udi myſtacis Africus
Nec rura lento contemneret luto,
Nec mejat humens per poroſum
Jupiter imbriferumque cribrum.
Sed ne tuorum & Vandalicæ Domus
Dediſce nomen. Nos ſequimur probis
Poſt terga votis, inclytusque
Conditus his Tabor eſt ocellis.

AD

DN. CASPARUM VOGTIUM,

Amicum optimum

Roſtochio abeuntem.

ENim dolemus & dolebimus ſemper
Migrationem, quam parabis, inviſam,

Amande Vogti, cujus optimum pectus
Animosque priſco ſcimus æmulos auro,
Imperviamque fraudibus malis mentem,
Et luculentos candidi genI mores
Probos, modeſtos, integrosque blandosque
Exoſculamur, rectiusque callemus
Quem, dum tenaci adhæſit intimus vinclo,
Sodaliumque vixit inclytum nomen,
Studiis calentibus, lubentiâ ſummâ
Inæſtimabilique amoris inſtinctu,
Et proniore concupivimus flammâ.

Subſiſtit inter denſa corruens vota
Nodoſâ arundo, jamque cuſpide obtuſâ
Has nænias extorquet & pigrum carmen
Faſtidientes ægrè abortit in chartas,
Heus nempe Vogti (nam dat hanc amor frontem
Et os reſolvit ejus alta libertas)
Iraſcimur: nec dicimus joco quodam.
Iraſcimur, (fatemur) haud levi facto:
Nam cur amori ſcriptitas dicam noſtro
Charisque vultibus tuum invides vultum,
Et his ocellis, qui ſibi intus impreſſum
Te geſtitarunt, propriumque dixerunt,
Et his lacertis, queis, Amice, Te noſter
Metitur ardor inſolubili nexu?
Cur nos ſinamus ſingulare depoſitum
Et ſuave nobis iſtud eripi pignus,
Bolumque pinguem è faucibus trahi plenis.

Quo namque vadis? ſævus ambulat campis
Hinc inde Mavors & potentibus turmis
Cœli ſuprema miſcet infero Diti.
Glomeratur eheu vaſta gentium turba.

Jam-

Jam fœta murmurat ſuper caput nubes
Imbremque nobis jam propinat infauſtum,
Sudat Pyragmon brachiumque Brontæum
Succumbit armis fabricæque telorum,
Nec ſufficit claudi officina Vulcani;
Nam flamma flammam trudit & catenatâ
Serie cruentus perſtat ordo bellorum.
Patet cicatrix priſca. Vulnus antiquum
Rurſus refrictum eſt, impotensque Bellona
In Teutonum ora verſa conferet tela.
O perditam rerum figuram & horrendum
Secli cadaver, temporumque rupturam!
Nec præbet angulum orbis amplius tutum.
Hinc inde bellis barbaræ tonant gentes:
Pictus Gelonus, horridique Biſaltæ,
Hinc Ruſſus atrox myſtacisque prolixi
Alumni & acer Turca, Thraxque mitratus:
Solique ſi ſint illi, id eſſet haud nauci
Exiſtimandum: At iſta quod lues noſtrum
Pervaſit orbem lacrymis eget multis.
Pugnant Britanni, Cimbri, atque Laurentes,
Rhodanique potor, atque miles Hiſpanus,
Teutoque durus, atque ſidus Arctoum.
Hinc ſæpe latro fertiles tulit dextras,
Stetitque caſſus heu viator & mœrens.
Nonne hæc domabunt indomabiles ſenſus
Tuos & inter valla conditum & muros
Manere cogent, ut ſedere ſpectator
Poſſis malorum ſub quiete tantorum?
Sed eſto. verberamus aërem verbis
Et littori nunc obloquemur irato.
Preces manebit ille ſurdus ad magnas

Mi-

Migratque fines pertinaciter noſtros.
Sic ergo felix atque regio calle
Ad magna perge; ſeu paterna te tellus
Vocat merentem; ſubve ſole diverſo
Alti laboris debitam invenis metam.
O ſi patentis frena nunc daret cœli
Fortuna conſors abditis Deûm ſacris;
Tonantis Armiger reduceret nobis
Caput benignum; vel per æquor adductum
Nunc fraudulentus ſiſteret ſtatim Taurus.
Si quis beatus hunc revexerit currus,
Illum quadrigis anteponimus ſolis,
Cypridos Jovisque, queisque confidet Juno.
Si qui caballi; Cynthii ferox Æthon
Poſt hos ſedebit, Cyllarusque & Hirpinas,
Et Pegaſus, Boriſthenesque, Arionque.
Aut ſi qua puppis; hæc vocabitur noſtris
Argo Camœnis. Interim vale longum
Clamamus & benigna vota partimur.
Aſſume noſtrum pronus, æquus affectum
Satellitesque in claudicantibus Jambis.

IN
Honores Medicos
DOMINI
GEORGII FRIDERICI RALLII.

Qualis paternæ cultor improbus glebæ,
Quem prima ruri mancipavit inſonti
Ætas, ſeveraque horridi Patris cura,
Labentis anni computat graves curas

Non

Non finiendas, devoratque centenos
Agri labores; ſive vomere aut raſtris
Obedientem fecerit ſibi terram,
Et pertinacis mitiget ſinum Veſtæ,
Ridente cœlo, vel jocante Naturâ,
Aut tortuoſos inter Africi ſtatus,
Et murmurantes ætheris procelloſi
Iraſque turbineſque & invidos imbres.
Patitur pruinas, grandines, nives, nimbos.
Fatiſcit æſtu, Siriique frendentis
Morſu notatur: manat innocens ſudor,
Sacræque honeſtus indigentiæ victor.
Exhaurit omnem, avarus, impiger, lucem
Solidaſque miſcet ſæpe ſolibus noctes,
Dum rariore lumina imbuit ſomno.
Huic terra duram ſœpe ponit, heu! ſpondam
Daturque iniquum frigidi Jovis tegmen.
Mox quando ocellis advenit ſopor clauſis,
Statim ſonora gallus increpat voce,
Diemque dicit viva fabrica horarum
Monetque cœptis incubare jam penſis.
Atque hæc colonis indies patet ſcena,
Reciprocante ſemper actuum nexu
Notique circulo laboris æquali,
Sub præmii ſpe magna & uberis meſſis
Latente lucro. Id allicit pigras mentes,
Pellit veternum Murciæ oſcitabundum,
Induſtriæque membra nuucupat navæ:
　Sic viſa Diis ſunt omina atque fata?
Hæc nempe poſcit forma doctior rerum,
Conſultiorque matris ordo Naturæ:
Rerum nec audit illa prona decoctrix
Sua-

Suárum, easve turpibus locat mimis,
Probrisque ſecli, futilique Therſitæ.
Non. Sed quod abditis coërcet arcanis,
Et quæ repoſtis dona continet clauſtris,
Tegit, niſi illa extorqueat labor, ſudor,
Gravisque fervor, fertilesque conatus.
Monſtrat putamen, nucleum ſibi celat:
Nam quo quid optimum eſt, eo magis rarum eſt.
Stimulum paveſcat ille, qui legit mella,
Quo ſe tuetur nectaris ſui vindex,
Et præliatrix parva cerei regni.
Cui purpuratus tangitur roſæ fulgor,
Huic ſpina pollicem momordit incautum.
Sudamus omnes, perque caſtra Muſarum,
Niſu potente, fumigantibus membris,
Calente ſpiritu, tumentibus venis,
Laborioſi ad ſigna ducimur Phœbi,
Priusquam amœnas hoſpitum Camœnarum
Sedes petamus, glorioſaque excelſi
Theatra Montis, & tribunal auguſtum,
Et miſceamur literariis Divis.
Nempe hoc fatetur ille, cui caput lambit
Dîs nota laurus, quem per ora nunc vulgi
Fert invidendæ maximus decor famæ.
Dic, Clare Ralli, nonne Te virum fecit
Labor atque cura, juſtaque flagellatrix
Siſtens anhelas proximas polo mentes?
Vidit Sedinum, curioſa directrix
Studiorum, & expetita Delii ſedes.
Fovit juventam hæc, finxit, auxit, expreſſit,
Formavit & perenne pignus inſcripſit.
Dic, Witteberga, fare, quo tuum vultu

Su-

Suſcepſti alumnum & æmulum ſuæ matris?
Scandis tribunal diſputator, ô Ralli?
Non ſtas inane nomen & jocus vulgi,
Nec umbra pulpiti atque turpis appendix:
Sed copioſæ pullulans furor linguæ
Et inuſitata Suada fervidas mentes
Stupore mactat omniumque fert plauſum.
Hinc ſumma quævis ſummus Entium myſta
Scrutaris, & receſſibus ſophûm vaſtis
Tenebricoſas artis eruis primæ
Profunditates, ſchematumque cunctorum
Seriem & medullam mentibus modo abſtractam,
Quo jam triumfas & per ingenî ſcripta
Jam notus ævo es altiusque ſubvectus.
Hinc viſcera intras corporumque per cauſas
Vagaris indefeſſus atque per formas
Rerum fatigas inclutum genî robur
Ad alta natum: ſive quæris in cauſæ
Quaternionem fertilemque mixturam;
Seu inſolentum cœca flabra ventorum;
Seu fulminum vim, grandineſque ſaxoſas
Pervadis; aut quæ ſervat inferis Pluto
Metalla venis, quotque graminum late
Toto ſatorum continet ſolo tellus.
Dehinc patentes artium omnium partes,
Et latifundium omne totus expleſti,
Sophiesque militator aptus es Laurum.
Sed nunc Rhodanthe duplicat tibi laurum,
Et Æſculapium ſalutat inſignem.
Gratamur, atque fauſta promimus verba;
Salve modimperator alme morborum,
Sagaxque terræ pyxidos triumfator.

Lega

Lega hanc ad Indos atque Caucaſi tractus
Inhoſpitales, corporisque juratos
Fac perduelles ingredi bonam pacem,
Veſpillo plorat nunc, & æra qui pulſat
Charonque cui tu debitum eripis naulum,
Et præficarum næniis es inviſus.
Medere morbis. Dii tibi duint unam,
Manus tibi quæ conferat ſalutares.

AD
DOMINUM
D. LAURENTIUM BODO-CKIUM,
Sereniſſimi Principis Mecklenburgici
DN. CHRISTIANI Natalem
Oratione celebrantem.

NUnc ſalva res eſt. Fortioribus talis
Stant Eruditi. Sors benigna Muſarum
Viſit penates. Æſtimatur HEROE
Virtus ab uno & fama literatorum.
Enim fatemur & fatebimur verum,
Nec ora pingui lævigabimus fuco,
Ceu Gloſſogaſtores levesqne palpones,
Scurræque, ceu illiberale poppyſma,
Bombumque, qui tibicinem ſonat buccam,
Proflare gnari. non. Sed ipſa res clamat,
Silente nobis, quam BODOCKIUM NOSTER
AmâritHEROS.Unico hoc in exemplo
Stat norma veri & inſtar hæret auguſtum.
Et jure amavit. Vidimus VIRUM celſis

Lu-

Luſtrare pennis æthera atque per vaſtos
Scientiarum multiformium calles
Plus militari pervagarier paſſu.
Frons illa Pindum nutrit atque Permeſſum,
Sinuque parvo celat integrum fontem.
Nova his Minerva continetur in clauſtris,
Sacri cerebri ſacroſancta fœtura.
In hoc reſedit, quicquid aut Stagiritæ
Præcepta condunt, aut Ariſtocles grandi
Depromſit ore, braſſicæque cænator
Ex lege muto dictitaverat vulgo.
Aſtræa virgo jurium dedit fontem,
Mentesque legum diſſecare nodoſas,
Tricasque ſegnes noſſe, quæ vel anfractu
Cœlo-volantem plexili tenent Fabrum.
Sed parva dixi, ſi fluenta ſermonum
Et elegantis ſpecto cymbalum Linguæ,
Os Tullianum, vimque fulminatricem;
Quâ vel medullam ſtringit & penetrale
Terebrat imum; vel repellit infamis
Contagium ævi, Sennonesque Brennosque
Verres, Cethegos, Clodiosque Syllasque
Diris propinat, pumicatque veſani
Morſu flagelli; ſive mollior Suada
Frangit ferocientis impetus vulgi,
Dicitque feſto feſta vota Natali;
Seu lenta magnificos inundat in manes
Ferale murmur humidosque ſingultus;
Seu inter aſtra ſpiritus tumens vectat
Regale ſceptrum, ebuccinator Heroum
Et maximorum nominum propagator.
Fama eſt, BODOCKI, nectar in tuis primum

Fixiſſe labris, ceu Platonicis quondam.
Mellis magiſtras, floriſugulum vulgus
Te ROMA quondam Jupiterque Tarpejus
Et longa turba punicantium Patrum
Hiante captans ore & auribus pronis,
Lubenter hauſit. Fertur inclutos Tullî
Saltaſſe manes, ut potentis heredem
Sensêre Linguæ. Te tuus VLADISLAUS,
Te FRIDERICUS, Cimbricæ Pater terræ,
Te ARCTOA PENTHESILEA ſplendido quondam
Suſcepit ore maximisque mactavit
Honorum alebriis opumque congeſtu.
Quotiesq; NOSTRI PRINCIPES ſerenata
Aure imbibêre gratioſa mellitæ
Pigmenta Suadæ! ſive Te quiritare
Sublime fatum & arduas jubent urnas;
Seu laureis amica promere effata.
Pari celebras voce feſta præcelſi
Nunc CHRISTIANI, queis amabiles vultus
Oſtendit orbi luminisque ſpiramen
Sacro reciprocare cœpit attractu.
Diis ille cordi eſt, ille Diis ſatus PRINCEPS,
Atlas ruentis ævi & alta ſanctorum
Menſura morum pectorisque cretati,
Quem non Alaſtores, nec ora ſcabroſi
Pudenda ſcurræ, Cerberique latratus
Læsêre, vel calumniantium morſus.
Dentem is repreſſit prurientis inſultûs.
Silent ſepulti nocte ſub pigrâ cœci
Tenebriones ac hirudines famæ.
Ceu cum marina proximis coronata
Rupes ſtat aſtris & reconditum Ditem

Pedi-

Pedibus fatigat; non eam quatit fervor
Furentis undæ & turgidum ferit murmur:
Sed hæc reſorbens impetus hebeſcentes
Senſim cadit ſuosque mox retro ſpumans
Confutat æſtus turbinesque diſpellit.
Virtus moveri neſcia eſt & obliquos
Difflat vapores; ceu ſuperfluas Cauri
Verrunt arenas, Cynthiusque viroſos
Telo trucidat fortiore Pythones.
NULLI RETUSA PALMA SUBJACET PLUMBO.
Vovemus omnes undequaque fortunas,
Magnoque PRINCIPIS vacare Natali
Pietas requirit imperatque amor juſtus.
Lux fauſtiores hæc relapſa per gyros
Benigniori ſemper ardeat vultu,
Vitamque arenæ conferat Sibyllinæ.
At tu, BODOCKI, qui potenter armaſti
Ebullientem in Principis decus Linguam,
O eſto ſalvus! næ! tuâ cluit felix
A laude DUX, quam deeſſe fleverat magnis
Pellæus auſis. Tu tenaciter contra
Defioculos & in propaginem lippam
Tua ſpicla ſtringis inque terga Momorum.
Rependat iſtam & duplicet Tibi PALMAM
Generoſus HEROS atque concatenato
Augens honore, proſperos tibi ſpiret
In vela ventos & Favonios famæ.
Hæc gratulamur, apprecamur ex imâ
Nunc mente: nam fide haud-poëtica veſtris
Juramus aris: Vota noſtra ſtant recto
Firmata talo; haud iſte claudicat SCAZON.

IN
Summos Honores Juridicos
AMICI.

NAm quid moleſtis perplicarier tricis,
Aut quid vetuſtos reptitare per libros,
Monumenta mille, & tot voluminum claſſes
Juvat, niſi æquus illud arbiter ſpectet?
Primum benignam derelinquimus matrem,
Et quos ſagaci nuper hauſimus lacte
Dediſcimus ſonos, & ora diverſo
Damus Quirino, vel renaſcimur *Grajis*.
Jamque in profundas totus irruit noctes
Solemque vincit antegreſſus Eoum
Muſarum alumnus, diligensque ſcrutator.
Dehinc latebris implicata millenis
Per ſcripta repit arjetatque non ſano
In hæc cerebro: ſeu latentibus cauſis
Inſudet, aut ſe celſioribus pennis
Per alta rerum culmina & gradus tollat;
Aut ſe ruenti ſeculo locet totum.
Sic jactitamur in ſcientiæ ponto,
Nec invenimus, quem requirimus portum.
Quæ diſputata credis atque defuncta,
Obliviosos rurſus exuent manes.
Sic diſcimus, quæ ediſcimus tamen nunquam
Agimusque Siſyphi reciprocum pondus.
Tu teſtis eſto, ſplendidum caput Phœbi,
Legum ſatelles, pignus integræ Aſtrææ,
Quem ſancta dudum deſtinat polo Virtus,
Et excitatis Fama ſubvehit pennis,
Quot Cynthia inter parietes tuos Privos

Tirynthias vel devorare Te noctes,
Seboque vidit Diis litare fumoſo,
Et tardiorem mox præire Matutam,
Ut rite tortos jurium ſeces nodos,
Et impeditos legis eruas ſenſus,
Et juſſa prodas (heu!) cadentis Aſtrææ?
Ergo, inquit ille, quem Novenſiles Divæ
Circum coronant: Ferte nunc meam laurum,
Frontemque dignam fronde cingite æterna.
Eſt hæc Rhodanthe carior mihi Delphis,
Cui ipſe poſtpono ſacrum Aonis montem.
Huc noſtra Virgo Diva perfidis quondam
Subducta terris, expetita conceſſit,
Multaque ſerio vocatur à plebe.
Hic præſes ille paſcet inclutum vulgus
Sanctamque nigris nubibus Themin ſolvet
Vetans Honeſti deviare de calle,
Et innocenti obeſſe verbere aut verbis,
Suam at cuique deputare mercedem,
Ut Mævius ſuum ferat, ſuum Cajus.

IN OBITUM
maximæ ſpei juvenis
DN. HENRICI BORNII.

FLOS JUVENUM noſtro quondam gratiſſime Pin-
Quæ tam ſæva tuum decutit aura decus? (do,
Vix tua ſe noſtro radix ſolidaverat horto,
Jamque, reciſe, diem deſeris ante diem.
Vix roſeis Te noſtra Parens ſuſceperat ulnis;
Et cineri flores ſpargit acerba tuo.

Heu mihi! queis demum ſecurè fidimus annis!
Sic ipſo nullum in robore robur erit!
In medio Tibi vita, ſed haud invita, vigore
Perditur, & juveni mors tibi nubit anus.
Alta Tibi juvenes mens dudum emancipat annos,
Prævertisque puer non ſine laude ſenes.
Prima tibi pergit ſtudiis felicibus ætas,
Totus & ipſe tuus Phœbus ephebus erat.
Semper diſplicuit, gravidis quæ turba culullis
Obſtetricantes addere docta gulas.
Scilicet occultas fovet amphora cœca charybdes,
Et jugulum plus quàm perfida ſica petit.
Non benè cum Baccho Pallas, non thyrſus & ægis
Convenit. Hæc cerebro gignitur; hic femori.
Eluitur doctus Lenæo flumine pulvis
Caſtaliis potius conſolidandus aquis.
Te non tempeſtas calicum, nec hians ampulla
Obruit, aut ſudum perpluit uda genI.
Non vetitos paſſus tibi ſerpere Cypridos æſtus,
Non per laſcivam ducta juventa Paphon.
Non Tibi quisquiliæ juvenum, non commoda ſpleni
Pharmaca, vel gerræ complacuêre leves,
Non picturati tibi, chartea Numina, Reges
Otia Muſarum ſurripuêre ſacris.
Alea non placuit, non teſſera jacta, fugisque
Damnoſum cane Tu pejus & angue Canem.
Ducebas doctas per ſpiſſa volumina noctes,
Non tibi funereo torpuit hora ſitu.
Te Matuta ſuo vigilantem perpluit auro,
Quaque ſacer mentem provocat ignis, abis.
Sed quid tanta Tibi, juvenum lectiſſime, Virtus
Profuit, extremum ſi cadis ante diem?

Fata ſolœciſmum faciunt, naturaque fines
Subruit, indignâ dum ſibi morte placet.
Splendida mœſtorum perierunt vota parentum,
Decollatque bonæ nunc caput, ecce! ſpei.
Heu quæ lingua tacet! qui nunc clauduntur ocelli!
Quæ nunc in nodos heu coiêre manus!
Tu patriam, BORNI, præceptaque ſidera mente
Hinc procul arcano limine rurſus adis.
Quæ Tibi transmiſſa eſt ævi pars prima quietis
Paſſibus, æternos nunc ſubit illa dies.
Sic nobis ſidus ſphærâ breviore rotarum
Occinit, inque orbes volvitur usque ſuos,
Jamque novo lucet, cum nos non cernimus, orbi.
Non pereunt, alias quæ ſubiêre vias.
At Tu, quæ firmis incauta juventa lacertis
Fidis, in exemplum hæc funera verte tuum.
Ne tibi ne ſeros cras cras ſpes crocitet annos.
Quam turpe eſt Corvi gutture digna loqui!
Cygni more tuis tibi præcine præfica fatis.
Candida ſic mens eſt, quæ modò nigra fuit.
Non, ſi genua virent, bene ſi lateri pedibusque eſt,
Exulat abſtruſæ cauſa maligna necis.
Ipſæ morte tument nobis intercute fibræ,
Inque omni bôlo ſemina mortis erunt.
Ipſe tibi mortem propinas, funera prandes.
Tu mortem, Te mors inſidioſa vorat.
Inſerpit tacitis rodens mors morſibus artus,
Et quam non ſentis reptilis aura nocet.
Hic, quem ſpiramus, non eſt edentulus aër,
Membraque funeſtis carpit operta notis.
Seu abſis peregrè, ſeu ducas pectore ſomnos,
Mors ſemper vigilat; mors tua ubique domi eſt.

Ergo memor mortis, per quam tibi vita paratur,
Diſce mori ſemper, ne moriare ſemel.

IN
Rectoratum Academicum
DOMINI
MICHAELIS COBABI,
Parod. ad Od. 12. lib. 3. Horat.

EPhororum eſt, neque amori dare frenum,
Neque turpi mala peplo tegere; aſt ex-
ſtimulari reprimentes fatui crimina Vulgi.
Tibi ſceptrum Pataræ pater aulæ,
Tibi faſces operoſæque *Themiſtos*
Solium offert reverendum ſpatioſi Schola Varni.
Eris ipſo melior nam Rhadamantho,
Neque donis, neque ſegni prece victus,
Neque limo, rutilis quem Tagus elavit in undis.
Catus eſto per amuſſim fugientes
Agitato pede Verres revocare &
Super Hybles recubantem alveolis pellere fu- (cum.

In Nuptias
D O M I N I
D. JOHANNIS BERNHARDI
ZINZERLINGI,
&
MARGARETÆ ELISABETHÆ
BESELINIÆ.

ZINZERLINGE, novos tibi non gratabar honores:
Nunc ſit honor felix hôc in amore novus!

Sic

Sic Themidos lauru myrtum Venus implicat: ex quo
Crevit honoris amor; crevit amoris honos.
Gratulor ex animo, tibique ut ſine labe parata eſt
Gloria: ſic & amor ſit * *ſine labe* tuus.

* *BESELINA anagr. SINE LABE.*

IN
Lauream Doctoralem
DN. MICHAELIS PANCRATII.

VIr bonus & Sapiens uno minor eſt Jove: Tu par,
Si cauſam quæris? diceris omnipotens.
Trita quidem Vox eſt: non omnia poſſumus omnes.
Tu quia cuncta potes: Doctor & eſſe potes.

IN
DOMINI
GEORGII NICOLAI ERASMI
Libros Triſtium,
quibus in militum rapinas invehitur.

VIncere Tu populos poteris hoſtesque malignos,
Et vero dici nomine Nicoleos.
Furta patrat miles non amplius atque rapinas:
Stigmata nam veſtri Carminis ille timet.
Verba ligas vinclis, queis ultor furibus inſtas.
O utinam illorum vincula colla ligent!
Archilochi jambus laqueo mulctaſſe Lycamben
Dicitur: O Satyris fac idem, Erasme, tuis!

II.

GRammaticis, quaſi ſit ſine threno, Strena putatur
Dicta, ſed heu! threnos dat tua Strena meros.

Grammatici dicunt, ſed tu contraria ſcribis:
Grammaticam fallunt triſtia veſtra fidem.

III.

ET lætus læto & ridens ridentibus adſit,
Alterius lacrymis illacrymare decet.
Sic & ego Heraclitus ero, cum triſtia ſcribit
Carmina, cum ſcribis ludicra, Democritus.

In Ejusdem CACUM.

CUr teneras pravo fœdaſti nomine chartas,
Pagellamque tibi Cacus utramque facit?
Inſpexi librum: Cacus undique & undique Cacus.
Omnia pene Cacus verba κάκιστος habet.
Quam pulcra ô dixi tu carmina fundis, Amice,
Sed nollem tamen hoc eſſe cacata Caco.

In Nuptias DN. DANIELIS LESCHII, & DOROTHEÆ Müllers/

Dorothea **per Anagr.** ***Orta Deo. Te Adoro.***

SI modo converto pulcherrima nomina Sponſæ,
Orta Deo eſt, quis in hâc non quod *adoret* habet?
Nomina miſcemus vulgares ſæpe Poëtæ,
Ut converſa alium dent elementa ſonum.
Tu modo, Sponſe, tuæ rem miſce & nomina Sponſæ.
Pulcrius ô multo tunc Anagramma facis.

IN
JOELIS opera Medica
à
BACMEISTERO Patre primum,
& deinde Filio edita, Epigramma, quod ad
emblema Libro præfixum, quo velo tecta JOELIS
imago ab utroque BACMEISTERO
retegitur, alludit.

AD
DOMINUM
D. JOHANNEM BACMEISTERUM. F.

QUod natura tegit, Joelis cura retexit:
Ergo nec hunc totum fata ſuprema tegant.
Ne tectus lateat, vos ſiſtitis ecce videndum,
Hic per vos orbi nunc patet, orbis ei.
Reſtat imago Viri, docta depicta papyro,
Sed quis & hujus erit, ni retegatur, honos:
Veſtrum opus hoc, per vos huic gloria poſtuma ſurgit.
Vos plus quam medicam contribuiſtis opem.
Prima tuo debet nam, Bacmeiſtere, parenti
Nomina, jamque à Te fama ſecunda venit.
Quanta vel hæc pietas, vel quæ miracula? vitam
Das Tibi, das aliis, dant aliique Tibi.
Mortales jam vos non credo: mors etenim una
Ne noceat, poterit vita juvare triplex.

In Exequias
DORSCHEANAS.

DOrſcheus moritur: mera fulmina dico, Quirites,
Vellem: Sed nequeo dicere plura. Sat eſt.

In

In Obitum
Filiolæ
DOMINI
D. JOHANNIS LEVINI
FERBERS.

ALba liguſtra cadunt, nimium ne crede colori,
Floſque diem fato præveniente perit.
Eripuit pulcrum tibi nox ſuprema colorem
Parvula, nunc turpis pallor in ore ſedet.
Parvula, quod perdis color eſt, & imaginis umbra,
Ad ſpeciem tantum (cetera ſalva) peris.
O felix fatum! velut illa noviſſima cœlo
Exiit, hocce viâ nunc propiore petit.
Quo progreſſa minus, facilis magis inde regreſſus.
Quoque minor moritur illa, minus moritur.

AD
DOMINUM
JOACHIMUM ROPERUM,
Conjugem,
poſt partum gemellum tumulo
condentem.

SIc pia Ropero conjux Chriſtina marito
Poſt geminæ partum languida prolis obit!
Debuit hæc animam, ſed non niſi debuit unam.
Hanc unam ſoli reddidit illa DEO.
Jamque duas reddit non debens illa marito,
Dum pereundo parit, dum pariendo perit.
Sit ſemel ille miſer, natis nunc inde gemellis,
Bis tamen hic felix; ter tamen illa pia eſt.

IN

IN OBITUM FRIDERICI GOTHMANNI, J. U. D.

ERgo, beate ſenex, letho hunc colla vocanti
Subjicis, & placido pectore fata ſubis,
Victurus moreris, vixti moriturus, & æquo
Semper habebatur vitaque morsque loco.
Tu ſimilis tibi ſemper, & inter jurgia mundi
Secura placuit poſſe quiete frui.
Maluit in portu tua vel prope littora navis
Stare, nec infidi damna timere maris.
Hinc quia ſub portu ſtabat, littusve legebat,
Ecce! viâ portum nunc propiore petit.
Vita tibi tranquilla, nec injucunda ſenectus.
Dulce fuit tibi ſic vivere, dulce mori.
Non vitæ valdè cupidum mortisve prehendit
Mors neque lenta nimis, nec violenta nimis.
Tu poteras, quia ſic voluiſti, vivere; ſed nos
Ut quimus, quando non licet, ut volumus.
Ergo, beate Senex, quia vivere ſic voluiſti,
Credibile eſt quoque, Te ſic voluiſſe mori.

Conjuges συναποθνήσκοντες

IN

DOMINUM

D. NICOLAUM EGGE-BRECHT, & MARGARETHAM KICH-LERS,

ſimul elatos.

Sic

SIc verè fato pendent connubia ab uno,
Qui vixêre ſimul, ſic obiêre ſimul.
Nunc capulum tenet hoc, quos copula junxerat una,
Vultque Virum Conjux tam bene juncta ſequi.
Jungitur illa ſuo quoque nunc poſt fata marito,
Ne viduata Virum perderet, illa perit.
Felices animæ, quibus æthereos hymenæos
Integrat æterno fœdere junctus amor.
Omnia quæ ſolvit, Vos non Mors invida ſolvit,
Nam vobis ipſo in funere conjugium eſt.

In Quendam
de
Origine linguarum,
Præside
DN. D. HENRICO SCHÆVIO,
diſputantem.

ELinguem gerit ille nempe linguam,
Qui fari potis eſt, nec unde fandi
Nobilis pateat origo, novit:
Velut pica ſonora, lingulaca
Erudita ſonos ciere caſſos,
Æmulos licet altioris auræ;
Tibi ſobria finxit ora limus,
Dum linguâ retegis potente linguas,
Cui limatulus elegantiarum
Linguarumque pater, pater leporum
Adſiſtit comes, allicitque Muſas.
Ergo dicite: quod decus manebit
Noſtrum? Fama vehet per ora docta,
Et loligine mox perenne nomen

Man-

Manſurâ linet arduum papyro,
Et, quæ gloria, quæve fama SCHÆVI. E. ÆVI.

IN
Nuptias Theologi
Novi Anni tempore
celebratas.

DUm renovata novus migrat per ſidera Titan,
Majoresque quatit clarior ipſe faces,
In flammas tu totus abis: nam tæda paratur,
Altera, jamque novo rurſus ab igne cales.
Sis felix, & ceu bifrons videt omnia Janus,
Hinc Cathedram; Sponſam dirige at inde tuam.
Nunc ſimul optati primordia comprecor anni.
Sed fœcunda magis gaudia finis habet.

In Nuptias
D O M I N I
HENRICI STENDELII
&
ELISABETÆ München.

REs nova Stendeli! *Monacham* tu ducere geſtis.
Sic nec ſolus eris, ſola nec illa manet.
Sola fit hæc, ne ſola ſiet, res mira! poteſque
Ducere Tu *Monacham*; nubere Tu *Monacho.*
Omnis erit *Monachus*, quiſquis volet eſſe Maritus,
Et *Monacha* eſt uni conſociata Viro.
Namque Vir unus erit, conjux etiam una, & in uno.
O dupla ſimplicitas! ſimplaque duplicitas!

IN

IN
Quendam, qui poſt biennem carcerem

Nuptias parabat.

Scriptum alieno nomine.

UT legi! ut riſi! nova nunc in vincula, Amice,
 Conderis & Veneris carcere clauſus agis.
Invenit ſpes ſancta vias egitque triumfos,
 Nec fors immeritum ſtravit iniqua caput.
O rerum fatique vices! jam volvitur annus,
 Cum ſpinis noſtræ Te implicuêre Roſæ.
Adfuit atque tuos juvit mea cura labores,
 Et dedit impigrâ ſedulitate manum.
Nunc cum Te roſeis ſervat nova *nupta catenis*,
 Auxiliatrices reſpuis ipſe manus,
O felix carcer! felicia vincula! quæ Te
 In placida implicitum brachia & ora tenent;
Odryſium tales Martem tenuêre catenæ,
 Retiaque, à claudo quæ fabricata Deo,
Cum jacuit nudis Cypris interpoſta lacertis,
 Et furtiva ſacro miſcuit oſcla toro.
Illa ſit ergo mei concors ſententia voti:
 Carcer uti ille tuus ſit tibi perpetuus.

In Quendam

Poſt Honores in jure ſummos matrimonium ineuntem.

POſt Themidos Cathedras thalami quoque diſcere Jura,
 Juris & exemplum Tu cupis eſſe tui.
Scilicet exiguis cathedræ rixantur in umbris,
 Et titulos tantum & nomen inane gerunt.

Diſci-

Diſcitur in thalamis ſolido quod robore pectus
Impleat, inque ſua ſimplice jura viâ.
Simplice namque viâ medium tranſire profundum
Cives ipſe tuos Juſtiniane jubes. *
Illas Naturæ jurisprudentia leges
Extudit: has rectè qui capit, ille ſapit.
Hinc an Naturâ conjux quis fiat; an arte,
Si quæras: prius hic aſſeret omnis homo.
Naturæ ſequimur pulcerrima ſemina, fitque
Naturâ ſolers; arte maritus iners.

* *proœm. Inſtit. §. 2.*

Excuſatio ad Amicum:

Quod Carmen non ſcripſerit.

FAllo Poëta fidem; neque ſi cum faſcibus inſtet
Lictor, iners ſua jam in vincula carmen agat.
Vexant ſæpe ſuos fata heu contraria Vates:
Nec furor in nobis cœlicus ille viget.
Nam furimus dilucida ad intervalla Poëtæ.
Cur nego jam Carmen? non, ego, Amice, furo.

In obitum DOMINI HENRICI RAHNII, JCti.

è ſermone funebri, ex illo Pauli 2. Tim. 10. v. 7. habito.

PUgnaſti *Rahni!* tuba te fatalis ab hoſte
Avocat, & ſummo ſub Duce Victor ovas.
Pugnaſti *Rahni!* non iſtis amplius armis
Eſt opus, aut victo reſtat ab hoſte metus.

Veniſti toti moturus prælia mundo,
   Et cognata tibi dimicat ipſa caro.
Vidiſti fraudes & technas Orbis & Orci,
   Omniaque hæc armis inferiora tuis.
Mortis opus tibi Martis onus bellumque parabat:
   Nunc etiam Mortis Mors potes eſſe tuæ.
Viciſti quoque Te (quo nil præſtantius) ipſum
   Ergo & Iô magnâ voce triumfe! canis.
Pugnandum eſt nobis in nos æternaque nobis
   Inteſtina patet bella per illa ſalus.

Epitaphium
Pueri aquis ſuffocati.

HIc jaceo, nunc terra tegit, quem ſorpſerat unda.
   Nil mirum hic: Undæ pars ego bulla fui.
Natus eram in terris, in aquis denatus. At ô vos
   Ne violate undis humida fata aliis.
Quod fluctu perii, luctu non indiget ullo,
   Nam ſacrâ lotus vivo renatus aquâ.

Aliud.

NOn ſatis eſt intus tot mortes paſcere, ab omni
   Parte ſolet letum mille venire modis.
Mox aqua ſuffocat, mox peſtifer inficit Aër,
   Mox Terra affligit, diraque Flamma necat.
Heu mihi! quam vana & fallacia ſunt Elementa!
   Nusquam tuta fides. Cœlo erit una fides.

In Nuptias

DOMINI

D. DETHLEVI MARCMANNI,

&

Lectisſimæ Virginis

HELENÆ WILDEN.

NOn male ſic venatus eras! jam præmia parta,
Et *Fera* vulneribus ſternitur icta tuis.
Ne ceſſa, *Marcmanne*, repertæ inſiſtere prædæ;
Non teli tactus: ſed manus ipſa capit,*
Quicunque eſt Dominus, poſſeſſor & eſſe laborat,
Poſſeſſæque tenax incubat ille rei.
Non animo ſolo, ſed re rem poſſidet ipsâ,
Qui plenum Domini nomen habere cupit.
Nondum tota tua eſt, à Te quæ vulnera ſenſit.
Si ſapis ergo, *Feram*, Sponſe, prehende tuam.

* §. 13. *inſt. de Rer. Div. Non aliter feram, quam vulneras, tuam eſſe putamus, quàm ſi eam ceperis.*

AD

DN. M. JOHANNEM HENRICUM DOMESIUM,

Amicum optimum,

Theologicè diſputantem.

HActenus in varias ſcrutator ſedulus artes
Ingenii impendis ſemina pulcra tui.
Jam plus quàm humanis ſuper æthera tolleris alis,
Divinamque oculo ſpem propiore vides.

Jamque Deus noſtrâ veſtitus carne pateſcit,
Cui Deus haud gravis eſt, nec gravis illa Deo.
Jamque vides vivos converti funera in artus,
Oſſaque primævæ rurſus ineſſe cuti.
Hinc Tibi felices animæ ſpectacula præbent
Dulcia, quas ſancto fert Deus ipſe ſinu.
Talia nunc nobis myſteria pandis amice.
Scilicet hæc animo pabula digna tuo!

In Nuptias
DN. MARTINI SCHEFFELII, & SOPHIÆ RANTZEN.

ORta fuit binas inter diſcordia Divas.
Iſta fuit *Pallas*. Sed fuit *illa Venus*.
Non equidem levis illa fuit: namque utraque Sponſum
Et *Venus* & *Pallas* dixerat eſſe ſuum.
Dixerat eſſe ſuum *Pallas*: mihi pallidus, inquit,
Jam puer ille fuit: *Cypris*: at eſto mihi.
Non erit, illa addit. noſtris ſudavit in armis.
Ipſa dabo Sophien. Non dabis. Ipſa dabo:
Diva Paphi ingeminat, tacitumque per oſſa venenum
Labitur incauto. jam mihi captus habet.
Quæ melior Sophie eſt, an hæc? an illa? Sed ipſe
Sponſus erit judex. non ego. tollo manum.

IN
THOMAM TILENIUM,
de hâc propoſitione, Deus eſt paſſus *diſputantem*.

CHriſtus homo Deus eſt, Deus eſt homo factus in uno,
Et carni Deus eſt, & caro juncta Deo.

Hic

Hic patitur mortemque ſubit, qui criminis expers:
At ſcelus hoc noſtrum eſt: Sed dolor ille Dei.
Hæc Tu nunc ſolers myſteria pandis, Amice,
Et recitat paſſum pagina docta Deum.
Quod paſſus fuerit, ſceleris quoque portio veſtri eſt:
Nunc tamen in paſſo gloria veſtra Deo eſt.

IN
Honores Philoſophicos
Quorundam Philoſophiæ Candidatorum.

Quid gratuitis eſt operis opus
Nil profutura abſumere tempora,
Inutileque Siſyphéum
Volvere pondus onusque niſu?
Cur pervicacem frangimus improbis
Mentem ſalebris, & quid in abditos
Rerum volutamur receſſus,
In proprium genium maligni?
Cur nempe noſtros hauriat impotens
Hæc cura ſenſus? nî quoque præmia
Æquante penſentur ſtaterâ,
Juſtaque profluat inde merces.
Nemo laborem pro nihilo ſubit,
Sit, torpidum quod pelliciat caput,
Manusque pigras ad frequentes
Promoveatque animetque opellas.
Miles vetuſtus menſtrua poſtulat,
Si denegantur, rite ſalaria,
Et lippus & tonſor ſuorum
Commoda juſta petit laborum.

Poſcit minerval jure puertiæ
Formator & Rex ſedulus: Obſtetrix
Rogare mœotrum haut veretur;
Nec meritum ſibi Nauta naulum.
Soſtrum Galeni filius & ſuum
Pinguis comiſtrum bajulus obtinet,
Poſtisque niceterium armis
Fortis avet benè præliator.
Quin caudicalis quem cuneo labor
Exercet arcto, ſole, diarium
Cadente ſumit. Jam quis ergo
Debita deneget hæc brabea
Jungenda veſtris proximè honoribus,
Secretioris corcula Delii,
Per tot labores parta, per tot
Difficiles animi ſaburras.
Veſtram ſecundent Numina gloriam,
(Miſcebo vota his candida plauſibus,
Felix ſit & fauſtum & beatum
Nomen id ipſaque res Magiſtri.

AD

Illuſtrem Virum

DN. CONSTANTINUM HUGENIUM,

Equitem, Zulichemi & Zeelhemi Dominum &c.

Cum ei quædam ſua Epigrammata offerret Autor.

VIr invidende, grande ſeculi ſidus,
Feliciumque gloria una Belgarum.

Qui

Qui per ſupremos remigem trahens pennam
Portaris orbes, ætheriquè manſurum
Longeque notum figis arduus nomen;
Seu nunc potentem, infractus, integer, CONSTANS,
Moderaris aulam, & inter abditas Divi
Statoris artes utili implicas juſtum:
Seu nunc ſereno involvis Aulicum Vate,
Saturve Numine & refertus infuſo
Tua corda Phœbo mitibus vacas Muſis,
Illuſtris OTIATOR, optimos ducens
Poſt terga vates, da tuos mihi vultus,
O Phœbe Belga, neve ſperne pagani
Raucum Poëtæ murmur, & rudes cantus,
Sed qui tuarum ad alta plectra Muſarum
Segnes reſidunt. Solvitur tuo à Sole
Ocellus iſte, pipioque ſtridentes
Fruſtra repono vocibus tuis jambos.
Fruſtraque ſtillat hæc mari tuo gutta.
Sed ne minusve indigniusve nunc dicam,
Nunc dico nil & amplius nihil dicam.
Sileo, ô HUGENI, & obſtupeſco, & admiror.

AD

JOHANNEM MAURITIUM POLTZIUM,

Cum de Amoribus Egregororum, incubis & ſuccubis, diſputaret, meque ad Opponentis munus invitaret.

ERgo mihi tecum, *Poltzi*, de dæmone res eſt?
Qualia nunc ſcribam carmina? ſcribo cruces.

Certemus potius de lanâ, ô Amice, caprinâ,
Aut aliud pugnæ, ſi libet, ede genus.
Nequam Amor ille quidem eſt, & nullo dignus amore,
Eſt tamen ingenio ſcriptio digna bono.
Stabo ergo ad pugnam facilis theſibusque ero doctis
Incubus ipſe quidem; ſuccubus inde tamen.

IN
Lauream Philoſophicam
AMICI.

QUas, ô Amice, Tibi, quas dicam carmine laudes?
Ipſa cui Virtus nomina pulcra dedit.
Ipſa Tibi ſurget ſine noſtro gloria voto,
Buccinaque ingenio eſt non ſatis una tuo.
Non diviſa Tibi ſed juncta ſcientia fulget,
Non uno dici carmine cuncta queunt.
Seu ſacra lingua ſonet: ſeu os Tibi Graja rotundum
Aut varios pandat mens ſpacioſa ſinus.
Omnia vel centum linguas aureſque fatigent,
Verſiculis non eſt par labor ille meis.

IN
Nuptias Logici
Carmen joculare.

ANte cluis doctus ſeptemplici in arte Magiſter,
Nunc in Amatorum ſorte Magiſter eris.
Non abſtracta agitas & res ſine corpore ſtantes,
Sed concreta placent, ſed ſociat placent.
Quam diſcenda Tibi eſt nunc definitio multa,
Multaque non Logicis Regula nota libris.

Quid torus, & quid amor, quid & oſcula, baſia, luſus?
Nunc juvat alternos edidiciſſe ſales.
Nunc *titulos* peccurre *decem*, *Subſtantia* Virgo eſt.
Quantum, ut ſtaturæ norma ſit apta tuæ,
Quale immenſa tenet? nam caſta, pudica, modeſta eſt
Donaque Virginei continet ingenii
Et Virtutes opes, Facit inde *Relatio* ſponſam
Teque facit Sponſum conditione pari.
Actio paſſioque eſt, ut amentur, amentque viciſſim.
Quando eſt nocturni temporis alma quies.
Aſt *Ubi* Lectus erit. Primi hîc læduntur amores.
Quis *Situs* ac *Habitus*, tu modo, Sponſe, ſcies.
Ergo agite & crebros lecto reputate logismos.
Hæc ſubſumta fuat; Tu modo Major eris.
His bene præmiſſis prodet complexio verum,
Nominet ut facilem puſio ſæpe patrem.
Sic ô *Syntheticâ methodo* firmetis amores,
Inſtituat triſtem ſero ἀνά - Parca - λυσιν

In Obitum
Viri Admodum Reverendi & Ampliſſimi,
DOMINI
MICHAELIS WATSONII
S. S. Theol. D.
&
in Acad. Kilon. Sacræ & Profanæ Hiſtor.
Prof. Celeber.

OCcidit, an credam? Vixit ſpes publica, vixit.
Dii meliora! fuit. Noſter Amicus obit.

Mens torpet calamusque ſtupet, dum ſcribere tentat.
Defuit officio mensque manusque ſuo.
Scribam elegos dixi & medio ſuſpenditur ore
Syllaba, nec numeros invenit illa ſuos.
Plorabo. aſt oculis lacrymæ luctantur in ipſis.
Hæc ergo tumulo verba ſuprema feram.
WATSONI (ſed quæ mihi nunc vox faucibus hæret?)
WATSONI (linguam quis tenet ergo dolor?)
WATSONI (tamen ecce gravi ſtetit os ſingultu)
WATSONI (en iterum vox mihi rapta fugit.)
WATSONI (quin dic tandem, dic lingua!) ſed ohe!
WATSONI (dicam, non queo dico) VALE

IN SAGAS

Poſt explorata Aquæ indicia Vivicomburii ſupplicio affectas.

QUisquis infamia hæc buſta præteris
Subſiſte, contemplare Viator.
Jacent heic vel jacuêre Cineres
Infamium Sagarum,
Quibus non abſciderunt vitæ fila Parcæ,
ſed ambuſſerunt.
Non jacent hîc in terrâ ſepulti,
Sed vel volant, vel pendent
Per terram ſparſi, ventis diſperſi,
Sepulti in omnibus Elementis,
ſed invitis & reluctantibus.
Dum viverent adhuc,
Noluit admittere Aqua igni deſtinatos.
Natura enim aquâ interdicebat igni addicendis.

Nec

Nec Aqua inutilia terræ pondera voluit eſſe ſua,
Quæ per ſolutionem in cineres debebant
fieri levia.
Natabant ergo, uti cadavera,
ſed viva,
Animâ ſua, divinâ ſc. imagine deſtituta,
Dæmonis imagine animata,
Eò magis mortua, quia ſic viva.
Quas ergo Sagas Aqua reſpuit,
flamma rapuit,
Quæ tamen ipſa, ut puriſſima
refugit impuriſſimum ſcelus.
Et
jure quidem
igne, quem exoſculabantur, Satyri inſtar,
comburuntur.
Quæ venerem nefandam hactenus exercuerant,
Veneris maritum ultorem ſentiunt.
Quæ Dæmones ardebant, nunc ipſæ ardent.
Tam calidus Dæmonum amor eſt.
Diabolus
Qui lucem & faces ad opera tenebrarum illis prætulit,
nunc lucem attulit,
ſed cum igne conjunctam.
Ipſe etiam obſcuriſſima hæc primus in hanc
Lucem & ignem protulit,
Ut verum ſe exhiberet Luciferum.
Digniſſimæ ſcilicet erant Dæmonum Veſtales,
Quæ igne ſuo perirent.
Quibus obduruerat à Dæmone animus,
Flammis debebat emolliri & liquefieri,
Ut funderetur hæc maſſa in novam formam.

Debebant ultimâ ignis anatome
diſſolvi in tot particulas,
Ut
Quæ ſe à Deo totas disjunxerant,
Nunc toti à ſe disjungerentur.
At ô miſeras!
Quæ editæ in lucem
ut hac luce extremâ perirent.
Quarum tenebroſam vitam
Luculentum hoc meritò inſequitur ſupplicium.
Sic ſcilicet filii tenebrarum & Luciferi
fiunt Filii Lucis.
Sic membra Eccleſiæ inflammata
cauteriis & flammis *abſumenda*,
Ne latius ſerperet incendium!
Nec divinæ imaginis igniculi alio igne
reſuſcitandi.
Diſce hic Viator
Quam ſubitò in ignem incidat,
Qui fumos Satanæ captat.
Nam flamma hæc fumo proxima.
Nomina earum obſcura ne quære & familias.
Infanda facinora, infandum nomen.
Quemadmodum illæ Majorum ſuorum
etiam ſic fumoſas habuerunt imagines,
Ita & hæ dabunt poſteris,
Non niſi flammis illuſtres.
Nec annos, nec dies illarum dicimus:
Quis enim quærat, quot annos vixerint,
Qui nunquam cœperunt vivere,
Sufficit unum diem extremum fuiſſe,
Cum ſinguli eſſe deberent

Suffi-

Sufficit unum diem combuſſiſſe illas,
Quæ ſingulos dies comburebant
Facinoribus flammas Plutonias merentibus.
Nec inexſpectata mors eſſe poterat,
Quæ ſemper fuiſſet tempeſtiva.
Non locus hic corporum reliquias capit.
Quæ apud pios loco nullo erant,
Nec loco hoc dignæ, nec loculo.
Jacent ergo ubique & nusquam
Omni loco excluſæ, nullo incluſæ.
Poſtquam cum iis res in illum rediit locum.
Abi ergo Viator.
Quas quæris non ſunt hîc, ſed fuerunt,
Quod indicant uſtulati illi pali,
Infauſtæ pyramides his quaſi tumulis
ſuperimpoſitæ.
In ventos vita receſſit & cinis.
Vides ergo hîc
Sepulcra ſine cadaveribus,
Cadavera ſine ſepulcris,
Sepulcra & Cadavera ſine titulis.
Ne precare illis levem terram,
Quæ gravis illis nunquam fuit.
Sed cui graves illæ fuerunt vivæ;
Et nunc poſt fata in cinere leviſſimo.
Ne molliter cineres quieſcerent,
Fiunt ventorum ſpolia.
Precare potius
Ut cœleſtes aliquando Phœnices
Ex hoc cinere reſurgant.

In

Quendam Semigrammaticum,

cetera rudem & indoctum, Viri doctiſſimi doctiſſima ſcripta Chartarum cacatarum convitio traducentem.

ABeſte Muſæ, abeſte Virgines Divæ!
Non Hippocrene nunc movebitur nobis,
Camarina tangitur, & Mephitis immunda.
Aures pudicæ abeſte, vos verecundæ
Procul eſte nares, crena dum graves fundit
Invita voces, quas ſceleſta, veſana,
Stercorea, mendax, ſpurca, fœda, viroſa
Cerberea, quas cacata lingua nunc voces
Vomuit cacatas. Hircimontius, Scrofa,
Matula, Suillius, ſacer Cloacinæ
Alumnus, is quo turpius nihil finxit
Natura, probrum dedecusque Muſarum,
Pus literarum, Struma literatorum,
Vibex bonorum, nominumque ſummorum
Impurus, audax, impudens flagellator
Viri Eruditi totque jam libris noti,
Quem fama cœlo conſecravit & ſeclo
Chartas perennes ævum in omne victuras,
Et promicondas lectionis immenſæ
Chartas cacatas ore dixit impuro.

Impure vervex, ſterquilinio effoſſe,
Cui anima fœtet tota, Cerberi ſpuma,
Canis proterve, ſus lutoſa, Spinturnix

In-

Inauſpicata, feculenta pravorum
Sentina morum, corve, bubo, ſublimis
Pirata famæ. Quid tenebrio tantam
Lucem laceſſis? quis tibi furór verba
Excuſſit iſta? verba? non lutum, ſordes,
Quas os latrinæ & Oris iſta latrina
Tui cacavit delibutum uti cœno
Tibi os fuit; ſic virgines habes chartas,
Quas concacaſti publico in loco, Scurra,
Quas nulla februa & ova nulla luſtrabunt.
Nemo hic oletum fecit in loco ſacro
Nemo auſus unquam. Tu quod auſus es ſolus
Scelus pudendum, Claudius quod haud ferret,
Quamvis crepanti viſus æquior ventri.
Quæſivit olim in ſordibus latens aurum
Maro: iſte ſordes ſtercoroſus in puro
Quæſivit auro. Quæ manebit impurum
Vindicta Scurram? quisve ludet hoc cœno?
Sed jam parata ſtrigilis imminet tuo tergo,
Diræque triſtes pumicant tibi lentis
Cutem flagellis, quotq; clunium quondam
Epiſcopus atque literarius lictor
In ejulantium nates epheborum
Virgas vibraſti, tot tuo, ſcelus, tergo
Morientur omnes, purpuramque prætexent
Regi Scholarchæ, parte corporis verſâ,
Quâ purpurandus ille parte cumprimis.
Sed fallor. iſta juſta non ſatis pœna eſt,
Quâ peccat, illa puniendus eſt parte.
Os rancidum magis reumque præprimis
An Os, an ánus? has cacaverat ſordes
Sibi maſticandas. Totus eſt homo inverſus,

Nec

Nec membra partibus ſedent ei juſtis:
Nam ſpirat ano animamque ductitat fœdam
Ani inquilinam hiantis, oreque excernit.
Ergo os coërceatur illud immundum.
Hoc irruat ſonora, ſpiſſa palmarum
Utraque circumfuſa parte tempeſtas,
Ni forte cœno hoc imbui manus nolint.
Non Thetys undis eluet ſuis ſordes:
Ut lotionem vincit anus; Os vincet,
Magis cacatum ano magis cacaturum.
Poſt fata dignas Æaco dabis pœnas,
Qui vel cacanti Cerbero ſupinatum
Supponere os jubebit iſtud impurum.
Sic nempe judex ponderabit hoc juſta
Bilance cœnum, talionis ut conſtet
Perenne jus, queisque ipſe ſordibus quondam
Gaviſus, his ad nauſeam uſque paſcatur.
Has prandeat dapes, avesque Phineæ
Novum his ſubinde largientur embamma.
Quod ſi placebit pœna ab hiſce diverſa,
Vertatur in Porcum lutoſus Elpenor,
Jubentibus Diis, vel Midas novus fiat,
Stultus Phrygum Rex auribusq; ſpectandus
Cacuminatis: non tamen Phrygum Regem
Vocabis hunc, ſed Copreum voces Regem.
Nil hic in aurum mutet, in lutum vertat,
Quæcunque tangit, quique odor ferit nares
Halet Mephitin, quale quid ſolent pingues
Eteſiæ, quæ ventre vagiunt imo,
Catasque nares vellicant ſono blæſo.
Quodcunque calcat, pro roſis lutum fiet.
Tactus ſub ipſo fœteat cibus dente,

Et

Et Cœna tota ſe reſolvat in cœnam.
Cum ſemet ipſum tangit, ipſe per partes
Hinc inde tactas totus ibit in cœnum.
Stercoreus ut ſit totus & lutum totus,
Sui ut ſit excrementum hic atque latrina,
Rectè ut cloaca poſſit ambulans dies.

In Cujusdam
Carmen Euchariſticum totum penè è Secundi quodam Poëmate deſcriptum.

POëta inepte, interque peſſimos prime,
Qui nulli ineptiis ſecundus exiſtis,
Cediſque cunctis arte in optimâ extremis.
Quid ô Secundi Carmen in tuos vertis
Uſus inepte, & iſta metra furaris,
Queis Euchariſticum tibi ſuas carmen,
Pro lauru adepta. De tuo puer belle
Largire, nec peregrina cæde vineta.
Secundus hic ſecundus atque fœcundus
Tibi fuit. Sed Tu parum verecundus,
Niſi videri fur modeſtior malis,
Quod in ſecundis tertiisque conſiſtas.
Sed quod Secundus Carmen optimè ſcripſit;
Tu peſſimum facis tuumque furando.
Malè purpura hæc centonibus tuis juncta,
Tua furta prodit, quodque nunc tuo debes

Carmen Secundo, non tui poteſt dici
Hic fœtus ingenI, ſed eſt ſecundina.

In
Librum ab Amico
donatum.

LIber venuſte, ſvavior mihi melle,
Aut ſi quid unquam dulcius cluit melle;
Manus benigna melleusque te Frater
Dedit tenacis teſtimonium flammæ
Firmique amoris. Ergo quando te volvo,
Repente tunc exoſculandum adeſt nomen,
Dulciſque Amici candidum colo pectus.
O cordis indiviſa dimidì fibra,
Erras, fugaci ſi putaveris chartæ
Ineſſe amorem: mente te gero ſcriptum,
Hic dum per iſta membra labitur ſanguis.

Ad Amicum
De Exiſtentia diſputantem.

DUm ſtrenuè ô Amice, volvis Entia,
Breve ſcribo Carmen: imò id unum: GRATULOR.
Non plura. Si neceſſitas non poſtulat,
Multiplicanda neutiquam ſunt Entia.

EPI-

EPIGRAMMATA

SELECTA.

Deus Creator.

O*Mnis ab* infecto factorum *naſcitur ordo,*
Facta infecta *creat nemo, nec ipſe DEUS.*
Aſt ex infecto infectus perfecta *creavit.*
Defectu effectum *eſt degener omne ſuo,*
Ergo ubi confectum *eſt, quicquid* defectus *ademit*
Infectus *Deus hæc cuncta* refecta *dabit.*

DEUS Mobile primum.

ESt DEUS in nobis, & hic eſt ceu mobile primum:
Nam velu: hoc ſtellas; ſic trahit ille homines.
Sed veluti retro labuntur ſidera: Sic nos
Omnes ſupremo cedimus à Domino.
Nos trahit ille DEUS; retrahit ſua quemque Voluptas,
Nî, qui nos traxit, retrahat, ille Deus.

In effigiem
Sereniſſimi Principis & Domini
DN. AUGUSTI,
Brunſvvicenſ. & Lüneburgenſ. Ducis &c. &c.

FAlleris exiguâ qui, Pictor vane, tabellâ
Tantum te credis claudere poſſe DUCEM.
AUGUSTO non eſt auguſtior ulla tabella
PRINCIPE, & anguſtus crede vel orbis erit.
Ille ſatus ſuperis & noſtri temporis Atlas,
Optimus Imperio, *Maximus* Ingenio,
Immenſum cujus genium non orbita ſolis
Terminat, aut ipſi continuêre poli.
Plus ultra mens iſta ruit, per ſidera rumpit
Ipſa, ac æthereas, quà data porta, plagas.

Sic

Sic miſtus ſuperis deſueti corporis uſum
Exuit, & morti vix patet ille ſuæ.
Nam vivus divusque ſimul conſortia cœli
Mente tenet, purus Spiritus & mera Mens.
Falleris, ô Pictor, non Dux tibi pingitur iſte.
Quo pingi Mentes ore, colore queunt?

Ad Lectorem,

De his Epigrammatibus.

AUdi quiſquis es, & proba, quod audis,
Culte, candide, docte, care Lector:
Et nequam & maleferiate Lector,
Audi, & concoque, ſi grave eſt, quod audis.
Ne me tam fatuum vocato Vatem,
Qui ſuos pedibus meris elenchos
Abſolvat. Peditem eſſe non neceſſum eſt.
Inveho magis, & vehor ſubinde
Falcatis, ut ego arbitror, quadrigis:
Nec ſola eſt Epigrammatum in libellis
Intuenda pedum figura: namque &
Dentes invenies in his & ungues.

Sapiens bifrons.

PRoſpicit eventus ſapiens, fineſque remotos,
Præteritosque ſimul reſpicit ille gradus,
Sit Sapiens Janus, quem nulla ciconia pinſat,
Omnia qui â tergo ſpectat & ante pedes.
Ille futura notat, ceu jam præſentia, & iſto
Ordine præteritum quodque redire videt.
Conſpirat cum fine caput: teres atque rotundus
Extremis Sapiens complicat illa ſuis.
Hinc nomen Grajis Cyclicum ante retroq; legendum.
Dicitur his voce in ſe redeunte ΣόΦος.

In Saltatorem.

Ἐγκυκλοπαιδεία *Saltatoria*.

EN quam ſagaci ſyllogismos hic pede,
Quas nectat usque & usque conſequentias,
Quas ille nectat usque & usque inſtantias?
Quodcunque calcat, ſi volet, fiet roſa,
Fœdumque olebit, ſi volet, ſtatim caprum.
Pedes rotantur mille per volumina,
Jamque eſt rotati ſyncope quædam pedis
Flexique rurſus hinc & inde Enallage,
Climax, Hyperbole, Ploce, Synecdoche.
Ut preſſum Homœoptoton impulit ſolum,
Hinc Antanaclaſis reverberat pedem.
Certa heic Strophe eſt, Antiſtrophe ac Epiſtrophe.
Poëticari jam leves dicam pedes:
Anapæſtus hinc ſalit; inde Dactylus cadit.
Spondæus inter hos decorus ambulat.
Sed addo plura. Pes quoque hic γεωμετρεῖ
Terramque ſignat, par & impar metiens,
Numeratque paſſus atque ſingulos gradus.
Mira indoles eſt illa, & ingenium pedum,
Et Encyclopædia, quosque non facit
Natura ſaltus, Ars benignior facit.
Quicunque tales ſaltitantes viderit,
Cerebrum habere juret in calcaneo.

In cujusdam Mellificium.

MEllificium ſcripſiſſe ſe novum Cinna
Jactavit; Ergo mella nunc legat fucus
Ignavus, & qui mella lecta furatur?
Non more apis mellificium paras Cinna,
Maleficium in Mellificio hoc patras, Cinna.

In Advocatum.

PRo molitore malam cauſam benè Ponticus egit.
Pontice, te fari miſſa farina facit.
Unius tua ſunt legum argumenta farinæ,
Suntque περὶ ἀλφίτων huic, nec minus illa Tibi.
Scilicet hinc eſt pinguis adorea, & Emolumenta
Dat mola Cauſidico, Cauſidicusque molæ.

Virgo Prætextata.

EN tibi purpureo toga cingitur extima cyclo:
Hinc prætextatam te bene, Paula, voco.
Ambit purpureus lippos tibi limbus ocellos:
Hinc prætextati ſunt Tibi, Paula, oculi.
Obſcœnas profers & captas improba voces:
Hinc prætextatum eſt os Tibi, Paula, tuum.
Omnia ſunt prætexta tibi, corpusque ſinusque.
Veſtis & appendix illa vel illa tuæ eſt.
Quam fueris prætexta, docet mox exitus ingens:
Nam de prætexto tela retexta docet.

Monarchia Ebrietatis.

CReſcit amor vini, cum ſumma potentia creſcit,
Et regni & vini jungitur usque ſitis.
Ebrietas ſummis comes indiviſa Monarchis
Adfuit, imperium quos penes orbis erat.
Chaldæos videas, Perſas Græcosque bibaces,
Ac in Romanis Plinius ipſe notat. *
Inde reor regno ſuccedens Teuto ſalutes
Tot bibit, imperio ne cadat ille ſuo.
Euge ô Germani! ne detrimenta capeſſat,
Lex ſuprema eſto publica veſtra SALUS.

* Plin. lib. 14. c. 27.

In Cinnam

Rabulam, & Judicem δωροφάγον.

I.

EST APER AUDITU, quando aures arrigit auri
    Tinnitus: nummo cor ſaliente ſalit.
Erigit hic animos, hic illi vellicat aures,
    Atque auriſcalpî fungitur officio.
Sic bene procedet res parte ab utraque dabitque
    Hic manibus nummos; auribus ille logos.
De famâ tamen is vivit ſecurus, & audit
    Jam malè Cinna bonis, jam benè Cinna malis.

II.

Porrrige ei nummos; non vincet ARANEA TACTU,
    Ungueque corripiet munera cœca cavo.
Sors cœca eſt, oculata manus: nam explorat ad unguem
    Pondera, & huc libram vertit avara Themis.
Scilicet iſta placent pinguis contagia dextræ
    Ære gravi dextræ dextra fidesque datur.
Iſta manum manus ungit, & hinc utrinque picatæ
    Manſuræ firmant fœdera juſtitiæ.
Auro inhiat tactoque intus ſibi plaudit ab auro.
    Auritus certe hic debuit eſſe Midas.
Omnia quod capiant, Pandectas dicimus. Ergo,
    Pandectas Cinnæ jure vocabo manus.
Iſta manus ſemper capit, & placet iſta chiragra.
    Non hic jus dicit, ſed mage χειροδίκην.

III.

VULTUR ODORATU eſt: lucri bonus illi odor ex re
    Qualibet, & naſum Rhinocerotis habet.

Ver-

Vertagus extento rimatur ſingula roſtro
Ad quocunque datum nomine munus hians:
Seu veteris vini nares flos afflet, aperque
Quadrupedumque adſit gloria prima lepus.
Sordidus eſt equidem, quia nulla huic munera ſordent,
Sed tamen emunctæ, credite, naris homo eſt.

IV.

Lynx Visu eſt, quoties nummi ſpes pulcra doloſi
Fulget, & aureolo cum micat igne manus.
Ille manus obſervans, transverſa tuentibus hirquis
Dona videt digitis non bene tecta cavis,
Si viſum fuerit, tum jus decernit, & aurum
Cum vidit, cauſæ fidit & ipſe tuæ.
Multis iſta tamen ſuper hoc ſententia lata eſt:
Qui circumſpecte judicat, ille ſapit.

V.

Simia erit Gustu, cum dantur edulia Cinnæ.
Pro guſtu juſtum temperat ille ſuo.
Da Vinum: hoc lene eſt; hoc acre, ſuavius illud
Dicet: ad hos juſtum diluet ille gradus.
Si plenum dederis Vas, Fas dabit hic quoque plenum;
Nec ſemiplenæ ſunt tua jura fidei.
Cui judex hic acerbus erit, os ſublinat illi;
Mollia tum fandi tempora Cinna dabit.

De
gravedine ad Medicos.

NOn mihi morbus erit, verum Medicina gravedo:
Nam cerebro ſordes excutit illa ſuas.
Sed tamen hoc Medicos doceo: nocet illa puellis:
At multum vacuos illa juvat loculos.

In
Senem quendam, qui, quod maſculus illi heres mortuus, puellam, ſpe recuperandi, ducebat.

QUid juvat, ah! ducta prolem ſperare puellâ?
Ut repares puerum, perdis, inepte, virum.

In
Phyllida.

Paſiphaë turpis flagrabat amore juvenci,
Improba nunc ſimili Phyllis amore tumet.
Idem amor ille quidem eſt; procus at diverſus amatur:
Paſiphaë Tauro jungitur; hæc aſino.

AD
DOMINUM
THEODORUM SUTERUM,
Conſ. Reip. Roſtoch.
cum illi Faſciculum Epigrammatum offerrem.

IMpoſuit, *Sutere*, Tibi Reſpublica faſces;
Sed poſſum tamen hunc addere faſciculum.

Epitaphium Meretricis Gelliæ.

NOctes Gellius Atticas amabat:
Noctes hæc Aſiaticas amabat.
Noctes Herculeas amabat illa.
Noctes Cimmerias amabat illa.
Iſtis Gellia noctibus jocari,
Totis noctibus illa baſiare,
Totas ludere ſuevit illa noctes,
Putidoque calens jacere lecto:

At

At nunc in gelidâ repoſta tumbâ
Jacet quæ jacuit libenter olim,
Cui olim vigilata multa nox eſt,
Non eſt perpetua una dormienda.

In
Impudiciſſimam Feminam Barbaram.

NE blandire mihi, ne porrige; Barbara dextram;
Ulcus enim nolo tangere, nolo picem.
Qui te cunque tenet miſer, haud tenet ille ſupremâ
Aure lupum, medio ſed tenet ore lupam.

Bähren-Häuter.

Ad
Amicum Urſulam uxorem ducentem.

URſinis jacuit Germanica notio quondam
Pellibus: unde pigris nobile nomen erat.
Cumque, ô Amice, tibi fiet Urſula juncta marito,
Incubus Urſinæ tu quoque pellis eris.

Dii hujus ſeculi.

IMproba nunc multis, ſed vivitur utilis ætas,
Nec bona, nec juſta eſt, eſt & honeſta parum.
Unus enim totum nunc *Jupiter aureus* orbem,
Una Deas inter *Juno Moneta* regit.

Jovis omnia plena.

In Avarum.

AB Jove principium ducis. Jovis omnia plena
Sunt tibi. Quam pius ô Pontilianus homo
eſt!
Jupiter at colitur tibi, qui mutatus in aurum eſt,
Hoc tibi plena manus, villa, ager, arca, domus.

De

De Philoſophia.

ORbis in extremo eſt, ſenio decreſcit & annis,
Nec Sophies per tot ſecula crevit honos.
Imberbis qui Phœbus erat, Muſæque puellæ,
Semper erunt: videt hos natio nulla ſenes.

Ad Amicum

Novi anni tempore Annam Conjugem ducentem.

JAm novus annus adeſt Tibi jam nova jungitur Anna.
Annum ineas felix, Annam ineasque tuam.

Venus figurata.

CAja Polyptoton, ſed homœoptoton amabat.
Semper Epizeuxis, ſemper amica Ploce.
Hinc at Hyperbolicam traxit Venus iſta figuram.
Hinc Anadiploſin dat tibi Caja novam.

Vir Accidens.

UXoris σύμπ]ωμα ſuæ vir, Amice, vocetur,
Accidit hic, quando crebrius illa cadit.

Ἀποθέωσις noſtri ſeculi.

COrnua fert Bacchus, cornutus Jupiter audit.
Cornua nam priſcis ſacra fuere Deis.
Hinc & Alexandrum demonſtrant cornua Divum.
Quam multos faciunt ſecula noſtra Deos!

In Marculum, claudum, fallacem,

CLauda fides Claudo eſt: promittis multa, nihilque
Servas: promiſſis, Marcule, ſtare nequis.

In

In Quendam

Qui in rigido examine fleverat.

PHiloſophi titulus docto datur atque merenti,
At tibi mœrenti contigit ille gradus.
Heraclitus eris. Ridendo dicere verum
Democritus poterat: tu lacrymando potes.
Per riſum multum facile eſt cognoſcere ſtultum,
Tu nunc à fletu doctior eſſe potes.

Ad Amicum

Circa novi Anni feſtum Uxorem ducentem.

JAnus adeſt bifrons: Tibi nunc quoq; vultus, Amice
Verum diverſa fit ratione duplex.
Una nec occaſum, frons altera nec videt ortum:
Diſſidet hâc à ſe nam ratione Venus,
Et frons ſit fronti contermina, & oribus ora.
Hac facie ſemper vult Venus alma coli.
Sic tu ſic Venerem cultor ſubmiſſus adores:
Sic (voveo) Janus ſæpius eſto bifrons.

In Cujuſdam Locos Communes.

MIſiſti grandes in lucem, Dindyme, libros
Scriptaque pene tibi Bibliotheca fuit.
Vix pando portant tot chartas ſecula dorſo,
Quæ tam difficili pondere preſſa gemunt.
Sed tamen hos emit Paphnutius, & ſibi plaudit,
Vixque locum dederat Bibliotheca locis.
Decrevêre locis loculi, res mira! minutos
Tam grandes loculos gignere poſſe locos.

His

His miſer ille locis horas malè collocat, & jam
Credita ei locuples Bibliotheca fuit.
Scilicet huic æquè forſan prudentia ſumma
Viſa eſt, inque loco deſipere, inque locis.

In Calvum.

OMnia Saturnus detondet falciger: Ergo
Et crines tondet, Pontiliane, tuos.

In Gibboſum ſed macilentum.

CUr Natura parens tenui te ventre creavit?
In tergo ventrem fecerat illa tibi.

Imperium Conjugale.

COnjugii imperium mixtum ſit: ne ſibi ſumat
Imperium Conjux ille, vel illa, merum.

In tumulum Ciceronis.

OScula da lapidi: nam cur non oſcula ferres?
Os Latium pedibus ſubjacet ecce tuis.

In Obitum M. JOHANNIS HENRICI DOMESII, Amici optimi.

QUæ tam ſæva Tibi rapuerunt, Optime, Vitam
Fata? o quondam animæ portio ſumma meæ!
Eloquar an ſileam? ſed me dolor urget, & ora
Obſtruit, ac oculis flumina ſalſa negat.
Elinguem fecit me nunc dolor iſte; dolerem,
Optime, ſi poſſem dicere plura, minus.

AD

M. CONRADUM YSENIUM & JOHANNEM SIMONEM FLACHERUM

de

Principiis Humanæ Cognitionis diſputantes.

DIſcimus & ſcimus. Sic vulgò credimus: at de
Principiis rerum pugna perennis erit:
Ultra Naturæ fines mens ambulat, & vix
Principii primum concipit iſta gradum.
Ergo in Principiis hæremus, in his ſine fine
Scribimus, & cauſas tot ſine fine damus.
Hinc Mens errorum genetrix fœcunda tot edet
Somnia, quisquilias, phaſmata, monſtra, logos.
Has Tu nunc nebulas *Yſeni*, & ſomnia pelles,
Hanc *Flacherus* init te præeunte viam.
Ferte novam Vero vos lucem: nam modo vulgò
Poſt ſua qui latitat principia, ille ſapit.

In

JCti Nuptias.

NOn causâ nunc, Aule, cades: cadet at tua conjux:
Namque tori caſus multus, ut ille fori.

IN

FRIDERICI GOGELII

Poëmation

de

Cometis Anni 64. & 65.

Oſten-

OStendêre truces mortalibus ora Cometæ,
Duxeruntque omni ſyrmata cæca polo.
Jamque iit in reſides populatrix flamma favillas,
Quas nova nunc Phœbi ventilat aura tui.
Carmina ſi cœlo poterant deducere lunam,
(Carminibus tantum pondus Apollo dedit!)
Hos quoque nunc cœlo dicas ceſſiſſe Cometas
Carminibus ductos, docte Poëta, tuis.
Aſtrologi numeris ſignent ea ſidera certis:
Tu numeris ſignas, iſta, Poëta, tuis.
Æqualis menſura fuit. Diſtinguitis iſta
Aſtrologi gradibus ſidera; Tu pedibus.

Mariti Dominium plenum.

COnjugis hic Dominus ne pleno jure vocetur:
Namque uſumfructum quilibet alter habet.
Sperari poterit cur Conſolidatio nulla? *
Eſt Amor in plano, nullus at in ſolido.

* *§. 3. Inſt. de uſufr.*

In Nuptias
Menſe Aprili celebratas.
Ad Germanicum.

INcipiunt veſtri ſub Tauri ſidere Amores,
Et Veneris fructus Tu, Capricorne, dabis.
Si ſapis, in Geminos, Germanice, differ Amores.
Cornutis noli credere ſideribus.

Epitaphium Lenæ.

Officiis primum juvenis fungebar amoris:
Facta ſed emerito corpore Lena fui.
Primus enim Veneris cum deflagraverat ignis,
Non poteram in flammas rurſus abire novas.

Tunc

Tunc ego carbo fui, Juvenum qui incenderet ignes,
Qui reſtant cineres hæc tenet urna meos.

Via Juris.

Ad Aulum JCtum.

JUris ὁδὸς juſta eſt, & recto tramite tendit:
Si μέθοδος tantum, juſtior, Aule, foret.

Studiorum humaniorum diſſidia.

DIcat inhumanas, humanas qui vocat artes:
Nec mollit mores Ars, facit iſta feros.
Libera ſunt ſtudia; at multos habuêre Tyrannos:
Et ſtudii paritas nunc inimica ſibi eſt:
Namque uti ſe Cygni pennis roſtrisque trucidant:
Sic pœnas pennis ſumimus atque ſtylo:
Qui tibi Lector erit, mox hic Tibi Lictor & hoſtis,
Cum Critico ſemper faſce ſecuris erit.

Solatur Quendam,

Cui Nummos Cloaca abſorpſerat.

DUm reſides bracca ventrem ejecturus aperta,
Abſorpſit nummos ſpurca cloaca tuos.
Excrementa cadunt nudo de corpore: At illa
Hoc excremento concomitante cadunt.
Dicite vos Chymici, ſub ſtercore quid facit aurum?
Cur cœno veſter Sol latet ille putri?
Credo equidem quod vis illos Magnetica traxit,
Res non rara: lutum ſe ſociare luto.
Quid mirum eſt, Ditis cum ſint effoſſa latebris;
Sic iterum ad patrios iſſe metalla lares?
Quærant, queis placet heic? tu derelicta putabis,
Cede Cloacinæ ſordida lucra Deæ.

Quis nunc occultum ſub ſtercore quæreret aurum?
Hoc unus poterat quærere Virgilius.

In
Avarum, cui Strenam miſerat.

JAnus adeſt, novus annus adeſt: Tibi Carmina mitto:
A Te nulla tamen Strena remiſſa redit.
Omnia qui reſerat geniali hoc tempore Janus,
Præſidet heu! Arcæ Cluſius ille tuæ.

Epitaphium
In thalamum Juvenis & Vetulæ.

HIc ſitus eſt Juvenis: torus eſt rogus: Uxor at orcus,
Invenit gelidum pro thalamo tumulum.
Dumque ulnis cubat in rigidis, requieſcit in urnis.
Contigit huic moro ſic in amore mori.
Ipſa Venus funus, capulumque hæc copula ſtruxit.
Mors cum falce, nec hic cum face venit Amor.
Oſſicula ille leget, non oſcula. Sic abierunt
Lætæ lethales feriæ in inferias.

Epigramma in Corpus Juris
Theologo dono datum.

SI Tu nos, & nos Te jure vocamus Amicum,
Et Tibi Amicitiæ ſunt ſacra jura tuæ.
Jure damus Tibi jura ſacro non diſſona juri:
Sed non pro meritis munera juſta tuis.
Cui animam debemus, & hoc dare *Corpus* Amico
Poſſumus. Hæc donis dona minora tuis.
Nos legum dedimus corpus, nunc pene cadaver,
Debuit huic animam reddere Theiologus.

In
Nuptias J C T I.

SPonſe, veni, nova nunc, ſi vis, Te jura docebo,
Ignotisque tuum legibus arcto torum.
Non ſolos nunc apto pedes in vincula: tolli
Namque pedem in thalamo vult mage Sponſa tuo.
Ad Themidem voco, Sponſe, novam, res mira relatu!
Quam Cathedræ celant, quam ſilet omne forum.
Pandectas alios, alias tibi quære Novellas,
Et decies Codex hic repetitus erit.
Publica non fiant, privata hæc jura manebunt,
Plumeaque his regio legibus una ſubeſt.
Inſula Virginea hic te ſolo præſide gaudet,
Legibus ac armis hanc tueare tuis.
Ut Capitolino vigilantior anſere nunc ſis,
Perlege tu Vigilum ſedulus officium.
Heic Te nunc rerum diviſio ſumma fatigat.
Sed Tu quæ gaudent corpore, ſola tene.
Jam tibi jus in re, jam jus tibi diſcitur ad rem,
Et diſtincta ſuis ſingula nominibus.
Heic immittendi conceſſa licentia tigni,
Et fundô potes hoc ire redire tuo.
Et calcem fodere, & ductos confundere rivos:
Vicinum tamen hic ne mihi paſce pecus.
Sed vocat heus in jus Aquilîque ex lege laceſſit
Sponſa reum, noctem dictitat illa tibi.
At Tu, ſi Tibi non inſtantia prima placebit,
Si lubet, ad Cameram protinus ire potes.

Epitaphium Petri.

PEtra tegit Petram: Mulier vel Gallus abeſto:
Ne lacrymas fundat vel lapis ille novas.

Satyrica ſecula.

OMnia ſunt hominum naſo pendentia adunco;
Et quivis naſum Rhinocerotis habet.
Quis jam non radit, rodit, ridetque ruditque?
Non dicas homines ſed ſupereſſe feras.

Ad Aulum poculo ſe proluentem.

MUlta cadunt inter calicem ſupremaque labra,
Dum vino veſtes proluit, Aulus ait.

In Sabinam

Pulvere odorato ſparſos crines & vultum tectum habentem.

PUlvere ſparſa comas faciemq; umbrata Sabina eſt.
Quanto nunc ſtudio pulvis & umbra ſumus!

Adamus primus & ſecundus.

SI viduus ſupereſſet Adam prior, haud queat illi
De genere humano Sponſa vel una dari.
Naſcitur alter Adam, cœlebs qui vixit, & illi
Lecta hominum toto de grege Sponſa datur.

Curriculum Philoſophicum

Ad Paulinum.

CUrrimus, ô Pauline. Eadem cum carcere meta eſt;
Quam male nunc ſtudii curritur in ſtadio!
Concurrunt multi, diſcurrunt: plurima novit
Tantum ad Ariſtotelis currere turba latus.
Mavult Philoſophus nunc eſſe pedaneus omnis,
Illeque Ariſtoteli dicitur à pedibus.

In Marcum
Primam in voce CAPUT producentem.

IN Capitis primam produxit nomine Marcus.
Dicite, num pedis hic ſit reus an capitis?

Actio Mixta
IN OLLAM.

ET vult, & non vult, ſemperque coacta videri
Geſtit, jamque negat, quodque negarat, ait.
Invitat juvenes & vult invita videri.
Tergiverſatrix quem fugit Olla, petit.
Sic invita volens medns miſcetur Achivis,
Cumque illa miſcent corpora pulcra Viri.
Dicat Ariſtoteles, vel natio tota Sophorum.
Judice me, tota hæc Actio mixta fuit.

In Villici Caprum ruinâ ſtabuli exſtinctum.

VIllice, nuper erat Caper hic tibi ſalvus, & hœdi,
Cum totum abſtulerat trux tibi prædo gregem.
Queis gladius parcit, nunc obruit una ruina.
Caſus erat tragicus * ſcilicet ille tuus.

* ἀπὸ τοῦ τράγου *quod Caprum ſignificat.*

In Avarum.

TRaxerat immotas Orpheus de montibus ornos,
Saxaque ſub terris movit, & omne nemus.
Hæc poterat, quamvis immota movere. Sed aurum
Mobile de loculis Carmina nulla tuis.

In Aſſentatorem Colapho multatum.
Ohr-feigen.

ASſentator erat Sextus, multosque fefellit,
Multaque non cautis auribus ille dedit.

 Exci-

Excipit hunc pugno Craſſus, ſic talio parta eſt,
Auribus hic reddit, quod prior ille dedit.

Diſſidium Rhetoris & Logici.

ORta fuit binos inter lis ſæva Magiſtros:
Rhetoricæ ille fuit Doctor; & hic Logicæ.
Ille argumentis pugnat, ſed pugnat & alter.
Verbaque jam poſt ſe verbera dira trahunt.
Ille ſuum palmâ jus vendicat, hic ſibi pugnô.
Rhetoricè ille, puto, vapulat; hic logicè.

Artifices Mechanici.

ARtifices ſunt vel Chirurgi, ſuntque Podurgi,
Queis facit officium peſque manuſque ſuum.
A pedibus vocet hos quis, & à manibus vocet illos.
Diviſum imperium cum pede dextra tenet.

Diſcrimen inter Epigrammatiſtam & Satyricum.

FUſtibus & Virgis hic pellit crimen: at ille
(Hoc diſcrimen habe) crimina tangit acu.

In Contentioſum Marculum, Quem colapho inflixo refutaverat Mincius.

DIſputat & ſemper rixatur Marculus amens,
Deberi palmam nam ſibi jure putat.
Mincius applaudit manibus, quamque ipſe petebat,
Magnificis palmam vocibus, ille dedit.

In Meretricem Emeritam.

Roſabella. Raſa bello.

JAm roſa roſa jacet, roſa bella & nobilis olim,
Mille petita procis, milleque ſpreta procis.

Miſi-

Milivat omnis amans: bello Roſabella ſed illo
Exit, & emerito corpore ſaſa ſedet.

De traditione longa & brevis manus.
Ad Rabulam.

AUt brevis eſt, aut longa manus, quæ corpora tradit,
Quænam ergo veſtra eſt, corpora quando capit.
Et brevis, & longa eſt, ſed cum diſcrimine certo.
Quæ capit, hæc longa eſt, quæ rapit, illa brevis.

Aſtronomicè bibere.

INcipit à Nadir plenus ſe tollere Crater,
Donec Horizontis tranſeat ille plagas.
Tum vacuus perget ſenſim ad Zenith, ore ſupino.
Metiri cœlum nos ſcyphus ecce docet.

Quæ membra ſibi victum licitè quærant.

PEs, caput, atque manus pro ventre laborat alendo.
Sed ventrem victum quærere jura vetant.

Artis & Martis prærogativa.

ARte & Marte agimus: ſed multum prævalet illa.
Hoc miles facto comprobat ipſe ſuo.
Pennam indit capiti, gladium poſt terga revincit.
Ars tenet ergo caput, poſterioraque Mars.

In calvum, ſed barbatum.

ESt coma nulla tuo capiti, ſed plurima mento,
In mento geſtas, calve, capillitium.

Quadratura Circuli.

QUid quadrare cyclum ſtulti tentamus, ubi ætas
Noſtra ex quadratis cuncta rotunda facit?

In quendam, qui primam in voce MANUS produxerat.

SCripſerat hæc quidam: *prope erat tunc regia manus.*
Is ſcivit longas Regibus eſſe manus.

In perverſum Juris Studioſum.

PRo calamis thalamos agitas, pro Corpore Juris
Ventem alis, & ponis ſæpe labra ante libros.

Votum Grammaticum

In Nuptias

DN. CASPARIS VOGTII.

DEclinate toros etiam pluraliter ambo.
Ducite per caſus baſia grata ſuos.
Sed duo flectetis ſemper pronomina tantum:
Nempe: Ego, Tute, Amo, Amas, Quod ſi amat ille, male eſt.
In verbis Perſona datur modo bina. faceſſat
Tertia, fallis in hoc regula ſueta loco.
Tempora ſint vobis plus quam perfecta. Precabor
Infinitivo commoda quæque modo.
Interea triſtis quæſo interjectio ceſſet.
Et maneat nexu copula firma ſacro.
E Radice tamen derivativa ſequantur
Plurima. Syntaxis juſta ſit inde precor.

Ovis.

SUm manſueta quidem, ſi tota ac integra ſpector,
Tolle caput, * Virtus & ſimul iſta perit.

Ad

* *Demtâ literâ O remanet Vis.*

Ad Quintum *de Amica.*

BArbara, Quinte, tua eſt tibi vera Rhebarbara: nam (ceu
Hæc ventrem; loculos ſic levat illa tuos.

Etymologia Ægidii,

ad eundem uxorem ducere parantem.

Αἴξ capra eſt, ἴδιος proprius: Capra propria namque eſt
Jam tibi: Dii faciant te quoque deinde Caprum.

Ad Cœliam.

COelia, quæ ſterili nunc es ſociata marito,
Eheu quam pingui macer eſt tibi Taurus in arvo!

In Paulum Poëtaſtrum.

SYllaba longa tibi toties correpta. Videte
Quam pulcrè Paulus ſit brevitatis amans.

Vinum.

Αἴνους οἶνος habet: Sed οἶνος fit ſæpe per οἶνον.
Nempe parant animos Vina parantque Aſinos.

Panis, Penis.

A Pane exiguo Penis diſcrimine diſtat.
Cur? Cerere inconſtans nam ſine friget amor.

In Paulum Poëtam Extemporalem.

OMne abit in verſum Tibi verſutiſſime Vates,
Carminaque è calamo ſi qua volante notas.
Mille tibi ſemper metitur clepſydra verſus.
Et volat in numeros impetus innumeros.
Inter prandendum verſus & pocula ſcribis,
Concrepat ad crepitum verſus ubique tuum,

Quod bibis, & quod edis, nunquam ſine carmine glu-
Mirum nî metricè pedere, Paule, queas. (tis.

Contra Bilingues.

PLena fides & plana tuæ det robora Linguæ,
Diphthongum à verbis fac procul eſſe tuis.

In Thraſonem.

QUid ſculptos clypeos fumoſaque ſtemmata monſtras
Aſtraque? nam ſtolidum te magè raſtra docent:
Quid Leo, cum Lepus es, pardique inſignia bardo
Proſunt? quidve boves, cum ſumus intus oves?

Animalia ἄμȣσα ad rem Muſicam facientia.

PEnnam Anſer, pellemque Aſinus, chordasque Ovis offert,
Quam juba commiſto ſtringit Equina ſono.
Sus vitulusque libros arctant. Sic dant ſua Muſis
Anſer, Ovis, Vitulus, Sus, Equus, ac Aſinus.

Ad Paulinum de Tabaco.

NEmo bonus fumum vendit, Pauline, Tabacum
Qui vendit, fumos vendere nonne ſolet?

Ad Celſum de cultoribus Juris.

CElſe, *ſuperficies* multis modo tangitur: ipſum
In *Corpus* juris rarus amator init.
Hæc eſt totius vulgò Geometrica juris;
Eſt labor in *plano*; nullus at in *ſolido*.
Linea vix paucis eſt tacta, & vix leve *punctum* &
Jurisconſulti puncta tulêre probi.

Corpus Juris.

SI jus eſt corpus, quadratumne anne rotundum eſt?
An ſpecies illi Pyramidalis erit?

Nil

Nil hic quadratum eſt, vaga ſunt jura atque rotunda:
Pyramidem at famæ condere ſæpe ſolent.

In
quendam Mercatorem.

EMunxit multo te, Candide, debitor auro?
Gratiam habe. Emunctæ poſtea naris eris.

Differentia inter Leporem & Lupum.

SUave dapale Lepus: Lupus intrat inerme mapale.
Dulce Lepus tabulis, triſte Lupus ſtabulis.

Arithmetica Mundi.

RAra hoc additio eſt & multiplicatio ſeclo.
Multum dividimus, plurima ſubtrahimus.

Poëtas creare.

In Quendam.

QUi creat, ex nihilo fabricat rem. Qui modo Vatem
Te creat, ex nihilo Te facit eſſe nihil.

Mulier, Vir.

CUr Mulier triplex eſt ſyllaba, Vir modo ſimpla?
Garrula nempe Viris eſt magis illa tribus.

Ad Aulum.

Vinum animare Poëtas.

VEna Poëtarum eſt *Evan*. Quem Liber inundat,
Libera liberius ſcribere metra poteſt.
Vinum divinum, te, mi facit Aule Poëtam.
Inſcitum Zythum me modo verſificem.

Inimicorum dona.

PErſæpe munera hoſtium dant funera.
Beneficium hoc verum ut veneficium cave.

Encomiaſticon in Celſum.

NObilis es Latro, Fur, Helluo, & Euclio. Laudes
Non poſſum melius dicere, Celſe, tuas.

Es

Es Latro Vitii, Fur artium, & Helluo Librûm,
Euclio Temporis. O ſim quoque talis ego!

Conjugii imparitas.

In Leucippen.

QUid Tibi decrepito, Leucippe, cum ſene? Zona
Non bene miſcetur torrida cum gelida.
Temperiem juſtam ſerves, & erit tibi flamma
Tunc neque lenta nimis, nec violenta nimis.

In Nobilem Germanum Lurconem inſignem.

INtegra ſubmerſit palatia Cotta palato.
Annon hic vere nobilis eſſe poteſt?
Concoxit crudas, decoxit nobilis ille
Teuto Spartanâ nobilitate domos.

Dilationes Judiciorum.

AD caulas pauſas judex ſolet addere multas.
Dandâ in juſtitia ſunt mora juſtitia.

Nuda Veritas.

FUit heu Adamo nuda Veritas nudo,
Ut veſte tectus eſt, & hæc ſtatim tecta eſt.

Formula Propinatoria.

Parod. in Carm. 1. Catulli, quod incipit: Quoi dono lepidum novum libellum.

QUoi propino gravem aureum cululum,
Lenæo modo nectare integratum?
Biboni tibi: namque tu ſolebas
Germanam eſſe aliquid putare mentem.
Tu quondam auſus es unus Allemannum
Grandem urnam, triplici excavare ductu,
Curto, Liber! & haud laborioſo.
Quare habe tibi fœdus hoc amoris

Qualecunque, quod ô Pater Lyæe
Plus uno maneat perenne ſeclo.

Amicitia è poculis.

TUllius, ut noſtros rectè noſcamus Amicos,
Antea vel modios nos jubet eſſe ſalis.
Quid mirum, ſi jam multum potetur Amicis?
Quæ tantam extinguant pocla cadique ſitim?

In Bibonem.

NOctes atque dies gula tingitur ampla Bibonis:
Aſt animo prudens eſt tamen ille ſuo.
Quid non ille ſuo ſub pectore ſervet aceti,
Vina cui totis evacuata cadis?

Mœchus pro ſe.

QUi vicinorum ſectatur Cotta maritas,
Excipit obtentos hac ratione dolos:
Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in arvis,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Prodigus.

AUrum perdiderat, nunc prodigus invenit auram,
*Ære*que diſtracto heu! *aëre* ciſta ſcatet.

Epitaphium Columbi.

TErra vetus tegit hîc, per quem nova terra reperta eſt,
Terraque pro merito fit vetus ipſe ſuo.

In Effigiem Juſtitiæ in Amphora depictam.

INter pocla Themis colitur, quam Curia ſpernit:
Ergo loco pingi commodiore nequit.

Cœca

Cœca docet, clauſis ut rite bibamus ocellis
Libraque jus rectè diſtribuiſſe monet.
Quo Titius jure uſus erat, utatur eodem
Mevius, ut calices ſint ſine fraude pares.
Præmia ſunt juſtis, ultrix peccantibus illa
Inſtat, & admiſſos corrigit enſe dolos.
Forſitan hæc poclis (Germani credite) veſtris
Inſidet, ut ſedem curia iniqua negat.

In
Poëtaſtrum Quendam.

POëta Laureatus eſſe vult Cinna
Sit Laureatus. Sed Poëta non eſto.
Non es Poëta, Cinna, non. Sed beta.

In
Perverſum Theologum.

MAgnus vocari Doctor & pius pruris
Chriſti es miniſter, ſed ſecundum anagramma*

* *miniſter* anagr. *mentiris.*

In quandam.
cui Reginæ nomen.

REgina diceris. Quod eſt Regnum Tibi
Habes bonum. Sed Terra non eſt continens.

In Cinnam,
cui menſe poſt contractas nuptias proles nata, ſtatimque denata.

JUnxerat incautus pulcram ſibi Cinna maritam.
Poſt menſem ſobolem parturit illa novam.
Non tamen hæc vitalis erat fœtura; nec hæc eſt
Res nova. Quod cito fit, hoc cito Cinna perit.

De

De
Tutoribus Dativis ad JCtos.

FAllit Tutores qui dixerit eſſe Dativos,
Eſſe Ablativos nemo negare poteſt.

Ænigma de Fiſtulâ Tabaci.

CAuda caputque mihi eſt, non eſt mihi venter & alvus
Et mox continuum cauda foramen habet.
At quamvis vacuum mihi ſit caput, ipſa cerebrum
Imprimit in fauces cauda minuta meas.
Subde meo flammas ori, excrementaque duces
Fumida per caudam tracta retracta meam.

De Eadem.

FIſtula ſum, ſed qui noſtris ſe luſibus aptant,
De ſe non trudunt aëra, ſed retrahunt.

De
Candore & verecundia noſtri ſeculi.

CAndida ſunt nobis verecundaque ſecula: namque
Argento candent, auri ab amore rubent.

In
Medicum parcè reſpondentem.

SCanditur in Cathedram: mira eſt mutatio: nam fit
Filius Hippocratis Filius Harpocratis.

In
Urſulam quandam & ejus Maritum.

URſulæ habes nomen, potes & minor Urſa vocari:
Sed tuus obſervat Te nimis Arctophylax.

In Priſcum.

PRimum à deſidiâ hic ad turpia crimina venit,
Atque à criminibus Priſcus ad exilium.

Inve-

Invenit demum, decuit quod quærere primum,
Ad ſeſe ex ipſo nam redit exilio.

In
Invidiam Pamphilæ.

TIbi invideri dicis? omen eſt bonum.
Queis invidetur, illi habent rem, Pamphila.

Artes liberales.

AUt quia libertas per vos venit, aut quia cenſus,
Hinc veſtri credo nominis exſtat honos.
O etymon fallax, & quod contraria ſignat!
Cur etenim veſtrum ſervit egetque genus?

Meretricula pro ſe.

Cum nemo Dominus ſit membrorum ipſe ſuorum,
Cur mea non vero ſubjiciantur hero?

In
Mendicum Poëtam.

OPtimus eſt Vates mille horâ Quintus in unâ
Sculpit ſextipedes è capite Hexametros.

Perverſitas quorundam Theologorum.

SÆpe Viri, qui *ſacra* colunt τὴν σάρκα ſequuntur,
Et ſunt Theiologi ſæpe ματαιόλογοι.

Reſponſio
ad Invitationem Amici.

SI mala tempeſtas iter haud diſſvaſerit, ibo.
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

In Quæſtorem quendam.
Metaphyſica Monetaria.

PRimum in concreto nummum conſiderat, & qui
Concreſcat Domino. Sed ſcit & abſtrahere.

Car-

Carnificina Vultus.

LIctores ipſi nobis ſumus, ipſeque vultus
De ſe ſupplicii proferet omne genus.
Ignibus exurunt oculi, torrentque videndo,
Et veluti gladio lingua maligna necat.
Dentes inde rotæ funguntur munere: namque
Admordent famam dilacerantque bonam.
Denique pro furca naſo nos utimur unco:
Suſpenſos etenim quoslibet ille tenet.

Omnia Caſu.

OMnia ſunt caſu, cecidit quia primus Adamus,
Et caſus multos unicus ille dedit.
Theiologi Caſu ſapiunt, & jure periti,
A Caſu Medicis ars ſua nata fuit.
Grammaticusque nequit ſine caſu flectere nomen.
Quid mirum eſt, ſi mox orbis & aſtra cadent.

Loth.

VIto ignes Sodomæ, nec vito libidinis ignes,
Cumq; mea Sodomam conſtruo prole novam.

In Calvum.

OMnia Saturnus detondet falciger. Ergo
Et crines tondet, Pontiliane, tuos.

In Rabulam Bubalum probè pugnis oppletum.

FOrte ſuburbanas veniebat Rabula ad ædes,
Forteque ab infeſtâ vapulat ille manu.
Bubale, quid frendis? nulla eſt injuria: namque
Qui modo Rabula eras, ilicet JCtus eris.

Strena ad Claram & Roſettam.

CLara, capis ſtrenam. capis & mea dona Roſetta.
A me igitur verè hoc tempore concipitis.

Milites Dei & Diaboli.

TUrba Deo pedes eſt, eques eſt Cacodæmoni: ad Orcum
Currimus: ad cœlum claudicat omnis homo.

Logicam primò eſſe tenendam.

QUi volet è Sophies fructus ſperare viretis,
Huic Logices primus ſit famulantis amor.
Sic demum conjux peperit Sara filium Abramo,
Cum prius in Domini brachia venit Hagar.

Ad Lectorem de ſuis Epigrammatibus.

ORa, manus, oculos noſtris expoſco Camœnis:
Sed curvas nares deprecor, atque nates.

Reſtare adhuc aurea & argentea ſecula.

ULtima nondum hæc eſt, quæ nobis ducitur ætas,
Fors argentea nos aureaque iſta manet.
Aurea ſub Saturno, argentea ſub Jove ficta:
Plumbea nam Chymicis ſtanneaque iſta foret.

In Senatorem Lurconem.

QUiſquis te patriæ patrem vocitaverit, errat,
Tu potius Patriæ es, Pontiliane, nepos.

Gallicum Cujon.

HÆc qui Gallorum primus convicia dixit,
Is Græcâ voluit dicere voce *κυων*.

Ad Ovvenum
de Epigrammatibus ejus à Jeſuitis caſtratis.

PEgaſus ergo tuus factus Cantherius eheu!
Ipſeque Apollo tuus factus Apella fuit.
O ſcelus! aut illos Eunuchos convenit eſſe,aut
Marſyæ ad exemplum crimina pelle luant.

In Diſſidium Aulæ cum Marito.

STare negat ſe poſſe à partibus Aula Mariti.
Si non ſtare velis, Aula, cubare potes.

In eandem.

AUla globus terræ eſt, ſed qualis ſemper in orbem
Volvitur, aſſiduum mobile jure voces.
Hæc habet & multos perioecos atque ſynæcos.
Conjugem ad Antoecos rejcit & Antipodes.

Fur in quo prædicamento?

IN ſcalis dum ſtat fur, nullâ in claſſe locetur.
Inter Tranſcendens hunc numerate genus.

In Grandinum Rabulam,
qui indignabatur, quod Latrator diceretur.

LAtrator dici non vis Grandine? Latinam
Miror ego Te non Rabula ſcire phraſin.
Nam Lucretius & *Latro* pro *poſtulo* dixit (α)
Jam qui cauſam agit, is *poſtulat* (β) Ergo latrat.
Clementer nimis hæc! at multo verius inde
Latrator dicam non es? at ipſe Latro.

α. Lucret. lib. 2. de R. N.
β. rubr. ff. de poſtulando.

In Cinnam Rabulam & Poëtaſtrum.

CInnam inter acres tetrici fori rixas
Latrare raucos vidimus tamen verſus,
Nec ille ſacros volvit aut legit Vates:
Unum ſed is *Rosbachium* legit ſemper,
Manu hunc diurnâ verſat atque nocturnâ.
Nemo ergo Cinnam nunc negaverit Vatem:
Namque ora *fonte* proluit *Caballino.*

In quendam Reſpondentem non reſpondentem.

NEmpe Seriphus erit tellus tibi Patria, vel tu
Es tyro è Samiâ, Pontiliane, Scholâ.

Creditores magis Chiromantæ quam Phyſiognomi.

PLura gravi dextræ credunt; ſed paucula fronti:
Ni manus in loculis, nulla fides oculis.

In Gibboſum equitantem.

QUæ premis, ipſa tuô viſuntur Ephippia tergo.
Sis equus, atque tuus ſimia ſeſſor erit.

Jus ſtrictum & æquum.

QUisquis jura dabit non ſit Durenſibus (α) ortus:
Aſt Æquanorum (β) gente ſit ille ſatus.

(α) *Dura urbs Meſopotamiæ.*
(β) *populi Latii.*

Effectus Ebrietatis.

- - - Vacuaſſe fideliter urnas
Emollit vires, nec ſinit eſſe Viros.

Ad

Ad Amicum
Epigramma in lecto factum.

FEcimus exiguum hoc tenebris Epigramma ſub ipſis,
Dum recubant medio membra ſupina toro.
Carmina longa negat ſomnus, tu ſume minutum hoc,
Nunc enim in obſcuris quod minimum eſt ſequimur.*

* *Lege 9. ff. d. R. I.*

De Harpalo,
Qui equum furto abſtulerat.

VEre ego nunc ſtrictum didici jus, Harpalus inquit,
Strictus eram manibus, ſtrictus eram pedibus,
Denique ſtringebant fatalia vincula collum.
Sic fero jus ſtrictum ferre paratus equum.

Propempticum
Ad Amicum menſe Februario abeuntem.

IRe bonis avibus te nolo hoc menſe, ſed iſtud
Nunc potius voveo: Piſcibus ito bonis.

Aurum Nequam.

PEſſima res aurum eſt, tenebras amat, odit apricum.
Lucifugi inde patet nequitia ingenii.
Prima dedit Ditis ſtatio incunabula monſtro,
Clauſtraqua Tartareis proxima liminibus.
Truditur obſcuras effoſſum rurſus in arcas,
Ex arca ad veterem ſæpe remigrat humum.

Anagramma ex voce
MULIERES.

VErtatur Mulier, *lemures* & *jota* manebunt.
Jota eſt quod Plauto litera longa notat.

In Amicam Germani.

DIxerat eſſe ſuam ſtellam Germanus Amicam.
Non tamen hæc fixa eſt; ſæpius illa cadit.

κοιναὶ ἔννοιαι Avarorum.

MEntibus inprimis hæc notio ſedit avaris:
Totum parte ſuâ majus, & eſt melius.

Ad Juvenes Veneri deditos.

O Juvenes, quos immatura libido fatigat,
Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

Sphæra amoris,

In Nuptias Mathematici.

VOlve revolve novam, jubet hoc amor, Attice,
Sphæram,
Illa ſuis Veneris Sphæra rotanda polis.
Non tamen hæc truncos admittet Sphæra Coluros,
Finitor ſimili fungitur officio.
Disjungit namque hemiſphæria bina, docetque
Quod Zenith, vel quod Nadir amoris erit.
Solſtitium caveas Veneris, retrogradus inde
Cancer, & hinc obſtat Corniger ore Caper.

In Uxorem cujusdam Philoſophi.

PHiloſopho Sapiens Academicaque obtigit uxor,
Spectanti cunctos ſecta nec una placet.
Et Stoica eſt, & Peripatetica, perque plateas
Ambulat; at Cynico gaudet amore frui.

In fœtum ipſo partu extinctum.

NOs via per mundum lata introducit in orcum;
Tuque per anguſtam pergit ad aſtra viam.

In

In Meretricem Porciam.

EVa cadit primo, poſt hanc eſt lapſus Adamus.
Huic quod ſæpe cadat Porcia, cauſa ſubeſt.

Epitaphium Pulicis.

VIrgineos dum, parve pulex, perlaberis artus,
Præceps neſcio quam decidis in foveam.
Mors tibi certa fuit, ſed non inglorià; nam quâ
Curtius, hâc tu nunc morte, miſelle, peris.

In Avernum Judicem malæ fidei.

TE compellantis non quævis lingua palato eſt.
Dorica lingua placet: δῶρον Avernus amat.

In quendam clamoſum & bibacem.

GArris & potas, nihil amplius, improbe, præſtas.
Vita tibi ranæ vivitur, haud hominis.

Epitaphium Ruſtici.

TEllus culta mihi panem dedit, illeque vitam.
Pro pane hanc carnem do tibi, terra, meam.

In Medicaſtri Mortem.

QUod tibi non mors ſæva pepercerit, Andale, miror,
Curator qui tam ſedulus ejus eras.

In Sextilianum Legulejum.

RUbrum cum Nigro concordat Sextiliano:
Albam etenim ob rubram rem facit eſſe nigram.

Affectatio honorum.

QUod lapis es, noli grave figere corpus in aſtris:
Inſita te gravitas rurſus ad ima trahe.

Quæ te cunque manûs vehementia miſit in altum,
Altius ut ſcandes, durius inde cades.

De Poëtis.

Apollo Bubulcus.

PHœbe, Bubulcus eras & Paſtor Theſſalus olim,
Mox tuus & vates, Phœbe, bubulcus erit,
Tu, quia Cyclopes telis occidis acutis,
Exul es,& verus non potes eſſe Deus.
Hic, quia Cyclopes Muſarum ulciſcitur armis,
Exulat, adque tuos mittitur ille boves.

Raritas Mæcenatum.

MÆcenas olim per tres vigilaverat annos
Inſomnis, * ſed nunc per ſecula dormit, & hinc eſt:
Ut quando is dormit, bonus & dormitet Homerus.

* *Plinius lib. 7. c. 51.*

Duplex Anagramma Mæcenatis,
Mæcenas loquitur.

QUandoquidem largos, Vates, tibi confero nummos,
Tu *mea* (Mæcenas ſic volo) facta *canes.*
Quod ſi, ô verſifices, teneras lacerabitis aures;
Impuros à *me* tum jubeo ire *canes.*

In oratorem Ponticum Calvum.

OBſtupui ſteteruntque comæ: ſic Ponticus inquit.
Quæ non ſunt, poterunt qui tibi ſtare comæ?

EPI-

EPIGRAMMATUM LIBER PRIMUS.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo Viro

JOELI LANGELOTT,

Medic. Doct. & Sereniſſ. Principis Cimbrici Archiatro Celeberrimo,

Fautori & Amico honoratiſſimo.

LAngelotte, novem decus Dearum
Langelotte, tui decus Morhof I,
Canentis ſoboles decuſque Phœbi,
Medentis ſoboles decuſque Phœbi,
Chemico tibi maximo poëta
Chemicam dico dedico poëſin.
Nam primo tibi maximoque amico
Prima pars Epigrammatum ſacranda eſt,
Quæ pars quinta vocetur Hippocrenes,
Phœbeis mihi nunc novo in camino
Excocta ignibus & calente pruna.
Ergo munus habe tibi minutum,
Guttas Aonii liquoris iſtas
Stillatam per alembicum Hippocrenen.
At ſi fortior impetus remiſſam
Et fœcundior implet aura venam;
Tum plenas mea Muſa fundet urnas;
Tum toto penitus madebis imbre,
Langelotte, tui decus Morhof I,
Langelotte, novem decus Dearum.

In

In Nuptias Pontici Juvenis & Accæ vetulæ Luſus Epigrammaticus.

1.

PUtida, turpis, iners anus & deformis amatur.
  Hæc dos emendat ſingula; pulcra fuit.
Hæc prope denatæ vitam ſenioque juventam,
  Deformi formam reddidit illa ſuam.

2.

Quod turpis cupit Acca Virum; Tu hanc, Pontice, duſcis,
  Acca ſibi pulcra eſt; Tu mihi turpis eris.

3.

Hinc fit anus juvenis juveni malè nupta marito:
  Hinc in anu juvenis fit ſine amore ſenex.
Huic calor in thalamo friget juvenilis inepto:
  Huic frigus flammis usque ſenile calet.

4.

Turpis anus frontem rugas caperata ſeniles
  Acca erat, & ſenio putida tota mero.
Explicat at frontem rugasque exporrigit aurum:
  Hinc effrons illi frons, ut amare velit.
Deformi jam forma ſua eſt, ſenioque juventa,
  Jamque calet frigus, jam bene fœtor olet.

5.

Hæc Anus; hic Juvenis. quam diſpar copula! nullum
  Hoc in conjugio credite conjugium eſt.

6.

Nubere vis juveni, nec mirum eſt, Acca, ſapiſti.
  Hic non Te, ſed opes ducit, & ille ſapit.

7.

Ponticus ergo Accam ducit? mentitur Amator,
  Dos Sponſa eſt, amat hanc Ponticus: Acca vale.

8. Tu

8.

Tu Juvenis primos inter numerandus ephebos?
  Hæc annos decies continet Acca tuos.
Quanta hæc diſparitas! ſed quos tibi ſubtrahit ætas,
  Hos annoſa annos addidit Acca Tibi.
Æqualis veſtros ergo metitur amores
  Calculus. Ergo nunc eſtis utrinque pares.

9.

Qui vetulæ turpes nunc ambit Ephebus amores
  Quam Te, bella Venus, lux mea, dicit, amo!
Si non derides, ſi verum, Pontice, dicis,
  Ah miſer ah neſcis, Pontice, quid ſit amor.

10.

Ut tibi ſit Conjux, Anus hæc Tibi ducitur Acca:
  Nunc Tibi nec conjux, Pontice, nec torus eſt.

11.

Ne cœlebs eſſes, conjux Tibi ducitur Acca:
  Nunc cœlebs ipſo es, Pontice, conjugio.

12.

Ne tibi ne ſterilis, fœcunda ſed Acca vocetur,
  Tot tibi quæ nummos, pignora pulcra, dedit.
Inde Tibi pulcram pariet pereundo juvencam.
  Hæc pulcra poterit reddere prole patrem.

13.

O Te felicem! thalamo qui diſcis in iſto,
  Quod non longa alios ſecla docere queunt.
Ante oculos quia nunc mortis verſatur imago,
  Perpetuâ diſces nunc pietate mori.

14.

Diceris infelix aliis; mihi, Pontice, felix:
  Quod ſine rivali nunc tua ſolus ames.

15. Dum

15.

Dum modo ducis anum, ſpretâ, male ſane, puella,
Te magni ſceleris dicimus eſſe reum.
Fur es, dum Patriæ natos ſerosque nepotis
Subtrahis, à ſterili ſpes cui nulla toro.
Improbus ipſe tui es ſicarius atque nepotum,
Et Tu cum totâ poſteritate cadis.
Quis furor hic thalamo vitam ſic perdere in iſto?
Et ſtructos in ſpem mortis habere toros?

16.

Nobis Anus Juveni, qui vix egreſſus ephebos
Inque ſuos infert integra ſecla toros.
Inceſtos ergo leges toleratis amores?
Quando nepos Aviæ jungitur ipſe ſuæ.

17.

Grata ſolet gratis ſpecies formoſaque amari.
Gratuitos vetulæ quis velit eſſe toros?
Venalis Venus iſta fuit, dos ſola marita eſt,
Tuque Virum, quem non, Acca, mereris, emis.

18.

Ergo etiam gelidi celebrant connubia manes?
Et lemures ineunt & mala monſtra toros?
Exequias hæc feſta voca tumulumque cubile,
Accendit triſtes improba tæda rogos.

19.

Ducitur Acca domum: nam ſi non, Pontice, ducas,
Vix anus ægra tuam poſſit adire domum.

20.

Cur non Acca Tibi placeat? velut arida ligna
Sunt magis apta foco: ſic magis illa toro.

21.

Ducit anum juvenis mirumque videbitur illud,
Frigida quod flammas paſcat amoris anus.

Ut

Ut per convexam glaciem Sol cœlicus urit;
Sic *Sol* per gelidam *Chemicus* uſſit anum.

22.

Pontice, ducis anum. quæ Te dementia cepit?
Quis calidum juvenem frigidus uſſit amor?
Quis ſolet arenti ramos immittere trunco?
Quis ſibi de ſpinis plectere ſerta velit?

23.

Pontice, quis furor hic? quænam hæc, malè ſane, voluptas,
Quæ præ Virginibus putre cadaver amat?
Improbus ille fuit, qui fæda cadavera primus
Inſtituit vivis jungere corporibus.
Nequior es qui, quod Mezentius extudit *olim*,
Sponte ſubis nulla ob crimina ſupplicium.

24.

Dicite quæ major fuerit veſania? pulcram
Pygmalion ſtatuam deperit; hic ſceleton.

25.

Non malè Tu numeras in amoribus: addere noſti
Quos Tibi nunc nummos Acca marita tulit.
Felix eſt numeros quæ congerit iſta Matheſis;
Multiplicare tamen non in amore poteſt.

26.

Pulcra fuit forſan, quæ nunc deformior Acca.
Falleris: Hæc ſemper nam fuit Acca ſenex.
Acca procos nullos habuit, cum viſa puella eſt.
Quò magis hæc vetula eſt, nunc magis illa placet.

27.

Indignos Juvenis vetulæ nunc ambit amores.
In pretio vetula eſt Acca, ſed ob pretium.

28. *Ana-*

28.

Anagramma.

Acca caca. nam quæ turpi magè digna marito
Munera delicias fœtida ferret anus?
Putida nil habet Acca boni, cacat Acca Latinis,
Omniaque hæc Grajis continet Acca κακά.

29.

Non puris prognata Venus Tibi prodiit undis,
Quæ Tibi nunc vetulæ pectus amore rapit.
Aut fuit Alecto, aut Ditis Tibi pronuba Conjux,
Aut fuit ex ipſo ſtercore nata Venus.

30.

Si tantum nummi ſtudium eſt in amore, placere
Ut facies rigida Gorgone digna queat;
Illa ſibi Ditem poterat junxiſſe maritum:
Hic turpi Ditis conjuge dignus erat.

31.

Aureus in Danaën deſcendit Jupiter olim.
Incidit in thalamos aurea Juno tuos.

32.

Ne Tibi ne vetulam jungas: nam forte ſub illâ
Se lateri ſpecie jungere Parca queat.

33.

Coſta viri mulier: ſed dum Tibi ducitur Acca,
Heu mihi. quam fragilis nunc tibi coſta datur!
Quam putris caries jam pene exedit & ætas,
Infirmum domui ſubjicis, Aule, latus.

34.

Porticus ambit anum. Cur? ex graveolentibus oſclis,
Reſpondit: lucri quod bonus eſſet odor.

35.

O par absque pari! ſibi ſed impar.

Iſte floridulæ decus juventæ,
Iſta decrepitæ pudor ſenectæ.
Illi multa Venus catullientes
Fœcundo populatur igne fibras:
Hæc gelu Scythicum, nives, pruinas
In venis alit & pigros Decembres.
Illum pulcricomus coronat orbis:
Iſta Gorgonio riget capillo.
Illi frons nitet explicata, & ipſa
Inſculpſit teretes Charis figuras.
Illi frons ſedet hirta, quam retusâ
Imprimit Cronius notatque falce.
Hic meſſes redolet madens Sabæas:
Spirat funeream ſed hæc Mephitin.
Illi genua virent genæque florent,
Et firmum latus eſt & ampla cervix:
Huic omnes tremor occupavit artus,
Et marcent genæ & hinc & hinc labantem
Fulcire emeriti pedes recuſant.
Hic compingitur artubus toroſis
Mollis, vinulus, atque ſucculentus:
Illa eſt oſſea, tota cornu,
Tota eſt litera longa, inanis umbra.
Æquali tamen hi toro jugantur
Impares animis vigore & annis
Impares opibus, ſacris, profanis,
Impari gemini impares amore.
Non miſſis ferit hos Cupido telis,
Non Venus neque Juno junxit illos.
Ut tamen ſibi par uterque nunc ſit,
Inducto geminos ſuperque fuſo
Compegit Veneris maritus auro.

AD

AD
Nobiliſſimum & Ampliſſimum Virum,
JOELEM LANGELOTT,
Medic. D. & Archiatrum celeberrimum, cum illi Balduini calceum mitterem.

CAlceus hic à me Tibi mittitur : accipe munus.
Ut tamen hic ad vos ambulet, addo pedes.

Ad eundem.

TRado tibi longis detrita hypodemata ſeclis
Romano Græco non malè juncta pedi.
Non judex jam ſutor erit : namque hic crepidam ultrà
Qui ſapit, in crepida ſic ſatis ille ſapit.
De ſoccis Medicus nunc judicet atque cothurnis,
Deque his judicium ferre Poëta queo.
Hos mea Muſa dedit; neque ſordida munera ſordent.
Quam dare quam vellet ſandalium illa Jovis!

In Bibliothecam
indocti.

FOeta tibi multis tenduntur pulpita libris,
Et lectos cumulas, nec legis ipſe libros.
Non ego ſelectos, niſi ſint tibi, Stulte, relecti,
Aut intellecti, Pontice, curo libros.

In Religioſum Simulatorem
crucem de collo ſuſpenſam geſtantem.

QUid ſimulas, te, Cinna, pium? quid, peſſime, jactas
Numina, qui totus fraude doliſque ſcates?
Quid cruce Tu frontem ſignas & cetera membra?
Cur pectus tibi crux penſilis iſta premit?

Tolle crucem nebulo. Cur hæc tua pectora ſignet?
  Cum tibi Dis ſua ſub pectore regna ſtruat?
Tolle crucem nebulo: Cur crux tua pendeat à Te?
  A cruce Tu pende, furcifer, ipſe tuâ.

In

Murciani cujusdam notas.

TOtâ notus in urbe Murcianus,
  Notus improbitate Murcianus,
Et notus ruditate Murcianus,
Ignotusque bonis & eruditis,
Ut notus tamen eſſet eruditis,
Has notas notus ille connotavit,
Jam notas pueris & enotatas,
Cantatas pueris Scholisque nugas,
Cunctis hactenus illitas libellis.
Notarum folia illa putidarum
Notis diripienda dem vel Euris.
Has notas tamen usque & usque bardus
De notâ meliore Murcianus
Commendat ſtolido levique vulgo.
Quid jactas fatuas, inepte, nugas;
Nugivendule, ſtulte, barde, vecors,
Et propola ferax ineptiarum?
Te furtis, Nothe, jam notisque notum
Fama ſtigmate jam notavit atro,
Et quicunque vocantur eruditi
Infamem plagiarium vocabunt
Infamemque Notarium notabunt.

In

Poëtam Ebrioſum.

ERgo, inſane, nequis tu ſobrius eſſe Poëta?
  Carmina, ni potes, fundere nulla potes.

Ebrie-

Ebrietas nobis cum mentem involvit opacam,
Non facit officium peſque manusque ſuum.
At Tibi cum titubat lingua & manus improba, ſoli
Officium faciunt, Pontiliane, pedes.

In quendam
Qui primam in VITIUM produxerat.

IN *vitio* primam produxit Marculus: ingens
In vitio vitium hoc arti-fuit-ficium.

Excuſat ſe Amico ad cœnam invitanti.

LUbens venirem. Sed maligna, præfracta,
Mucoſa, fœda, ſpiſſa, ſpurca, viſcoſa,
Cyclopica, rauca, ruſticana, ſylveſtris,
Decumana turbat, obſtat, impedit tusſis,
Cujus per inteſtina ſævit hirta tempeſtas,
Quatitque fauces, pectus, ora, pulmones,
Et verba rumpit ipſa; cujus hic teſtis
Singultiensque tusſiensque ſit Scazon.
Si verba nulla, ſed meras meas tuſſes
Audire ſuave erit, tuas fatigabo
Rauco boatu delicatulas aures.
Sed ohe! acerba rurſus aſperat fauces
Et verba truncat ipſa tusſis. hem! hem! hem!

In quandam
à balneis ſibi fœcunditatem promittentem.

BAlnea quid proſint ſterili? dum pectora, ventrem,
Dumque lavas ſatis hoc, ſtulta, lavas laterem.

In Infantulam Annam
eodem anno, quo nata erat, exſtinctam.

NAta tibi fuit Anna, ſed hoc exſtinguitur anno,
Anna fuit; ſed non Anna perenna fuit.

In

Baubalum Rabulam.

AUrum Baubalus optat; ardet aurum;
Auri paſcitur ille ſemper aurâ.
Iſta paſcitur ille ſemper eſca,
Et quando aureus hunc rigavit imber,
Ferreo tonat aurea ore verba.
Aurum cum dederit cliens miſellus,
Tum ſtatim aurea verba reddit illi,
Quæ donis emat hic novis & auro,
Ferrea quod & ille fronte poſcit.
Hunc ergo aurea verba differentem
Quis χρυσόστομον haud vocaret? At nos
Illum χαλκοστερόστωπον exhibemus.

In

Virginem Juvene ponderoſiorem.

POndere (quis credat?) ſuperat juvenem Anna toroſum,
Et graviore virum mole puella levat,
Quæ parva eſt, gracilis pulcriſque tenerrima membris,
Nec calcata ſuo læſerit ova pede.
Dicite vos Phyſici: gravitas unde illa puellæ?
An gravius dicam Virginitatis onus?
Fallimur. Illa levis tangi nequit atque videri,
Ponderis iſta nihil, nil gravitatis habet,
Res patet exemplo. ſolet ecce leviſſima Virgo
Amiſsâ fieri virginitate gravis.

In quendam

Leporini nominis.

DUxerat uxorem Leporino nomine gaudens:
Sed μεταμόρφωσιν mox ſubit ille novam.

Auri-

Auriculæ Leporis ſenſim mutantur in hirci
Cornua, ſicque bonus fit λάγος ille τράγος.

In

Mœchum pauperem.

MUlta tibi eſt pellex: hinc eſt tibi curta ſupellex.
Tecum habita, non cum pellice, ſalvus eris.

In

Quendam Plagiarium.

EX alio totum deſcribis, Dindyme, librum,
Quem vidiſſe librum te tamen usque negas.
Eſt tibi nempe, licet nolis vidiſſe libellum,
Ipſe licet cœcus ſis, oculata manus.

In

Duos Rivales, quorum alter Virgine excidens Anum duxerat.

AMbibant unam Corydon Aulusque puellam:
Sed ſpe dejectus duxerat alter anum.
Et vitulâ Tu dignus & hic cuicunque videri
Poſſit: Sed vetulâ dignior Aulus erat.

In Nuptias,

Nobilisſimi & Amplisſimi Viri,

OTTONIS NICOLAI
Repenhagen/ J. U. D.
&

Nobilisſimæ Lectisſimæque Virginis,

AGNETIS MARIÆ
zur Nedden.

AGnes eſt Magnes; parvum diſcrimen utrique eſt.
Ut trahit hic ferrum; ſic trahit illa Virum.

Te quoq;, Sponſe, trahit: quem non trahat illa? ſed ipſe
Magnetem ſequeris, quà rapit ille, tuum,
Sit Magnetiſmus veſtris amplexibus arctus,
Et tua Magneti ſtet Cynoſura tuo.
Ille Tibi recto nunquam declinat ab axe,
Adque tuos ſemper vertitur ille polos.

In vaſta cujusdam volumina.

QUis non miretur quæ ſpiſſa volumina ſcribis,
Cui geminum ſemper parturit annus opus.
Argus es in libris de nocte dieque legendis,
Scribendis Briareus centimanusque Gigas.

In caput è marmore ſculptum.

AN lapis hic? fallor, ſpirans in marmore vultus,
Sculptoris lapidem quem vetat eſſe manus.
Hoc eſt Artificis ſummi (miracula pando)
Artem, naturam, ſe ſuperantis opus.
Cetera qui ſimili ſic arte expreſſa videret,
Neſciret ſculptum, diceret, an genitum:
Vel quis Gorgonio mutatum lumine, vel quis
Deucalioneæ crederet artis opus.
Cur tamen iſte pedes cur noluit addere ſculptor,
Nec capiti junxit cetera membra ſuo?
Hic metuit, pedibus ne vivum opus artis abiret
Sculptor. An ergo meos addo Poëta pedes?

In Caput formoſæ Virginis ſculptum.

A capite ad calcem poteras pulcerrima dici,
Spectatur ſolo hîc forma ſed in capite.

In effigiem Incomparabilis Theologi,

JOHANNIS GEORGII
DORSCHÆI.

Dor-

DOrſchæum pinxiſſe ſat eſt. Encomia Vatis
 Vana, latet nulli, quod cuicunque patet.
Umbra animi corpus, ſed imago hæc corporis umbra
 Heic quanquam videas plurima, pauca vides. (eſt,
Ærea nunc facies, cui mens erat aurea, in hoſtes
 Ferrea, cui orbis doctus in ære ſuo eſt.
Ultra Dorſchæum nihil eſt, nec deſinit ille,
 Cui par nemo fuit, nemo ſecundus erit.
Ille ſui menſura, ſui compendium & ævi,
 Se ſolo tantum major & orbe ſuo.

Ad Poëtam
Sub Aquarii ſigno natum.

AMphora te genuit. felix, me judice, ſignum!
 Nam tibi Pegaſeo vena liquore fluit.
Amphora grata bonis bene creditur eſſe Poëtis:
 Sed bona vina ferat, non ea fundat aquas.

Admonitio ad Amicum Sponſum
Sponſam aliquam Urſulam ducentem.

I pete nunc choreas. Sed cum nox pulcra propinquat,
 Optataſque quatit Cyhthia ſera faces,
Urſula, clamato: ad thalamum *Urſula* ô *Urſula*. ſed ſt!
 Ne tibi nocturnus comprimat ora vigil. *

* *celebrabantur enim Roſtochii nuptiæ.*

In Judicem Δωροφάγον.

PRætorem manibus vacuis acceſſerat actor.
 Sed ſurdus illi Prætor: hinc rediens duos
Secum ſcutatos adduxerat: heu ego vincor
 Inquit, nec Hercules quidem contra duos:
Nec Themis ipſa ſuum gladium, quem vibrat, in iſtos
 Vibrare ſcutatos duos auſit, velit.

In
Poëtaſtrum Laureatum.

PОntice, qui lauru tibi cingebat caput, is non
Debebat lauru cingere, at helleboro.

In
Cujusdam Micas.

HEſterno quas tu micas ex jure petitas
Doctorum lautis addis, inepte, cibis?
Quem paſcant fatua hæc inſulſaque fercula? non eſt
Inter tot micas unica mica ſalis.

In quendam vagæ eruditionis hominem.

DOctus vocaris Teque doctum credimus,
Habes (nec hoc negabo) Tu Sapientiæ
Salem, Poſille, ſed nimis volatilem.

In
Cujusdam librum
cui THESAURI nomen fecerit.

SUbripis ex aliis emendicasque libellis,
Atque hinc Theſaurum colligis, Aule, tuum.
Sed pro theſauris, his Chalcographi carbones
Inveni in chartis prætereàque nihil.

In
Cujusdam SPICILEGIUM
exſcriptum.

QUis jam ſpicilegium putet Rapinum?
Tot notum ſpoliis ſuis Rapinum?
Et falces ſolitum ſuas in agros
Semper mittere non ſuos Rapinum?
Non paucas legis, ô Rapine, ſpicas:
Meſſes ſublegis, ô Rapine, totas.

EPI-

EPIGRAMMATUM

LIBER SECUNDUS.

Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro

CASPARI VOIGTIO, JCto.

Conſuli Viſmarienſium

Optimè merito.

Fautori, Amico honoratiſſimo.

TUn' ergò, Liber inficetè, prodis
Tuis pulverulentus è latebris?
Et prenſas Tibi Conſulem Patronum?
Illum ævi melioris hoſpitem? illum
Lepórum, Venerum, Elegantiarum,
Muſarum Themidosque promicondum?
Illum tot mihi vinculis amicum,
Et tot nominibus mihi colendum?
Prenſa. Non veto. Sed tuo periclo.
Nam ſi, quod vereor, procace vultu,
Plebejo, Liber impolite, cultu
Cenſorem Tibi provocas ſeverum:
Si ſpem fallis hiantis, & Patroni
Fallis otia docta, fallis aures
Argutas, oculosque perſpicaces,
Et ſenſus animi ſagacis, ut nec
Dignus Conſule ſis, nec ille Lector:
Lictor imminet expeditque faſces,
Et cum faſcibus expedit ſecures.

Pro-

Programma,

Quo poſt elapſos dies Caniculares invitabat ad lectiones de frigidâ oratione in Ariſt. lib. 3. Rhet. c. 3. habendas.

FUgêre dudum flammei cœlo dies:
Et nos, loquendi quæ Magiſter maximus
Proponit oris auriumque frigora
Ferventibus paravimus ſubſelliis.
Sed eſt maligni neſcio quid ſideris,
Ferocientis poſt calores Sirii,
Quod frigus afflat auribus, ſubſelliis.
Phœbéus hoc ô vincat, expugnet calor!
Ut excitetur ſi quid ignis eſt ſuper:
Nos frigidam frigentibus ſuffundimus.

AD

Celeberrimum Virum

THOMAM BARTHOLINUM

poſt incendium Bibliothecæ ſuæ de libris legendis ſcribentem.

B*Artholine*, tuæ decus admirabile gentis,
Gentis Apollineæ, noſter, & Orbis amor,
Cum Tibi Phœbeas raperent incendia gazas,
Gens non una tuô viſa dolere malo eſt.
Quæ voluêre piis exſtinguere fontibus ignes
Cum Duce ſemianimes ingemuêre Deæ.
Nunc tamen, & poſt tot doctas, nova munera, chartas
Cynthius in damno nil dolet ipſe tuo.
Quin, ait, exurant quos lux tua provocat ignes,
Teque gravaturum depopulentur onus:
Res erit in tuto. Facilis jactura ſaburræ eſt,
Cui ſaturâ Eoâ meſſe carina tumet.

Cur

Cur ſontes flammas, cur hæc ſua damna queratur,
Sarcina *Bartblino* ſi gravis illa meo eſt?
Se quia non perdit; quia ſe, quia poſſidet omnes
Librorum liber hic vivus & unus opes.
Totque ſenex vegetæ monumenta perennia famæ,
Deque libris totos exſtruit usque libros,
Ipſe ſuo ſurgit, velut ultor funeris ales,
Bibliothecarum Bibliotheca, rogo.

In Criſpum

Omnia dividentem & ſubdividentem.

DIvidit, ac iterum ſubdividit omnia membra
Articulosque novos Criſpus in articulos.
Fallimur, an qui membra tibi tenet omnia morbus,
Has etiam chartas articularis habet?

In ineptum

de arte ſilentii librum.

QUi dicenda taces, loqueriſque tacenda, tacendi
Ut doceas artem, diſce tacere prius:
Hanc ubi doctus eris, non Te, Theleſine, Magiſtro:
Tum benè diſce loqui; namque tacere doce.

Differentia Aſtronomi & Aſtrologi.

ASTronomo Aſtrologus quid differat, accipe:
Metitur alter, alter ille mentitur. (quantum

In Lupanar

Sub ſigno Tauri.

QUid ſibi ſuſpensâ candentis imagine Tauri
Acca velit, merito plebs oculata rogat.
An aliquis ſibi arandus ager? num flagitat, ut quod
Taurus arator agit, Taurus amator agat;
An ſibi Paſiphaë picti ſub imagine Tauri
Admitti Tauros vult rediviva procos?

An quæ ſiderei Venus hoſpes & incola Tauri eſt,
Heic quoque ſub Tauro regna laresque tenet?
Forſitàn hoc ſuperos emblemate mancipat ignes
Cuſtodesque domûs evocat *Acca* ſuæ.
Omen habet res illa. Venus cum ſidera Tauri
Occupat, in Venerem terra polusque ruunt.
Tunc calidi incipiunt Veneri procedere menſes:
Jupiter antiquum tum meditatur opus.
Omnibus in gremium deſcendit Conjugis horis.
Pandet & heic horis omnibus *Acca* ſinum.
Heic quoque perpetuos exercita pandit Apriles:
Seu velit illa Joves; ſeu velit illa Boves;
Aut uno ore duos: namque in Bove Jupiter arſit.
Forſan & hæc Taurum ſignat imago Jovem.
Illa nitet ſpecioſa armis & cornibus aureis:
Tam nitidos poſcunt hæc quoque rura Boves.
Qui venit huc pinguis, pingui macer exit ab arvo
Taurus, mox Orco victima danda ſuo.
At vos fallaci, Juvenes, ne credite Tauro.
Hæc eſt in veſtrum machina facta caput.
Scilicet è Tauris hic eſt, ſpirantibus ignem:
Et cornu & flammis ille (cavete) petit.
Ille Perillæos mihi credite, Bos alit ignes,
Et miſeros intra pectora cœca coquit.
O fugite? o fugite hos, quos qui non effugit ignes,
Supplicium in flammis invenit ipſe ſuis.

IN

JOH. NICOL. SCHIPPELII

Inauguralem

De lue Venereâ

diſputationem.

OMnia ſunt veſtris (quis enim neget?) uſibus apta.
Si Schola ſit Medico nulla, lupanar erit.
Non pudet ex ipſis Muſas jam diſcere ſcortis,
Arbiter & lenas inter Apollo ſedet.
Et Tibi, *Schippeli*, Venus occupat improba chartas.
Unde Tibi dentur præmia, Thais habet.
Iſta lues Tibi fœda malumque infame parabit,
Helleſpontiaci cruxque pudorque Dei.
Res nova, *Schippeli!* nam quo Vir perditur, illo
Te præſtas nobis (laus tua quanta!) Virum.

In eundem.

ICta Cupidinei ferrugine vulnera teli
Quâ tolli poſſint ſedulus arte doces,
Quique ſuis Satyri perierunt ignibus uſti
A Te reſtitui pharmaca dante volent.
Jam Te dediſcet ſua, credo, venena Magiſtro
Cypris, & ex ipſo fama erit ampla malo.

In mortem Pictoris Glyci.

NUnc ibit ergo imago ſub terras Glyci,
Qui vivus ipſe pinxerat tot imagines,
Nunc ille poſt ductas tot olim lineas,
Rerum ſupremam & linearum lineam
Ducens Apelles eſt, & abſolvit diem.

Ad Amicum

Cum ſuffimenta illi mitterem.

MItto Tibi fumos, ſed Vir bonus: illum ego fumos
Vendere poſſe nego: ſed dare poſſe puto.

IN
JOH. CASP. PFENNINGII,
Med. D.
Conjugem dilectiſſimam,
SOPHIAM CLAUSENIAM,
ante Kal. Jan.
poſtquam maritum prole donaverat,
exſtinctam.

SIc ergo fugiente fugis velocior anno!
Hic obit extremum; Tuque, beata, diem.
Vix venit ille, novo ſubeunte, noviſſimus, anno:
Et veteres tumulat nox Tibi longa dies,
Sed Tibi jam magnus cum magnis menſibus annus,
Ac alio ſurget Sol ſuper axe novus.
Tempora cum celeres nobis rapuêre Kalendæ;
Usque Tibi hic annus ſit novus, hora, dies.
Sint procul hinc lacrymæ, lamenta ingloria, planctus.
Fallor, an hæc ſtrenas & bona verba cupit?
Quin damus has: pia nam ſimul officioſaque prolem
Strenam, danda Deo, Strena dat illa Viro.

In
Conjugia horum temporum.

CUm petitur Conjux, quærenda pecunia primum eſt,
Uxor poſt nummos atra vel alba venit.
Quid valeant Sponſæ loculi, quid ferre recuſent,
Quæritur: hic totâ rumor in urbe ſonat:
Non, quod Tu Vates quondam Peligne canebas,
Nunc Oculi; Loculi ſunt in amore duces.

Ad

Ad Amicum.

ARtis habes multum, candoris, pectoris, oris.
Judicio totus ſtabo cadamque tuo.

In Librum è diſſertatiunculis, quæ ad latus Calendariorum apponi ſolent, totum exſcriptum.

EXivit ille (ſcimus) è faſtis liber:
An unquam iturus in faſtos ſit ambigo.

Epicedium in pedem reſectum.

QUi Dominum tulerat, pes nunc effertur. At ô vos
Emerito famuli nunc date juſta pedi.
Omni qui fidus Domino in ſtatione miniſter,
Et poterat noſtros hos meruiſſe pedes.
Ipſe pedi Dominus ſupremum ſtans pede in uno,
Vel pede conducto, ſolveret officium.
Sed nunc ille jacet, jacet & pes alter ab illo,
Funera qui fratris damnaque luget Heri.
Fors Stygias præiit pes explorator ad undas,
Et Styga cum tetigit, tactus ab igne perit.
Et nunc pes monitus meliora revertitur alter;
Cum Domini redimat mortuus ille caput.
Aggreſſura caput pede mors avertitur uno,
Altera mors capiti certior inde venit.
Quò præit ille, ſui pedis ipſe pediſſequus ibit
Tunc Herus, & tacitum claudus inibit iter.
Nunc vivit tamen ille pedique ſibique ſuperſtes,
Seque videt partem teſte perire ſui.
Non omnis moritur, cui pes perit: ille Charontis
In Cymbâ poterit ſalvus habere pedem,

Sal-

Saltem dimidiâ podagrâ nunc parte levatur:
Ille dolor redimi vel pede dignus erat.
Quis non felicem damno deprædicat iſto,
Qui ſua fata uno prævenit ipſe pede?
Quæ rogo fallendi mortem ratio nova? parte
Velle aliquâ, totus ne moriare, mori.
Ut pereant, aliis mors eſt ſatis una: ſed illi
Ut pereat, mors eſt non ſatis una Viro.

Ad Avarum.

QUid juvat oſtentare ſuas & condere gazas?
Hæ bene quæſitæ, quas bene perdis opes.

IN
HENRICI BALEMANNI
Lauream Juridicam.

MUlta tuo vellet (quid enim non vellet?) honori
Scribere, quæ cuperes, noſtra Thalia tuo.
Nunc ea tota ſilet rerum pertæſa ſuarum:
Quæ tot ſurda aliis non fuit, illa Tibi eſt.
Tu tamen ipſe Tibi, Te nunc interprete, ſcribi
Quæ cupis, hæcque cupit ſcribere, ſcripta puta.
Quò Tibi præ titulis plus eſt virtutis & artis;
Hoc mihi plus ſtudii eſt; vocis, Amice, minus.

In
Carteſianum quendam Philautum.
Cogito Ergo ſum.

ET Cogitas, & Es: nec eſſe Te nôris
Niſi Cogites, incogitans tui quanquam
Rerumque Cogitator ac opinator.
Et eſſe Cogitas, & Es Tibi doctus.
Et eſſe Cogitas, & Es Tibi pulcer.
Et eſſe Cogitas, & Es Tibi dives.

Quod eſſe Cogitas, id Es Tibi. quicquid
Sis Cogitesve, ad me nihil: ſed id certum eſt,
Non cogitas quod ipſe, Cogitant omnes,
Sciunt, loquuntur, eſſe, *Gaure*, Te Stultum.

In
Concionatorem quendam Demagogum.

CLamas, quiritas, ringeris, cavillaris.
Intaminatum nil tibi, nihil ſanctum eſt,
Et impotente tangis hos vel hos linguâ.
Cum frons reclamet ipſa, conſcium pectus
Tuos pudendos ingerat tibi mores
Nil hoc tumultu proficis miſer: toto
Erras, Severe, cœlo & hoc tuo Zelo.

In Procillum Poëtaſtrum.

MAgni videri ſpiritus cupis Vates,
Procille, circulis in omnibus, ſtultos
Inter ſodales, vidimus repentinum
Laudum ſuarum carminumque cantorem.
Spirat veternoſo ſacer furor vultu,
Et una verſus gignit hora ſexcentos.
Hos ille, flumen Eloquentiæ, fundit
Meros catarrhos & meras diarrhœas,
Meras ineptientis ingenî febres.
His ille verſibus ſibi placet, plaudit,
Regum triumfos cantat, hi ſuis demum
Digni Camœnis. Ergo quicquid heſternus
In innocentem abortit impetus chartam,
Prelo paratur, Regio ære ſpectandum,
In Regiâ vel optimæ notæ chartâ.
Sed non vides, Procille, quam Tibi frontem
Oſtendat ipſa hæc, & tuam Tibi, Charta.
Illa ipſa, qui ſis clamat, omnia hoc clamat

Pagi-

Pagina ſuoque grande munus Autori,
Parem labori verſibusque tam ſtultis
Titulum, patellâ operculum ſuâ dignum
Suſpendit illa MORIONIS INSIGNE*

* *Alluditur ad ſigillum Chartæ impreſſum, quod ſolemus vocare* Die Narren-Kappe.

Cenſura libri inepti.

SI videas quæ ſtulta liber tenet ille; volumen:
Si bona quæ latitant rara, libellus erit.

In Quandam Sibillam Anagramma.

PUlcra & honeſta Tibi es, ſed non mihi. nomine ver-
Labilis es (memini) ſæpe Sibilla cadis. (Io

AD

ADOLPHUM FRIDERICUM ZUR NEDDEN,

Principi Mecklenb. à Secretis
de Litium expenſis pro honoribus in Jure diſputantem.

ERgo poſt varios tandem Tibi digna labores
Præmia munificâ dat Themis ipſa manu,
Qui tot Vandalici curis ſpectatus in aulâ
Principis, eximii dextra decusque Ducis.
Quem modo Cæſareus Domini mandata ferentem
Vidit apex, ſanctâ tam bene geſta fide.
Quem Themidos vidit toties oracla petentem,
Quæ Nemetum in terris panditur aula Deæ,
Jam poſt ſudatas Tibi juris in arte palæſtras,
Palma tuo Capiti debita rite venit:
Dum poſt pugnatas longo molimine lites,
In litem tandem lis venit ipſa Tibi.

Gratulor è mediis palmam Tibi litibus ortam,
Ne tamen hæc lites litigioſa ferat.

In Cinnam Carmine Adonico magni Regis laudes decantaturum.

QUis ille ſtultus eſt Tibi furor, Cinna?
An iſta Rege digna Carminis ſcobs eſt?
Illud minutal verſuum & retrimentum?
An cum pedes heroicos darent omnes,
Pediculos offerre Te decet Regi?

In
M. ADAM. LAUR. NICOLAI
ad D. Jacobi Eccleſiaſten Lubecenſem,
&
ANNAM SEGEBADEN,
Conjuges.

JAcobus primas: partes habet *Anna* ſecundas,
Juncta ſibi in Faſtis nomina, juncta Tibi.
Illius Tibi prima: ſed altera cura ſit Annæ.
Illa ſibi noctes poſtulat: ille dies.

In
JOH. PHILIPPI ROSMANNI,
Diſp. inauguralem de Injuriis.

CAntata toties, dedocenda qui doces
Injuriarum jura, qui dicacibus
Nunc frena linguis diſputator injicis:
Monſtrasque, queis ſe lingua vindicet modis.
Hoc diſce: Sed quod improbant leges tuæ,
Clamoſus improbet Patronus. *Optimus Injuriarum eſt diſputator, qui ſilet.*

Ad

Ad Eundem.

POſt exantlatos tot juris in arte labores
Palma tuo capiti ſera, ſed ampla venit.
Jamque Tibi felix inhonoro à nomine ſurgit
Gloria, jamque parit dedecus ergo decus.
Quæ bacchantis erant infamia crimina linguæ:
Præmia nunc linguæ recta loquentis erunt.

Ad eundem Doctorem & Sponſum.

ALma faces Themidi præfert Venus, & Themis illi:
Hæc Venerem illuſtrat; ſed fovet illa Themin.

In
D. JOH. DAN. MAJORIS
Muſeum:

PArs non magna domûs, minor Urbis & Orbis in iſto
Secum habitat Major, quo minor ille, loco.

Ejusdem jocus in Tuſſim noſtram.

ASpera Tusſis abi: Tibi quid cum Rhetore magno?
Cauſidicos olim Tusſis & Aſthma juvat.
Linque ſed Aonias fauces atque ora MorhofI,
Ipſe Tibi gratus Carmina multa dabo.

Reſponſio Morhofii.

CAuſidici pereant & tuſſes Cauſidicorum.
Utilis eſt illis; tuſſis honeſta mihi.
Non ſibi Cauſidicus, ſed danti tuſſit Amico.
Ipſe bonâ mihi nunc tuſſio, crede, fide.
Cauſidicus vafrè nummos ſibi tuſſit & aurum,
Ipſe mihi ſordes tuſſio, Amice, meras.
Ille habeat veram tuſſim cum ſordibus: aurum
Cum nummis Major Morhofiusque ferant.

In Anum loquacem morbo colico exſtinctam.

GArrula vixit anus: poterat modo farier anus,
Garrula nunc etiam labra moveret anus.

Ad Paulum de Divitiis Poëtarum.

HEu mihi quam tenuis Vatum, quam curta ſupellex!
Nominis hic multum *Paule*, reique parum.
Fœcundum multo nobis ab Apolline pectus
Quid caleat, nullo ſi calet igne focus?
Eſuries urget? cruciat ſitis arida? nullam
Fama famem ſedat, Caſtalis unda ſitim.
Veſtis abeſt? Laurus frondes Tibi præbet & umbram:
Tempora at hæc nobis vix bene nuda tegit.
Non deſunt numeri: numeris ſed pondera deſunt.
Et numerus nummos deficit: hi numeros.
Ingenio quoniam, ſed ſolo vivimus, aurâ,
Quæ nobis reſtat, veſcimur ætheriâ.

De Mariano, qui nummos meretrici cuſtodiendos dederat.

TRadiderat nummos, bene quos numeraverat, *Acca*:
Cum repetit, videt hanc exſecuiſſe decem.
Pernegat Acca datos: numerum, *Mariane*, quid urges?
Non curat Lupus hunc; non, *Mariane*, Lupa.

In Convivia funeralia.

COrpora tum demum benè creditis eſſe ſepulta:
Corpora ſi quoque ſint veſtra ſepulta mero.

In

In
GEORGII JACOBI BLANCKII,
Diſputationem Inauguralem de Vulnere Sclopetorum.

DUm toto dominatur orbe Mavors,
Et tetro vomit efferatus ore
Globos, ſulphura, tela, ſaxa, flammas,
Hosque vulnera tot ſequuntur imbres:
Tu doctâ cataphractus arte miles,
Nullis vulneribus patens Achilles
Sicco hæc vulnera diſputas duello,
Et palmæ Tibi laureæque ſurgunt,
Doctæ præmia velitationis.
O quem Te memorem vocemque! dignum
Ferreo Medicum, JACOBE, ſeclo!
Sed Tibi & loculis tuis Gradivus
Seclum ferreus aureum rependet.

In Baſſum, qui ſe ajebat ſpiritu mundi vivere.

QUis furor hic? quæ Te cepit dementia, Baſſe?
Ut magnâ mundi vivere mente velis.
Credimus: ut movet hæc mundum, te movit agyrten.
Exul ut es Patriæ; mentis es ipſe tuæ.
Communi qui mente ſapis, Tibi deſipis ipſi.
Mundi animâ vivis: ſed moriere tuâ,
Non animam mundo Tu tunc debebis, at orco:
Si ſapis, ad mentem, Baſſe, redito tuam.

In mortem Avari.

E furtis, ſpoliis fundos Tibi opesque parâras.
Ipſeque nunc ſpolium Ditis, Avare, jaces.

De fertilitate agri Marſici.

QUis credat? ſua Neptuno Cererique parantur
Connubia, agreſtes & mare fundit opes.
Quod natura negat, manus arſque miniſtrat, & illi
Materiem; fundum fabricat ipſa ſibi.
Riſimus Oceano minitantem vincula Xerxem:
Hoc eſt Oceanum vincla docere pati,
Ac elementa novos intra conſtringere fines,
Hoc bona Neptunum non ſua noſſe docet.
Multa quidem populis ſunt didita munera: ſolus
Et facit ipſe ſibi, & littora Marſus arat.

In Nuptias cujusdam Alexandri.

ES Vir Alexander. Sis Magnus. Et id Tibi nomen
Corporis ingenii nunc tueantur opes:
Magnus Alexander magnum ſpe ceperat orbem:
Et Tibi qui paret, Tu μικρόκοσμον habes.
Ille quidem plures voluit jactantior orbes
Vincere: non uni par tamen ille fuit.
Tu plures quoque forte ferox audaxque juventâ
Expetis: hunc unum Tu mihi vince: Vir es.

In Sciolum.

OMnibus es ſtultus, ſapiens Tibi: dic rogo, qui ſit
Naſutus cum ſis naris obeſa Tibi.

JOCO-

JOCORUM

LIBER.

LESSUS
IN
CICONIAM ADRIANUM.

Carmen juvenile & ludicrum,

Roſtochii olim Anno 1659. nunc denuo, Amicorum rogatu, editum, auctum & interpolatum Anno 1567.

* * *

Admodum Reverendo & Ampliſſimo Viro,

JOSUÆ ARNDIO,

Theologo & Polyhiſtori celeberrimo,

Sereniſſimo Duci Mecklenburgico,

GUSTAVO ADOLPHO

à Concionibus & Conſiliis ſacris,

Fautori & Amico honoratiſſimo

S. P. D.

D. G. M.

NOn ad Cimbros nunc ita abii, Vir Ampliſſime, ut & ab Amore tuo abirem, & nominis tui, totque beneficiorum memoriam animo ſimul ejicerem. Obverſabuntur iſta animo, eaque inter familiares meos deprædicabo, cum aliâ ratione vix mihi grato eſſe liceat. Quid enim non Muſæ noſtræ tibi debent? quæ favore tuo ſubnixæ, manu tuâ ſublatæ, ſi non in primis, ſaltem in ſecundis tertiisque Parnaſſi ſubſelliis auſæ ſunt conſiſtere. Commodùm ergo, uti ſemper, ita nunc Tu in mentem, cum leſſum in Ciconiam Bodockianam denuò amicorum rogatu prelo ſubjicere paro, quam nomini tuo ſacram volo. Et cur non velim? cum ejus auſpiciis in notitiam tuam primùm per-

venerim, & ab ipſius Sereniſſimi tui Principis, Pii, Felicis, Incluti Clementiâ publicum famæ impetraverim ſuffragium. Ex eo Muſis & Apollini dedicavi optimam avem, quam inter Deos Patronum non inveniſſe miror; cui tamen nec Aquilam nec Pavonem (pace Jovis & Junonis dicam) temerè prætulerim. At Theologo non conveniet munus hoc, dixeris. Sed Pietatem profeſſo piiſſima avis rectè dicabitur, quæ regium quondam ſymbolum in Ægyptiorum ſceptris exhibuit; cujus ſpectabatur in Cæſarum nummis effigies, Pietatis Augustæ imago pulcerrima. Leve hoc aliquis & ludicrum carmen dicet? Dicat: Neque enim famam ex illâ ave aucupor, vel, ut ſublimis videar, nunc, quod proverbio dicitur, Aves quærere, aut τὰ πετώμενα διώκειν geſtio; nec illam Pſaphonis quandam avem aliquis crediderit. Si quæ autem ſperanda illi fama, Tu alas, ceu Dædalus quidam, addes, quibus per ora virûm volitet. Ego nunc denuò manumitto, emancipo, poteſtatique tuæ trado olim gratiſſimam Tibi avem, neque nunc, uti ſpero, ingratam. Facilè Tu arcebis γαμψώνυχας Accipitres, Corniculas Æſopicas, aliasque inebras & arculas aves, easque abire εἰς κόρακας jubebunt Muſæ, quibus in Ἀηδόνων & χελιδόνων Μουσεῖα exercetur judicium. Quod ſi Apollini Delphico avicularum quondam plumæ oblatæ, nec Tu ſpernes exile hoc munus. Et vellem ejusdem Ciconiæ ubique piæ etiam hîc imitari liberalitatem, quæ, Æliano memorante, Tarentinæ cuidam viduæ, crus ſibi fractum reſtituenti, gemmam pretioſiſſimam pro roſtro in ſinum conjecerat. At malui nunc Ciconiam offerre ipſam; ut videas me, tàm animo, quàm opere ipſo voluiſſe ἀντιπελαργεῖν. Vale.

QUI-

QUIRITES.
EXEQUIAS.
PIISSIMO. VOLUCRI.
CICONIÆ. ADRIANO.
QUEM. VIR.
NOBILISSIMUS. ET. AMPLISSIMUS.
LAURENTIUS. BODOCK.
INTEGRO. BIENNIO. HOSPITIO.
LIBERALI. EXCEPERAT.
NUNC. INFICETO.
FACINORE. TRUNCATO.
QUIBUS. COMMODUM. EST. IRE.
HEM. TEMPUS. EST.
TU. IMPRIMIS. INDUPERATOR.
REGIONIS. JUNONIÆ.
AQUILA.
TU. S. P. Q. AERIE.
VOSQUE. CETERI. CIVES. REGNI.
SUBLUNARIS.
AD. UNUM. OMNES.
MAXIMI. MEDIOXIMI. MINIMI.
ALIGERI. TAM. JUVENES.
QUAM. SENES.
ADESTOTE. ADVOLATE.
ET. AUDITE. SULTIS.
VESTRO. GREGALI.
PARENTANTEM.
D. G. M.

VIRO

VIRO NOBILISSIMO, ET AMPLISSIMO

LAURENTIO BODOCK,

Phil. & J. U. D.

SERENISS. DUCIS MEKLENB. CONSILIAR, INTIMO, AC HISTORIOGRAPHO, Eloq. Prof. Facultatis Philoſoph. SENIORI ſpectabili.

VIR NOBILISSIME,

INvitaverat me ante aliquot dies ad hoc carmen ſcribendum Vir longè eruditiſſimus, cui me meaque aliquando non diſplicuiſſe ſæpe tacitus ac in ſinu gaudeo: Acceperat enim, neſcio quo caſu, fata tuæ Ciconiæ; Putabam ergo, me inveniſſe, non quod pueri in fabâ, quod unâ duos dealbare poteram parietes fideliâ: illi obſequioſus & Tibi non ingratus. Admovi igitur calamum, & paulatim me ſacer ille furor inceſſebat; veluti qui ſub cinere latet ignis ad ventuli afflatum ſolet elucere. Moliebar quidem ab initio ποιημάτιδιον; & abripuit illud largior Caſtalii fontis affluxus in hoc carminis diluvium, & abripuiſſet porrò, niſi quis mihi Virgilianum illud: *Claudite jam rivos*, ſucclamaſſet, Multa ſanè fateor adhuc poterant ſatis lepidè fingi; Plura quidem meditatus eram ipſe, quæ hîc non incommodè dici poſſe arbitrabar: Sed alia præventu ſuo ſuccreſcentia loco illa excluſêre ac numero. Adeo difficile mihi erat hîc pedem ponere & manum tollere. Accipe igitur, Vir clariſſime, carmen hoc, ut à matre calamo venit, nec ſecundâ curâ elimatum. Quid enim gravitas in materiâ, quæ levis cenſenda eſſet, niſi

ad

ad tuas manus perveniret? Et quis Cato, quis Fronto invideat jocis candidis? A tali enim urbanitate qui abſunt, ab humanitate abeſſe cenſendi ſunt. Per tuas itaque delicias, quas Tibi eripuit inſicera manus, Te obteſtor, accipe levidenſem hunc leſſum; & ſimul animum

Ampliſſimi Nominis Tui Obſervantiſſimi

D. G. Morhofi.

* * *

FLete nefas Muſæ, periit ſanctisſimus ales,
Et Domini pia cura ſui, præclara volantum
Gloria & aërii pulcerrima portio mundi.
Non indigna loquor: neque erit minor inde dolori
Nænia, nec juſtas quisquam damnare querelas
Audeat, ut fatuæ lamenta ingloria linguæ.
Vilior exequias olim canis & ſua cervus
Buſta Maronis habet. tuus, ò Schœneia Virgo,
Aura Caledoniis tumulos invenit in agris.
Efferus exſtinctos Parthus fleviſſe jugales
Creditur. Ipſe ſuo Pellæus funera Rector
Duxit equo ceſſitque novis in nomina muris
Bucephalus pulcri portator ponderis. Ipſe
Ærea Cæſareus meruit monumenta caballus.
Multum ploratas quondam Memphitica feles
Extulerat regio pugnantesque unguibus urſos.
Sic te, mime, plagæ viridis regnator Eoæ,
Pſittace, Papinius funeſto carmine flevit,
Gentilemque ſuum Paſſertius. Eſt ſua brutis
Virtus & genii ſolers imitatio noſtri,
Eſt Pietas juſtique tenor, magnisque vehendum

Lau-

Laudibus. Et niveis inter ſpelæa ferarum
Cana fides alis volat & Concordia ſanctas
Lauru nexa comas. Puerum Cretæa Tonantem
Capra piis quondam fertur ſatiaſſe papillis,
Clavigeroque ſatus nutricis ab ubere cervæ
Lac fidum ſuxit. Vatem quis pavit Eliam?
Corvus erat. Quantis rapuit te, Androde, periclis
Infamis feritate Leo, plaudente popello,
Mitia cum manibus generoſo baſia labro
Figeret innocuæque agitaret verbera caudæ.
Scilicet hoc cautus mortales finxit ad inſtar
Japetdoniades & ab artubus ille ferarum
Conſuit humani compagem corporis omnem.
Jam leo bile tumens homini miſcetur & anguis
Calliditas pro parte ratâ candorque columbæ,
Simplicitasque agni: jam vis animusque caballi
Involat in mentes aſinique trahentis caudam
Segnities. Vultus normâ formantur eâdem.
Huic torvâ ſtat fronte caper; huic plurima Vulpes
Per facies oculosque meat, vel amica luto ſus
Ora in Pyramidem Mareotida traxit: at illi
Cæſareum lunata aquilæ concedere naſum
Roſtra ſolent & prolixo crotaliſtria cornu.
Si jam debemus noſtros animalibus ortus;
Quanta ô quanta tuæ dabitur reverentia genti,
Dux volucrum, infando ſublata Ciconia caſu,
Quam gemit aërius leſſu clangente ſenatus.
Occidit ille probus miſerandis ictibus ales,
Occidit ante diem volucer, quo Juno patente
Non ſimilem fert alma ſinu, ſacer, optimus, inſons,
Caſtus, nec peregrinæ impurus prædo maritæ,
In pullos pius & gravidorum ætate parentum

Baju-

Bajulus. Ille feros nunquam exarmatur in ungues,
More Aquilæ miluique, nec inſidioſus inermes
Inſectatur aves pedibusque eviſcerat uncis.
Laudatum tumidus pavo non ventilat Argum,
Nec Corvus per inane boat, furtivaque captat
Pabula, nocturnumque agit ater Stentora bubo:
Sed nec ab injuſtis immunem reddere fatis
Aut valuit pietas, aut fraudum neſcia Virtus.
Muſis ſacra dies erat & celebrata Camœnis
Orgia feſtivo decorabant incluta plauſu
Pectora & æterni ſacrarant montis alumnos,
Innuba queis titulis laurus naſcentibus ora
Auxerat. Extremus removebat pabula Veſper
Depletas ducturus ad ebria gaudia menſas:
Ecce, (quis ille fuit? quis tanto crimine ſontes
Imbuit Erro manus?) petulante tenebrio dextrâ
Indevitato trajecit plumea telo.
Pectora avemque gravi ſuppreſſam lumina ſomno
Ter quater ultrices contra vibraverat alas,
Ter revoluta ſolo eſt; altum tamen abdita vulnus
Laxat vincla animæ, colloque ſupina remiſſo
Roſtra cadunt: veluti ſubito ictus vulnere miles,
Cui ſopor hoſtili malè cautus nube fefellit
Lumina; it ille ſuum morti vicinus in hoſtem,
Semivigilque pigram ſtringit labente machæram
Impete; mox gelido confundens Morphea fratri
Sternitur, & pulcrâ titubat quoque truncus in irâ.
Quid meruit volucrum pulcerrimus? an quod iniquus
Arbiter arcanis effutiat acta latebris?
Ceu Lariſſææ tu furta Coronidos olim
Corve loquax: nam ſi tunc non virtute fideque
Pec-

Inventasque necat per devia rura lacertas;
Inque putri ranas, crepitacula barbara, limo:
Quod probus & bonus eſt, meritis benefacta rependit,
Caſtusque illuſtri laceravit adultera morſu
Lumina.* Non ſcelus hic. Nulla hîc veſtigia fraudis,
Nec labes. Digno non illum carmine Cygnus
Extulerit; quamvis Lydi prope ſtagna Cayſtri
Inchoet ore ſacrum, proprii ſibi præfica fati:
Deficiente melos & aventes mulceat auras.
At tu, quisquis eris, ne ſperne, Avicida, volucres
Vindictamque gregis teneri. gravis ira volantum eſt.
Sunt ungues, ſunt roſtra tuo minitantia crini.
Iliacum Jovii portator fulminis olim
Abſtulerat puerum. Luit huic divina Prometheus
Viſcere furta ſuo. Tityo jecur eruit uncus
Vultur ob æthereæ ſtupra intentata Dianæ.
Ibyce, fida tuam vindex juſtisſima mortem
Grus docuit. Queritur denſis Philomela ſub umbris
Threiciumque etiam nunc murmurat illa Tyrannum.
Non Tibi Chaoniæ ſtent inter fercla columbæ,
Non perdix turdusque nec aſſo corpore Gallus,
Martinique tuis cadat inſons hoſtia menſis.
Caſta veni Lucina, tuum nam creditur illud
Eſſe animal pueris longum clamantibus: Evax!
Pulcra Ciconia, da fratrem parvamque ſororem:
Huc ades, atque tui jam ulciſcere fata clientis.
Vos o plumoſis qui verritis aëra pennis,
Ultima gentili perſolvite munera veſtro:
Nec ſoli plangunt nivei ſua funera Cygni;
Non & apes, tectis cum corpora luce carentum
Exportant; crepitante grues prope Strymona luctu

* *Vid. Ælian. de Animalib. l. 2. c. 15.*

Exequias fama eſt denatæ iviſſe gregali.
Aſſyrium buſtis Phœnix apportet amomum,
Sicaniumque crocum Panchæaque tura & olentes
Heliadum lacrymas; ceu cum ſibi depopulatur
Prodigus emeritos flammis genitalibus artus.
At Tu, quam gemimus, poſuit cui ſibila ſerpens,
Et quam Theſſalicæ poterant metuiſſe novercæ,
O dulcisſima avis, Dominique benigna voluptas,
I nomen factura polo. Cur non tua te aſtris
Inſereret Pietas? minor inter ſidera corvus
Paſcitur, infamisque ſalit per mollia cœli
Rura Lepus, pigrumque Canis baubatur ad Auſtrum.
Nos duraturo claudemus membra ſepulcro,
Victuroque tuos dicemus carmine manes.

*****

D. M. S.

Heus Viator! paucis te volo.
Sta illico, qui ſtas nunquam.
Ad ſtandum te invitat, ſæpiuſcule, dum ſtare poterat
Stans pede in uno Empuſa;
Nunc hoc tumulo jacens, eheu! jacens,
Gracilipes, Longipes,
Veriporta, Hiemifuga,
Pietaticultrix, crotaliſtria,
Ranapiſcatrix, Anguivora
C I C O N I A.
Secundum ſingulorum Elementorum myſteria dixeris:
C.andidum, I.uſtum, C.aſtum, O.ptimum,
N.ulli I.njurioſum A.litem,
& quod palmarium erat,
P I U M.
Nomen erat illi

ADRIA-

ADRIANO.

Non caſu inventum, ſed conſilio impoſitum
Originem habens,
hinc à Cæſare; inde à Pontifice.
Eſt igitur ales,
hinc juſtus, inde pius.
Patria ignoratur, niſi forte cum Philoſopho illo ſit
κοσμοπολίτης,
Parentes quoq; neſciuntur, aut ſi quos habuit fratres
ſororesve:
Vel quod ſermone nobis non populari uteretur:
Vel quod Hetruſcæ artis ignari illius ſenſa non
aſſequeremur:
Vel quod inopinâ præventus morte exponere genus
ſuum non potuerit;
Quod forte à magno Æneâ de manu in manus quaſi
traditum μετεμψυχώσει Pythagoricâ acceperat.
Si ab Ovo rem arceſſimus,
ex Ovo prodiit,
è quo & Deos & Διοσκέρες genitos conſtat:
è quo, tanquam ex Equo Trojano, & mundum,
& quicquid in eo eſt, prodiiſſe Orpheus docuit.
Habet ergo Natales Diis pares,
Univerſo hoc ſuperiores;
Niſi hic diſputare aliquis velit:
An Ovum prius Ave; an vero Avis prior Ovo.
Ante hominem tamen extitiſſe nemo negaverit.
PræAdamita ergo fuit.
Dignior homine, quia ante illum,
Qui, ſi voluiſſet, homo forte fuiſſet.

Nam Deorum beneficio, in quibusdam Inſulis,
Ciconias in homines mutari Ælianus tradidit.
Æquum enim erat, cum homines abirent in beſtias,
illas mutari in homines,
Quæ jam virtutibus illis ſuperiores.
Cur ergo non dicam
ex iſto *genere* prognatum *Generoſum*?
è *celsâ* volantium familiâ oriundum *Celſum*?
è cœleſti ſemine editum *Æthereum*,
& genus alto à ſanguine Divûm?
Sed exſtinctus ille eſt
Improlis, inteſtatus, nec conjugatus,
atque adeo ante ſumtam virilem togam.
Acceſſerat ultrò ad ædes Domini ſui,
non ut transfuga,
non ob adulterium expulſus:
ſed honeſto à ſuis ſegregatus divortio.
Cautus ſanè in hoc, quod
Forum vitarit & ſuperba Civium
Potentiorum limina,
Et Muſarum potius ſocietatem amplexus,
apud Virum literatisſimum,
integrum per biennium, liberali exceptus hoſpitio,
gratisſimum conſumſerit otium,
nunquam minus otioſus, quam cum eſſet otioſus.
Honeſtè vixerat, neminem læſerat,
ſuum cuique tribuerat,
ut & in ſublimi Avium Republicâ non ſolùm Viri,
ſed etiam Civis boni munus ſubierit.
Nemini noxius erat, niſi noxiis;

Serpentibus ſcilicet longisque colubris,
Veſpertilionibus, Muribus.
Atque hoc juſti erat.
Addo & Fortis,
Herculem proinde dixeris,
cujus primus in perimendis ſerpentibus labor:
vel Hercule majorem:
Cum enim ne Hercules quidem adverſus duos;
Ille contra plures etiam obtinuit.
Garrulus non erat,
quem & Elinguem aliqui crediderunt.
Cum enim Galli antelucano & matutino,
Cicadæ meridiano,
Ululæ veſpertino, hirundines continuo cantu ſint
moleſtæ;
illi prudens erat & tempeſtiva taciturnitas,
nec unquam reſpondit, niſi interrogatus,
ut Pythagoricæ Scholæ eum diſcipulum crederes;
ſæpe etiam ranarum loquacitatem coërcuit.
Roſtrum illi rectum, non aduncum,
Ut qui neminem naſo adunco ſuſpenderit.
Nulli ciconiam à tergo formavit.
Nunquam criſtas & plectra ſumſit cum Gallo,
Non ingrati crimen illi objiciebatur, quod Cuculo.
Non erat ſuperbus ut Pavo, rapax ut Miluus,
clamoſus ut Corvus, furax ut Monedula,
nec infauſtus ut Bubo.
Neque ob pauperem illatam XII. Tabb.
damnas fuit.
Placidus erat, tranquillus, modeſtus,
ubique ſui ſimilis.
Ingenioſus erat,

non tamen ut Pſittaci & Picæ,
quæ imperata tantum verba ſine mente garriunt,
ſed αὐτοδίδακτος:
Inter Philoſophos ad περιπατητικῶν gravitatem
propius acceſſit,
vehementisſimè ſemper cogitabundus:
quaſi inter ideas Socraticas & Platonicas verſaretur
totus,
Stoicos in eo potiſſimum deteſtatus,
quod homines affectibus vacuos velint;
Amorem enim hæc natio ſuo quaſi jure profitetur.
Pia eſt erga liberos & parentes,
quos ſenio tardos humeris portat,
Magnum imitatura Æneam.
Caſta in amore: Concors in Conjugio:
Placida erga pares: Obſequioſa erga ſuperiores:
Grata benefacientibus: Officioſa omnibus.
Neque jus hoſpitalitatis illam violaſſe unquam fando
auditum eſt.
Adeò dominatur apud illam amor erga ſuos,
ut Legi Pelargicæ originem dederit.
Decimas ſæpe ſolvit & tributa.
Agnoſcite hîc quid πολιτικόν.
Noſter hic volucris,
Quem minimè degeneri ſtirpe ſatum ipſe honeſtior
vultus loquebatur,
Dominum ſuum nimium quantum amavit ſæpiusque
ſalutatum venit.
Namque in pueritiâ ſuâ forſan, è Catone hauſerat
aureum illud:
Saluta libenter.

Nec

Nec felicius χαῖρε ſuum recitabat Auguſti ſalutator
Corvus:
Quæ enim verba illi extudit bruta parendi neceſſitas,
Adriano noſtro ſua imperabat Civilitas.
Poterat ergo non Adriani ſolùm,
ſed triũ maximorum Pontificum nomina mereri:
Pii, *Innocentii*, *Urbani*,
addo & *Bonifacii*,
quia non niſi *bene facere* potuit.
Habitus ab hero ſuo fuit admodum liberaliter,
non ſerviliter,
ut nunquam contra Divi Antonini reſcriptum egerit.
Feliciſſima ſanè avis,
niſi quod ante obitum ſecundum Solonis effatum
felix non erat.
Invenit enim à crudeli manu perfoſſa æquale magnis
viris fatum,
quod, ſi mens non læva fuiſſet,
etiam ab ilice Cornix prædixerat.
Non aperto Marte, ſed inſidiis obruta,
non ſub apricâ luce, ſed ſub doloſis tenebris invaſa,
atque in ipſo Muſarum Feſto.
Non deplorandum eſt, quod innoxia obierit,
quo de mortis genere olim ſibi gratulabatur Socrates.
Immane tamen facinus!
quod & Theſſalis quondam capitale fuiſſe accepimus.
Utinam Pelicanus aliquis ſanguine ſuperfuſo in vitam
revocet!
Sed cum ſperari hæc non poſſint,
adeſte vos ultrices Deæ!
protrahite in lucem avicidam!
Implorat vos Senatus populusque Aëreus,
exoptat illud Herus.

Exſpiravit autem illa ſubitâ morte,
anno, quo
(ecce vim fati!)
aDrIanVs InDIgne teLo CaDit,
XXV. Octobris die,
ſub noctem
hei ſibi verè noctem!
Tu viator
Precare corpuſculo levem terram,
& inclama ſolenne illud:

VALE! VALE! VALE!

Animula nudula, vagula, blandula,
quæ nunc abibis in loca?
Si Platonem audimus, immortalis ille erit.
Sive enim in Corpus humanum virtutum ſuarum
coloniam deducere velit,
repulſam certè non feret,
Cum
nobis quoscunque Heroas, Hercules, Æneas facere
poſſit.
Sive ad nemus Elyſium & beatorum inſulas
tendat;
vivet hîc Alcyonios dies, ludet inter Paradiſiacas
aves,
celebrabit piorum volucrum comitia,
perpetua habebit inter canoras Muſarum aves gaudia.
Et jam, ni fallor, iter parat.

EAT! O EAT BONIS AVIBUS!

QUE-

QVERELA HALECIS AD NEPTVNI TRIBVNAL.

VIRO

Magnifico, Generoſo & Nobiliſſimo,

DOMINO

Hans Fridrich von Peſten/

Conſiliario Sereniſſimi Principis Mecklenburgici intimo, & Cancellariæ Directori,

Domino & Fautori ſuo maximopere colendo.

S. P. D.

QUod victimarius olim operaturus dicebat: *Agon'?* idem ego Favori tuo litaturus: *Scribon'?* Sacrificium ego hoc literarium primum Tibi paro. Utinam Te dignum! Lege ſacrâ cavebatur, ne illud offerretur ſine ſale, quod cum feciſſent Rhodii, & aras, & urbem eorum reliquit Sapientiæ Dea Pallas. Salſum hoc ſatis quidem eſt, quod offero, nec tam lucernam olet, quam muriam ſapit; ſi quid tamen ſalis illi deeſt, addatur hoc à veſtro, neque enim exſpectabo à ſalſamentario. Pontificalibus alii epulis; ego adſum alicâ, ſeu potius promulſide. Quam cum ego amicitiæ veſtræ nuper ſenſerim, hanc ego meam relargior, ut ea nos invitet utrinque. Quemadmodum enim à Dipſade percuſſi magis ſitiunt; ita ego ſemel mellitæ tuæ linguæ

 telo.

telo. Fercula minutorum piſcium ſunt, quæ appono, quorum eſum & ſacrificium prohibebant Pythagorici, nec ad Heroum illa convivia, quæ apud Homerum deſcribuntur, admittebantur, ut notavit Euſtathius: Sed Halex illa noſtra nunc vel principum menſas adit. Siſtimus illum vobis piſcem non mutum, ſed quiritantem, ſed Homines in Neptuni foro, an competenti, an incompetenti, reos agentem. Atque heîc mihi Poëtarum potentiam vide, qui quaſi Dii quidam, etiam loqui faciunt, quæ ſunt ἄφωνα. Sed quorſum hæc tam levia dices, & cur tu muriam temperas Caſtaliâ illâ aquâ? Sint exigua. Sed quemadmodum ingentis Coloſſi magnitudo vel in brevi ſigillo ſe oſtendit; ita ingenium etiam in tenui. Eſt in agello ſæpe, quod non habet campus,

- - - *quantum non miluus oberret.*

Nec Lectorem ego volo ſupercilii Cenſorii, nec patruum qui ſapiat. Tu vero, *Generoſe Domine*, quæ eſt erudita tua nobilitas & nobiliſſima eruditio, raro conjunctæ contubernio, aliter de iis judicabis, quam Catones aliqui, & ipſâ ſuâ ſapientiâ inſipidi. Neque enim circumforaneâ illâ & hauſta de triviis doctrinâ tinctus, ſed ſolidâ illâ & verâ inſtructus es, & qui etiam ultra vulgum ſapis, & illa quoque attingis, quæ multi nunc infra dignationem ſuam habent, eò illis major, quò illi bonâ mente ſunt minores. Lege itaque hæc non ſolum, ſed, quod potes, etiam cenſe. Admittimus ſæpe in hortos arbores non frugiferas, ut vel umbram faciant, vel etiam delectent; ita Tu quoque umbratica hæc commenta. Vale, Generoſe Domine, & Fave

Tuæ Nobiliſſimæ Generoſitat. addictiſſimo

D. G. M., D. & P.

Eſt

EST gurges, propter Boreum qui volvitur axem,
Maximus, immenſus, miſeris non falſa carinis
Pernicies, quâ ſe ſpiris ingentibus acta
Æquora telluris medios perlapſa canales
Adverſo infundunt (nec falſo creditur) Auſtro.
Heic Via (magnorum prodam ſecreta Deorum)
Hactenus ignotos telluri ducit in orbes,
Atque habitata novis vaſtiſſima regna profundi
Civibus. aſt illis cœlum & ſol volvitur idem,
Percuſſæque patent radiis ſubeuntibus undæ
Heic in receſſu dominantis regia Nerei
Panditur: attollunt vitrei faſtigia poſtes,
Et picturatis ſplendet domus obſita conchis.
Effulgent gemmis cameræ, viridisque ſmaragdus
Cœruleum diſtinguit opus, queis candidus adſtat
Unio. curvatur variâ teſtudine fornix.
Huic quodcunque Hermus, quod gurgite volvit Hydaſpes,
Pactolusve, Tagusve, ſinus quod condit Erythræ,
Additur, & noſtro quæ non ſunt viſa ſub orbe,
Ornamenta latent ſoli vernacula ponto.
Heic ſedet & toti decernit jura profundo
Neptunus rerum pater, & vel cogitat antris
Flumina, vel laxis per terram mittit habenis,
Et ſua diſtribuit ſitienti munera Veſtæ.
Centum pone ſedent prolixo ex ordine Divi.
Fluviorum Rex Eridanus, Tiberinus & ingens
Rhenus, & æquorei ſeries numeroſa Senatus.
Venerat huc totis Halecum concita turmis
Natio per medios fluctus illapſa, ſuumque
Circumfuſa Ducem pipit tenero ore juventus.
Illa ſacrum poſcit ſubmiſsâ voce tribunal,

Cau-

Cauſas oratura graves. pater annuit olli
Cœrulus adſiſtens cohibet vaga murmura Triton,
Quæque magis procera fuit, ſic incipit Halex:
Hoc ſtamus, pater alme, loco. Tu queſtibus aures
Porrige: nam noſtris fas eſt tua jura moveri
Cædibus, infeſtas hominum prohibere rapinas,
Innocuosque tuo defendere Numine Cives.
Adde benignus opem. tua Te per Numina, Ponti
Arbiter, atque fidem ſtygiam, ſacrumque tridentem,
Imperii commune bonum, per quicquid amicum eſt,
Oramus veſtri non vilis portio regni.
Si totum veſtris ſubſidit nutibus æquor,
Ventorumque ſedet rabies, veſtrisque lavati
Fluctibus aſtra petunt, & fruſtra ſupplicat Arctos,
Si perit ultrici quondam genus omne ſub undâ:
Quò noſter decrevit honos: quo gloria tanti
Nominis? imbelles ne hominum tolerabitis auſus,
Quas patimur clades, gentis crudelia noſtræ
Supplicia? Eſt populus, qui littoris accola veſtri,
Heu nimium nobis vicina habitacula ſtruxit.
Quem Batavum dicunt, ingens, animoſus & audax.
Omnes perreptat terræque marisque receſſus,
Secretosque ſinus, ultraque cubilia Gadis
Exit, & extremi theſauros colligit Indi.
Qui toties Phocas & aquatica numina Nymphas
Terruit, immiſitque tonantia fulmina veſtris
Sedibus. Hæc omnis juravit natio noſtrum
In caput; hæc bellis miſeros ceu jure popoſcit
Sæpius, hi nobis per ſecula longa quotannis
Inſidias ſtruxêre truces, & retia mille
Milleque piſcantum misêre per æquora cymbas.
Incautum capimur pecus, & tot corpora noſtrûm,
Et

Et tot myriadas vehit unica cymbula, jamque
Semianimes artus multo ſale ſpargimur, ut nec
Inſulsè moriamur, eò mage dulce palato
Pabulum; at infelix inhonori victima ventris.
In plauſus piſcator abit, prædaque ſuperbit
Divite, & à lucro vel tota talenta reponit.
Quæ tandem ſpes gentis erit? quæ poſtuma proles?
Unde datur generis lapſi ſarcire ruinas?
Si nos ſæva ſuis exſcindere fata laborant
Sedibus, & toto nomen proſcribere ponto.
Surge Pater Neptune. Tuum eſt, quod carpitur æquor,
Rex, & fraterno ceſſit Tibi regia pacto.
Heic pars nulla Jovi eſt. Solus dominaris & exlex.
Quid ſibi ſumit homo, Fratri plebs ſacra Tonanti?
Tamne impunè tuos populabitur ille receſſus,
Et ſacris rapiet lectiſſima fercula menſis,
Quorum nos pars magna ſumus? Stat maxima Tellus
Fœcundos gravidata ſinus, & larga miniſtrat
Pabula, magnorum gratiſſima munera Divûm.
Parturit omnis ager, ſunt mitia poma nucesque,
Sunt olera & Samiæ pia ſunt obſonia menſæ,
Congeſtisque gemunt illis ſatura horrea granis.
Lenæus liquor eſt, pulcro qui fonte propinat
Numen & arcano cor imbuit entheus æſtu.
Sacra fuit quondam contentaque glandibus ætas,
Et potu ſalientis aquæ, queis grande piaclum
Viventum infami conſumere corpora morſu.
Ingluvies mox crevit atrox, animaliaque ipſa
Injuſtæ ceſsêre gulæ, vitaliaque ardet
Bruta à carne ſuis dare carnibus incrementa,
In ſimiles abitura animos, jam cernuus ipſos

Bos metuit dentes, & oves, & amica luto ſus,
Jam Domino quoque amica ſuo, nec dum improba ventris
Preſſa ſedet rabies; ſtabulis ſatiata, per agros,
Per ſylvas, per teſqua ruit, nodoſaque tendit
Retia, ſeu capream, aut ſurgentem in cornua cervum
Figat humi. ſequitur veſtigia cœca volantum,
Communemque Jovem, & liquidi commercia cœli
Invidet, intactumque nihil furor iſte relinquit.
Hoc ſupereſt, epulis Divûm ut ſe miſceat audax,
Divinasque dapes atque immortale Tonantis
Nectar, & ambroſiæ cœleſtia munera carpat.
Sed mox delectu creſcunt faſtidia in ipſo.
Non docti placuêre cibi, non prodigus offæ
Faſtus non centum diſtincta culina figuris,
Nunc & crudeli crudum laceraſſe cadaver
Dente placet. Quid non ſtomachi ructantis ineptum
Invenit ingenium? medium nunc permeat æquor,
Diverſisque infert ſe fluctibus, & nia regna,
Æquoreos populatur agros. audacia quò non
Mortalis progreſſa geni? naufragia, Syrtes,
Ægææque hiemes, & præceps Africus, ipſe
Quod timuit Tiphys, noſtro ridetur ab ævo.
Ambulat alta tuis per aperta pericula campis
Machina. non ſcopuli, non vis irata procellæ
Terret: it illa orbem poſt terga relinquens,
Lunæ ultra ſoliſque vias, & ſidera nota;
Ipſe rotis levibus qualis perlaberis undas,
Compreſſosque trahis flabris famulantibus Euros.
Pars hominum per ſumma poli, perque avia fertur
Templa Deûm, cœlumque Jovi furatur & aſtra,
Inque aſtris ſua fata legit. Luſitania Civem

Jactat,

Jactat, quem primum volucres certo ordine juncti
Remige per magnum duxerunt æthera pennâ,
Lunariſque ad opaca globi, ac habitabile ſidus,
Cognatum pelago mundum. Pars intima terræ
Rimatur, Stygiique opulenta cubilia fratris
Excutit arte novâ, dotaleque ſublegit aurum
Jam Terram Oceanumque tuo ſine Numine miſcent
Terrigenæ. quis porro tuas accedet ad aras?
Quis vinum fundet pelago? taurique nigrantis
Exta tuo ſparget ſincerus cultor honori?
Jam totas formant truculenta in prælia claſſes,
Te licet invito. mediis Reſpublica in undis
Navigat,& noſter diſcit jam fulmina pontus.
Mox erit, ut propius veſtram ſiſtantur ad aulam,
Magnete intendente viam, quos horrida quondam
Frigora, & ignotæ nautis audacibus artes
Excluſêre. Tui jam in lucro eſt æquoris uſus,
Quàſque vias aperis, ſacri ſitis improba nummi
Clauſit, & illicito Deus es mercabilis ære.
Hoc ſupereſt: novus ut nectat ſervilia Xerxes
Vincula, & infami ſtringat tua colla catenâ.
  Dixerat: at moto Rex inde tricuſpide telo
Infremuit, fremitusque allapſa reciprocat unda.
Utque iſtâ intumuit plus quam regaliter irâ,
Incipit: Ergo mihi mea jam non fuſcina ſalva eſt,
Et, quæ nos ſpaciis quondam diſtinxerat æquis,
Sors fraterna perit? teneat ſibi Jupiter aſtra,
Aëraque, ac hominum genus omne. ſed infera Pluto,
Dives nocte ſuâ. mundum premit ille ſepultum.
Neptuno famulantur aquæ, & quod remige pinnâ
Tranſit aquas nihil heic Terræ cedemus alumnis.
Jamque erat in totas miſſurus flumina terras,

Ac

Ac omnes moto merſurus in æquore naves:
Sed Fratrem tamen ille timet, fulmenque triſulcum,
Judicioque Jovis potius moderanda reliquit.

Protinus ut toti Divorum prodita cauſa eſt
Concilio, dubius tum primum Jupiter hæſit.
Sed dubitare Patrem vetat heic Semeleiia proles:
Res, ait, hæc pro parte mea eſt. mea munera Tellus
Protulit, & gratis Halex conjungitur illis
Connubiis, tardumque ad pocula guttur ineſcat.
Quid vina absque ſiti? mea nec tum gloria tanti eſt,
Et caupo omnis eget, ſacris plebs dedita noſtris,
Et noſtris fruſtra ſupplex operabitur aris.
Comprobat alma Ceres. ſua nominat æmula vino
Pocula proque ſuis egiſſe eſt viſa miniſtris.
Facta hominum pars juſta probant, juſtamque vocant vim,
Quæ premit injuſtam, & manibus ſua jura tuetur.
Amphibium eſſe genus, terris & fluctibus aptum,
Qualem Niliaco Crocodilum in littore Memphis
Horret, & hos toties vicinos ire per agros
Prædones, ſummâque fero ruere impetu ab algâ.

Ergo Jovi tandem cauſæ ſententia dicta eſt;
Fata, ait ille, volunt. ſævi nova ſemina belli
Halecum captura dabit. tum funera crebra,
Et toto ſtrages late cadet edita ponto.
Hæc damus Haleci populanda, humanaque tum ſint
Corpora pro dapibus. Sic, quô nil juſtius unquam eſt,
Quod patiuntur agant, & idem penſetur eodem.

1662.

DE

ENTE RATIONIS Carmen.

BENEVOLO LECTORI S.

D*Ecem admodum anni ſunt, cum primum hoc de Ente Rationis Carmen foràs dedimus, per jocum ab nobis conſcriptum, occaſionem ſuppeditante Viro Clariſſimo, MATTHIA WASMUTHIO, in Academia Roſtochienſi tum temporis* τῶν λογικῶν *Doctore, Collegâ honoratiſſimo. Quod cum non ingratum Viris eruditis ceciderit: dudum enim exempla ad unum omnia diſtracta: non difficulter à nobis impetrarunt amici nonnulli, ut illorum defectum, ſua vero deſideria iteratâ hâc editione expleremus. Quâ in re, quo magis & hominum doctiſſimorum ſuffragiis, & tuo, Benevole Lector, favore ſubnixi, eò minus cenſoria nobis ſupercilia extimeſcenda arbitramur: præſertim cum Virorum Clariſſimorum, qui ſimiles luſus dederunt, exempla & invitare nos facile potuerint, & adverſus iniquiora judicia nunc poſſint tueri. Verſatur in manibus omnium de eodem argumento Viri Celeberrimi, Caſparis Barlæi Oratio, faceta illa ac elegantiſſima, quæ haud ægrè ſtimulos admovere potuit verſibus expreſſuro, quod ille ſoluto ſermone feliciter executus fuerat. Quanquam aliam nos viam ingreſſi vix quicquam præter exemplum ab illo mutuati*

ſumus: poëma enim alius planè fili & coloris texebamus. Quod latinâ linguâ, nemo hactenus, quod ſciam; Hetruſcâ vero Bernardinus Stephonius tentavit, ut memoriæ prodidit Janus Nicius Erythræus, ſeu, ut vero nomine appellatur, Joannes Victorius Roſſius Pinacoth. I, 92. Sæpe, *inquit*, fiebat, ut quæ à Magiſtro anguſtis & conciſis diſputationibus illigata traderentur, Latinis verſibus explicaret, & ſpinoſam illam ac difficillimam tum ad intelligendum tum ad explicandum de ente rationis quæſtionem in Philoſophorum Scholis agitari ſolitam faceti ſſime atque pleniſſime rythmico Etruſco carmine complexus eſt. *Sed illud quidem à nobis fruſtra inveſtigatum hactenus fuit. Nihil itaque vel illi, vel aliis debemus: niſi quod verſiculos nonnullos, vel integros vel cæſos, è Poëtis veteribus conſultò & de induſtriâ immiſcemus, ab hoc poëmatum genere minimè id alienum rati. Accidit tamen poſtmodum, ut quæ joci gratiâ, de Entium Rationis in Cerebello per αἰδοῖα illa, quorum ſpeciem illic deprehenderunt Anatomes Doctores, propagatione à nobis conficta erant, à Roberto Fluddio, in libro ejus de myſticâ Cerebri anatome, ſerio aſſerta & inter arcana ab illo repoſita invenirem. Quod mirum mihi viſum fuit, imprudentem me adeo, ac ἐνθουσιασμῷ poëtico ductum in hoc horribile incidiſſe ſecretum. Adeo ridentem etiam myſteria dicere nil vetat? Nihil ultra Te, Lector Benevole, morabor. Vale, &, ſi mereor, ama.*

VIRO

VIRO AMPLISSIMO
DOMINO
MATTHIÆ WASMUTHIO,
Prof. Log. Clariſſimo, Collegæ, & Amico optimo

S. P. D.

Quæ Tu, Vir Clariſſime, mecum ſæpe intra privatos parietes de Ente Rationis, juratus planè ejus hoſtis, diſſeruiſti, ea, dum diligentius mecum reputo, in feſtivum Poëma me abripiunt. Noſti enim Poëtarum ingenia, ex omni ligno Mercurium ſibi fabricantium: quos, uti Ariſtippum, omnis color decet & Res, imo etiam Non Res: ſub quorum pedes veniunt etiam ὅσα ἐν ὀνείρῳ φαίνονται. *Tu quidem ſeriò Rem tuam agis, nec ſalvam aliter Rem Philoſophiæ eſſe poſſe putas, niſi foràs ejiciatur illa Non-Res, aut illud Ens Rationis: quod tu quidem eâ ratione, quâ vulgò illud capimus, ceu errorum omnium latibulum, non toleras. Nos Jocos hic ſcripſimus & Poëma, ne quis erret, vel mihi ſuccenſeat, non concluſiones Philoſophicas, pro quibus è cathedrâ pugnet Achilles aliquis Scholaſticus. Ignoſcite mihi Boni Viri, ſi peccaſſe me putatis, quod ſub venerabili illo Entis Rationis nomine jocos agam. Veſtra Res non agitur, quamvis maximè veſtra: in hoc tamen etiam noſtra: & pro re mea dico,*

quamvis de Non-Re, quæ ad vos ſolos pertinere putatur. Quid Scotiſtæ, Thomiſtæ, Albertiſtæ, Occamiſtæ, hoc Ente Rationis agant, de iis ego parum ſum ſollicitus: nec mihi tam barbarè ſubtili nunc eſſe licet. Plerique tamen, quod diſſimulare nequeo, Canis Æſopici inſtar umbras captant pro Rebus. Ut Ens Rationis ſibi fabricent Philoſophi, à Re ipſa abſtrahunt, & de eâ abſtractione abſtrahunt iterum, planè quemadmodum cum Virgine agit Mater apud Comicum,

— — Quæ deducit cibum
Tametſi bona eſt naturâ, reddit curaturâ junceam.

Cœterum cum iis libenter pacem colo, quos

Defendit Numerus junctæque umbone phalanges.

Nec ſcientiæ iſto morbo ſolæ laborant, ſed ipſa etiam Vita communis, ipſum ſeculum. De Viris abſtrahimus titulos, de titulis iterum: ita nihil cum animo patimur concreſcere, ut ideas Platonicas ſpeculari videamur. Sed quid ego hæc tam longe arceſſo? Tu mecum, Amice optime, ex animo voves: ut, quod olim Fabius cunctando fecit, nunc aliquis vel meditando, vel agendo reſtituat REM. Vale, Lege, & quandoquidem ad Te ſpectat harum Rerum-Non-Rerum judicium, cenſe. Roſtochii, 1663.

DE

DE
ENTE RATIONIS.

ESt, non eſt Aliquid, quod & eſt Nihil, & tamen eſt Res,
Quid Res? eſt tenui deducta (ita concipe) filo
Recula, ſive Rei non exiſtentis imago.
Sunt, umbræ, nubes, ludibria, ſomnia, nugæ,
Sunt, non ſunt. Sed nos manſuro dicimus illa
Carmine: nam nihilum ne nos egiſſe putemur,
De Nihilo heic Aliquid ſcribamus, vel Nihil. Omnis,
Omnis in hoc Nihilo labor eſt & cura Sophorum.
Eſt aliquid dixiſſe nihil, dum dicimus illud,
Non egiſſe nihil. quanta hæc miracula Muſæ!
Eſte, precor, faciles ſpirateque lenibus auris,
Aure nec aversâ quamvis ingrata canentem
Excipite: Ens tamen hoc veſtrâ ſe jactat in aulâ,
Montibus in veſtris & dulcibus errat in agris.
Tu mihi, *Wasmuthi*, mentem præſentibus imple
Auſpiciis, Vatemque mone: Tibi namque per altum
Ire datum eſt: Tibi tam vaſti datá copia Regni,
Quà premitur tellus, & quà tegit omnia cœlum,
Tu triſtes Nihili tractus & inhoſpita regna,
Et ſedes Vacui, loca nocte ſilentia latè,
Promtus adis, metasque locas, queis terminet Entis
Imperium, certosque caves confundere fines.
Exere Socraticis caput exere nubibus. Heic me
Greſſus tentantem dubios tua dextera firmet.
Aſpera quà propero loca ſunt, ſpina horrida ſpina,
Hamatique vepres retinent, & glarea ſtridens.
Heic dum ſuſpenſis gradior per ſingula plantis,
Tu mihi tolle moras, tu cautius ire docebis.

Fare age, *Waſmuthi*, quo cretum ſemine veſtrum
Ens rationis erit? queis ſe natalibus illud
Debet, & unde viget generis fœcundia tanti?
Anne Promethéo ſurgunt hæc Entia limo?
Æthereosve inter volitantia ceperat ignes
Japetoniades, quos mentibus inſpiravit?
An hæc Vulcanus Siculis formata caminis
Extudit? ut quondam certos fallentia viſus
Retia, mœchantes quæ ſtringant vincula Divos.
Dædaleæne manus finxêre? an pinxit Apelles?
An qui muſcarum quadrigas texerat alis
Callicrates, elegisque inſcripſit ſeſamon aureis,
Sculpſit acu tereti? Memphitica an extudit aula
Inter Mercurii tabulas & ſiſtra repertum
Iſidos, & vultus imitantia ſigna ferarum?
Non Sal primævum, non inflammabile Sulphur
Præbet materiem, niſi multa volatilis addat
De ſe Mercurius, varias verſutus in artes.
Non hoc Democriti concrevit pulvere, mille
Mille modis minus, ac atomo conciſius omni.
Nil Elementa juvant: niſi quis ſolertior illi
Aëriis aliquid cognatum nubibus addat:
Aut niſi Carteſius forſan globulisve ſtriisve
Compactum velit eſſe ſuis; niſi dixeris illud
Materiæ ſubtilis opus ſemperque fluentis,
Ut ſic, ingentis dum complet inania mundi,
Compleat & cerebri. Sic nullum in rebus inane eſt!
Hæc inter feſſam vaga dum ſententia mentem
In diverſa trahit, geminam mihi Regia Somni
Portam aperit. Cubat ipſe ſuo ſublimis in antro,
Pullato corpus velamine conditus, & vix
Spiſsâ nocte graves oculos levat. Inde Phobetor

Jam fera, jam volucris, jam longo corpore ſerpens
Repit humi, Morpheusque jacet ſimulator, & artes
Phantaſos exercet varias, animaque vacantum
Materiem ſubit, & jam trabs ſaxumque videri
Geſtit, jam tenues fallaciter exit in undas.
Tu quoque ponè ſedens omnes præſage figuras
Artemidore notas noſtrumque educis in orbem.
Mille volant intus preſſi caligine fratres,
Mille ſedent ſimulacra truci male comta figurâ.
Ergo ubi jam denſis Terram Nox implicat umbris,
Phantaſos egreditur (neque enim ſe credere ſoli
Audet nocte ſatus) portâ dimiſſus eburnâ,
Milleque formarum ducit poſt terga phalanges.
Tunc ſi forte ſedet ſtudiis operata juventus
Per terram, & totas meditando ducere noctes
Gaudet turba Sophûm, circum gratiſſima ſerpunt
Somnia, & intentis pedetentim irrepere tentant
Senſibus. Heic vigiles non obſervata ſubintrant
Primùm oculos. Tum quas ſibi ſe mens ſiſtere formas
Adſpicit, ut non falſa intus ſimulacra reponit.
Nam quæ aliàs clauſis ſpectavit ſomnia ocellis,
Somnia vana putat: ſed quæ vigil ipſa recepit,
Jam ſecura doli fraudisque ignara jocoſæ,
Verſatque glomeratque, novis gaviſa repertis.
Pars agit excubias, oculorum ubi janua menti
Panditur, & valvas patulas venientibus offert.
Sic ſibi continuo ſuccedunt ordine fratres,
Ac intus denſo mentes examine turbant.
    Vera cano, Vates per ſingula duxit Apollo
Secretosque aditus: Phœbum quis dicere falſum
Audeat? Aſt Vati ſurdas heic obſtruit aures
Natio tota Sophûm, miſerumque inſana Poëtam

 Arjete

Arjete pulſabit Logico : jamque acre dilemma
Hinc cornu petet, hinc alius torquebit acutum
In caput Enthymema : Illinc Cacoſyſtata & Utis,
Iſthinc Pſeudomenos caſſes & vincla minantur,
Terribiles viſu formæ, horrida nomina,& ipſo
Penè tremenda ſono. Quæ nobis ſomnia demens
Objicis ? inclamant. Mens rerum maxima mater
Hos genuit fœtus, aliquid divinius auſa.
Hæc Patria eſt. Hæc dum rerum per ſingula præſens
It capita, ac apices in nodum colligit omnes,
Unum aliquid meditatur, & uno ſingula centro
Implicat,& quæ jam mundo diſperſa videntur
Faſciculo ſtipata ligat. Sic efficit unum,
Quæ ſunt multa tamen : ſed nec quod concipit unum
Admittit Natura,nec eſt,niſi mente receptum.
Heic ſedet ac intus vero Entis honore triumphat,
Quod nil eſt extra : niſi Tu per ſingula rurſus
Ire velis, eaque ad diſcretos ducere ſenſus.
Sunt quoque, quæ nullâ Naturæ in ſede locantur :
Mens tamen eſſe facit, quia contemplatur : & illa
Tota ſibi incumbens, ac in ſe tota recedens
Fingit, & æternùm Mens Numinis æmula finget.
Scilicet hæc nobis magni myſteria pandunt
Ægroti veteris meditantes ſomnia Myſtæ.
Solâ ergo jam mente ſedet, compagibus illis
Se rotat, & cerebro macilentas paſcere formas
Creditur. Hoc primos præbet naſcentibus ortus,
Exanguesque ſimul generat jugulatque figuras.
Heic circumvolitant nigrantibus Entia pennis,
Quam multa in Sylvis avium ſe millia condunt,
Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hyblâ :
Hâc Proteus, hâc ſe Morpheus exercet arenâ,
Atque

Atque umbras nectit graciles & inania fingit
Mille modis ſimulachra. hæc, dum miſcentur, opaco
Calle meant remeantque: his circumducta latebris
Volvuntur, cæcisque premunt veſtigia plantis.
Jamque aliæ veniunt ſpecies, aliæque recedunt.
Naſcitur hæc; perit illa; renaſcitur altera, cum Mens,
Cumque volet Ratio, fingendi quam penes unam
Arbitrium eſt & jus & norma ac æqua poteſtas.
Sic quæ de terrâ generantur in aëre nubes,
Jam totum texêre Jovem; jam denſior aura
Cogit in anguſtum plenasque madentibus Auſtris
Sufficit in buccas: jam per dilucida ſparſæ
Intervalla micant, ſurguntque caduntque per horas:
Seu illas, cœlo cum ſeſe immittit aperto,
Eurus agat; ſeu ipſæ in ſpiramenta reſidant
Tenuia, vel placidos ſenſim fundantur in imbres.
Non Natura Parens, non hæc Deus ipſe creavit.
Plus animus ratioque poteſt, hæc ſola potenti
Materiem jungit Nihilo inter ſeque maritat.
Hinc genus incertum, nec mas, nec femina, prodit.
Forſitan hoc vario Carteſi glandula motu
Imprimit in mentes, ut, quà movet, ilicat illæ
In ſimiles æquo ſuccedant ordine gyros:
Non ſecus immisſis ut inhorruit icta lapillis
Unda, laceſſitum primùm brevioribus æquor
Hinc longos latè fugiens glomeratur in orbes.
Inſcia miratur numeratque volumina pubes.
Parturiunt Mentes: naſcetur at inde potens Ens,
Ens ingens, vaſtos quod cœlum ſcindit in orbes,
Et quod jura Sophis præſcribit & integrat artes.
Quo ſine nil ſcitur; ſed quod neſcitur, & inter
Clauſtra latet Nihili vanasque reconditur umbras.

Hoc tamen ex fumo potuêre Sophi dare lucem!
Hos ex luce iſtâ potuêre Sophi dare fumos!
Sic Nihilum Nihilo ſic umbras ſcilicet umbris
Addimus. Ac certè Nihilum hîc agnoſcite Patrem:
Aut Matrem potius, vel Mentem credite Patrem!
Naſcitur hinc ALIQUID, tener atque venuſtulus infans.
Quo tamen hoc natum ſit ſemine, quærere noli.
Talia non nobis retegunt myſteria Delphi,
Non Dodoneæ quercus, non corniger Ammon.
Æternâ hoc premitur nocte & fatalibus umbris.
Ne tamen hæc ſacrum miracla latere Poëtam
Credite. Multa dedit vis vatibus enthea noſſe,
Et qui de ætheriis delapſus ſedibus hoſpes
Spiritus intus agit: nam nec vulgaribus illa
Panduntur geniis, nec plebem ſcire profanam
Convenit. Ergo Entis capite hinc cunabula veſtri,
Et Cerebri thalamos occultaque ſemina mentis
Diſcite, queisque ſibi generet Natos hymenæis.
Eſt in ſeceſſu Cerebri locus, heîc ubi mentem
Sinciput includit: parvâ heîc Rex magnus in aulâ
Conſidet, & triplici moderatur corpus habenâ.
Heîc ſe (noſtis enim Medici & memorare poteſtis)
Oſtendunt ſimili genitalia membra figurâ:
Qualia corpus alit. Sunt quæ teſtantur apertum
Signa marem; & quæ femineum diſtinguere ſexum
Conſuevere notæ. Sic eſt ſua mentula menti,
Quæ generat, ſuaque eſt, quæ ſemina concipit alvus.
Heîc mens heîc, (niſi me Phœbi certiſſima fallunt
Auguria) innumeram fœcundis nixibus edit,
Se prægnans ipsâ, ſobolem, parvosque Cerebri,
Quos genuit, multâ paſcit novitate Quirites.

Juppi-

Juppiter his quondam concepit Pallada clauſtris,
Semine non alio. Prodit patrima Virago
E cerebro Jovis, aſt obſtetricante ſecuri,
Armatam quatiens Divis metuentibus haſtam.
Noſtra ſedent intus patriisque Penatibus errant
Entia: ni facili per aperta excurrere tentent
Ora viâ, vento transvecta & voce curuli.
Quis tamen hæc, Muſæ, palpaſſe crepuſcula primus
Dicitur? An latitans palantia nube Menippus
Hæc medio quondam venatus in aëre prendit?
An ea Lunari cepit volitantia campo
Inter aves interque emblemata Pythagoréa?
An ſpeculum, Galilæe, tuum, Jovialibus illa
Orbibus, aut inter Saturni repperit anſas?
Brachmanumne genus: vel vos, pia turba, ſacratis
Celtarum, Druides, vidiſtis condita lucis?
Vos Pandioniæ primum vidiſtis Athenæ
Socraticâ monſtrante domo: quæ grandibus auſis
Exultantem animam mediis immiſcuit aſtris,
Legit & arcani præſens veſtigia pulchri.
Hunc paribus ſequitur raptus Plato Maximus alis,
Ac animo ſimulacra videt, rerumque ſupremas,
Quas mens alta capit verſatque rotatque figuras,
Præceſſiſſe notat longo ſua corpora ſeclo.
Hos acie locat ille Duces: ignobile vulgus,
Quantum corporeo conceſſum carcere clauſis,
Subſequitur tardoque ſubit veſtigia greſſu.
Ergo ubi, quà vaſti patet ingens area Mundi,
Spectator migrat genius, perque omnia certos
Præcipitat radios: tunc mentem exercitus omnis
Formarum faciesque incurſant undique rerum.

Ecce canem! generis tunc & Natura Canini
Mente latrat, ſed cui veniens Leporina videri
Miſcerique timet: juxta, ſi forte videtur,
Segnis Aſelleitas graditur, non paſſibus æquis,
Auribus erectis, qualis vel quanta videri
Arcadibus ſolet: aut caudam trahit improba Vulpes:
Aut ſe Bos formâ præſtanti & cornibus ingens
Exhibet. Hos inter modo grunnit amica luto Sus,
Vel Lupus exululat, vel raucis vocibus Urſus
Infremit. Hinc nova jam per paſcua ſubſilit acer
Dux gregis ipſe Caper: vel nudis clunibus errat
Simia: vel Serpens maculoſam abjectus in alvum
Sibilat, & longi repunt (mirabile) Vermes.
Plebs habitat diverſa locis, pictæque volucres,
Et pecudes, & quicquid habet vaſtisſimus orbis.
Non tamen in Venerem diſſolvunt corpora ſegnes,
Aut fruges comedunt, aut libant munera Bacchi.
Sed grato Cerebri paſcuntur rore, cicadæ
In morem, & placidum traducunt leniter ævum.
Scilicet his quædam non vani ſymbola Veri
Priſca ſubeſſe putat, neque noſtra hoc abnegat ætas.
Verum alia ex aliis Mens hinc in ſpectra vocatur,
Hâc dilapſa viâ, & miris nova ſemina monſtris
Sufficit. Hinc proles ſucceſſit adultera toto
Agmine. Jamque Rei Privatio ſchemate fallit,
Incedens animo pede clauda, & lumine luſca,
Et faciem jejuna & inanem lurida vultum.
Mox informe Nihil, Vacuumque ac undique ſegnes
Utopiæ proceres inter veneranda reponi
Nomina cœperunt & ſummos Entis honores.
Hinc jam tota ſeges Larvarum immaneque prodit
Concilium, & quæ vix mentiri fabula poſſit,

Scyl-

Scyllæque, Harpyjæque, ardentiaque ora Chimæræ,
Et lentæ Febres, Lamiæ, Peſtesque Strigesque.
Hinc Macies, & Pallor, & illætabile Frigus,
Dira Fames, latumque trahens ingloria ventrem,
Deſidia infami perituros conſpuit aurâ
Mortales: vecors comes ignorantia turpi
Se paſcens nebulâ, quâ ceu torpedine tactæ
Obſtupuêre Scholæ & jam rixatura per ævum
Pulpita. Prodit & his Paupertas nata cavernis,
Convulſæque comas Curæ, plangensque lacertos
Triſtitia & Luctus. Quicquid privatque negatque,
Innumerique iſto ducuntur ab æquore fontes.
Hinc Dryades, Nymphæ, pecoris ludibria, Panes,
Capripedes Fauni, & cornigeri Satyriſci.
Namque quid aut Natura ferat, vel ferre recuſet,
Non curat ratio: jamque hæc, ſi forte placebit,
Humano capiti cervicem junget equinam:
Si volet hæc; volucres paſcentur in æthere cervi;
Si volet hæc eadem; cœlum findetur aratro,
Unda dabit flammas, flammæ vertentur in undas,
Delphinum ſylvis appinget, fluctibus aprum.
Jamque volaturo pennas aptabit aſello,
Vocalemve lyram: fortaſis & illa loquentem
Finxerit, obryzôque ignavum veſtiat auro.
Æthiopem timidè nunc audeo dicere nigrum:
Nam lavat illa, per hanc ſunt omnia protinus alba,
Sunt nigra: jamque hircos mulgere, & jungere Vulpes,
Et ventos colere, & lanam depectere capris
Illa docet. Solem, ſi vis, tibi finget opacum,
Deducetque ſuis etiam ſine carmine Lunam
Orbibus. hæc undis humorem ignique calorem

Ab-

Abſtrahet ingenitum. jam cuncta coloribus orba
Siſtet, & impreſsâ genus exuet omne figurâ.
De nummis auffert numeros, Craſſique talenta
Calculus inductâ ſolers indagine claudit.
De numeris nummos malunt avellere fures,
Aut numeros nummoſque ſimul. Quam docta patrantur
Furta Animo, ſuaveſque amat hæc agitare rapinas!
Diſcitur ex rapto: nam quicquid pulpita clamant,
Quicquid & Arceſilas, vel acumina Chryſippéa
Inculcant, quicquid rabioſa ſilentia rodunt,
Quod calamos frangit, multum ſtridente papyro,
Vel prælum, rebus decerptas aſſere *formas*,
Quas animus ſtrinxit, vel falce totondit acutâ.
Forte etiam nudos veſte ſpoliaverit artus.
Omnia jam fient, fieri quæ poſſe negantur,
Telluremque polo miſcebit & infima ſummis.
Mens agit hæc: ficti quam nulla licentia monſtri
Tranſiit, & cujus quicquid non creditur ars eſt.
Non tot, quæ tortum magicâ vertigine rhombum
Traxerunt Lamiæ, formarunt vultibus umbras.
Non tot mutatis mulctarunt corpora formis
Circæi calices. His entibus actus Oreſtes
Nec quicquam ultrices ferro diverberat umbras,
Et Solem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas
Miratur Pentheus. animis hæc entia verſant,
Queis vetus ad vivum febris ſedet acta cerebrum,
Aut quibus & linguas oculoſque animoſque natantes
Occupat infuſo dulcis veſania vino.

Queis

Queis Tibi Relligio frontem fœdavit hone-
ſtam
Nubibus, & quæ non errorum ſemina vana
Heic ſparſit Ratio? Fabricantur mille Deorum
Horribiles larvæ, monſtrorum nomina mille.
Hinc & adorato Pharius Bos arſit in auro,
Effigiesque ſacri nitet aurea Cercopitheci,
Et turpis Crocodilus, & ingens ventre Canopus
Niliacâ primum placari cœpit acerrâ.
Auxerunt ſine fine Dei, ſibi numina Gentes
Et privæ finxêre domus. Quis talia fando
Explicet, aut numero tot nomina colligat æquo?
Tu quoque, qui Latiâ regnas ſacer inſtitor aulâ,
Paſceris his nebulis, & totus paſcitur orbis.
Heîc Conſtantini munus, triplexque tiaras
Prima tenet, ſceptroque tuens ſe purpura ficto.
Improbus hæc mango & famoſus vendit agyrta
Entia Tezelides. His, quæ miracula fraudes
Invenêre novæ, & vanos pietatis honores,
Et quæcunque inter Divûm ſimulachra Sacerdos
Cernuus inſanæ ſecreto immurmurat aræ,
Addite. Fallor, an hæc ultrici pabula flammæ
Sufficiunt, ſontes quæ purgat ſordibus umbras?
His quoties temerata Themis! ſublêre dolo-
rum
Mille modi vero ſimiles, fraudisque malignæ
Mille ortæ ſpecies, & iniqui mille colores
Ignavique Metus, pictis Mendacia larvis,
Cæcus amor, paſcensque ſuo ſe viſcere Livor,
Ambitioque auris laudum ſatura, omnia latè
Fasque nefasque, ſcelus ſceleri miſcentur aperto,
Inſidet illa Foris tabes fera, permeat Aulas

Re-

Regales animos dulci paſtura veneno.
Hinc abit in populos & putribus inficit auris.
Hos Regina choros moderatur OPINIO, primos
Prætentans per cuncta gradus: quam devia primam
Mens peperit ſobolem, & pulcros ſibi ſervat amores.
Hac vult cuncta regi, Dominam quam præficit orbi,
Hæc ubi mente ſedet, vaſtos ebullit in auſus,
Nec tum ſe mens ipſa capit. tum temperat ipſos
Phœbeos Phaëthon currus, perque aſtra volare
Tentat Bellerophon, convivaque Tantalus inter
Divorum prandet conſortia: jamque nefandis
Concidet Xerxes ventos elementaque flagris:
Jamque unus Juveni Pellæo haud ſufficit orbis.
Quisque ſibi Suffenus erit. Tum Juppiter illi
Mella pluet. Tum dives erit, ſapiensque probusque,
Aut Rex, aut Deus, aut Gallinæ filius albæ.
Tum ſibi continuos titulorum nectet elenchos.
Diverſos diverſa juvant, nec tendimus unâ
Ire viâ. Cavet hic, alter quod ſperat & optat,
Incertosque levis diſturbat opinio ſenſus.
Fallimur, an qui amant etiam ſibi talia fingunt
Entia? nam quos non Amor heîc agit hiſtrio luſus!
Quos non ille dolos, quæ non ſub pectore verſat
Gaudia! jam Dominæ ſtringentes ſomniat ulnas,
Oſcula jam numerat vento delata fideli.
Jam palpare ſuos, credit, queis læditur, ignes:
Hinc exaudiri gemitus, triſtésque ſuſurri,
Vota, preces, lacrymæ; jam vincula, vulnera, flammas
Somniat, ac animos picturâ paſcit inani.
Usque adeo nihil eſt, quod non hoc Ente regatur!
Hoc ſonat in triviis, pagos pervadit & urbes,
Ilia-

Iliacos intrà muros hoc regnat & extra.
Hoc calet in thermis: propinavere popinæ
Materiam fandi patulâ potantibus aure.
Diſſerit ad fontem Druſilla, Camilla, Sybilla:
Adverſumque ſonat Flaviſſa, Meliſſa, Ciliſſa.
Porticus omnis habet, ludi, fora, compita, vici,
Auritoque ſolet populo narrare diſertus
Tonſor. quantum illo ſudavit ſæpe ferendo
Nuncius, inſano referens nova ſomnia vulgo!
Jamque aliquis, qui vendet, erit; mendacia gratis
Nemo legit: nemo fingit mendacia gratis.
Quis jam non fumos, quis jam non ſomnia vendit?
Hoc miniata nitet Faſtorum pagina & omnis
Hæc plebi, nova ceu oracula, dictitat Augur.
Vivit & immoritur vanis Schola tota Sophorum
Entibus & cerebrum jejunis paſcitur umbris,
Rancidulisque logis farragineque undique Ibera
Tincta laceſſitas figit per inane Chimæras.
His immerſa ſedet ſegnisque reconditur ætas,
Ceu fatis damnata ſuis, & ſumma ſciendi eſt
Scire Nihil pictæ cathedræ tectoria linguæ
Nilque crepant ſolidi. Nam quod ſibi ſcire videtur
Ille vel hic, quicquid ſpecioſa finxerit arte,
Sufficit. his pando vecordes hiſcimus ore,
Et ponè ignavis premimus veſtigia plantis
Vulgus iners, aliisque ſat eſt ſapuiſſe Magiſtris.
Heîc mihi rixantes Naturæ in limine Grajos
Adſpice, cunctarum quærentes ſemina rerum.

Hic natas flammis; alter contrarius undis
Aſſerit. Hic denſo compingit corpora fumo.
Alter at immenſo congeſta putavit inani.
Quis ſibi jam ſtabilem terram promittat, & orbes
Certâ ſede locet, quos non vel Tycho refingat,
Aut alia ſolers regione, Copernice, ſignes?
Hâc quoque Materies, quam dedita turba Lycéo
Somniat, & quotquot genii flammantia ducunt
Sidera, claſſe ſedent, & quos Lunaribus ignes
Suppoſuêre rotis. quos ſe ſenſiſſe negavit
Noſter vicinâ proſpectans nube Menippus,
Regnaque Socraticis depicta Platonica formis.
Hei quam Siſyphia eſt verſanda per ardua moles!
Sed redit illa ſuum, redit & labor actus in orbem.
Nil miſeros nos ſcire juvat, vel diſcere: tandem
Cura perit, longumque Nihil meditantibus actum eſt.
At vos (fabor enim, quando hæc me cura remordet,
Si modo vera mihi fas eſt impunè profari)
Non veſtris hæc nata Sophi nutritis in agris
Entia: nam ſoli genuerunt illa Poëtæ.
Vomeris illa ſeges noſtri eſt. vos veſtraque nobis
Debetis, noſtris fluxerunt fontibus illa.
Reddite, quas nobis rapuiſtis, reddite plumas.
Jure repoſco meo, repetunt ſua debita vates.
Fingendi hæc nobis Divûm conceſſa poteſtas
Munere. Nos chaos immenſum, cœlum, æquora, terras
Pandimus. Aſcræi retegunt hæc Somnia Vatis.

Aſtriferos noſter torquet cervicibus axes
Atlas. Nos variis vaſtum æthera pingimus aſtris.
Nos quicquid gremio involvit longæva vetuſtas,
Quæ cœlo ſtellas adſcribat fama, poliqué
Immenſum reſeramus opus. Vos nomina noſtra
Tollite, vel quali deſcribimus aſtra figura;
Et gravis ætherios premet ignorantia tractus,
Ignotoque ſagax errabit calle Necepſus,
Nec cœlo ſua fata leget. Quod Martia rufus
Ora color ſignet! quod bellatricibus auris
Influat in mentes, primos ſenſiſſe Poëtas
Credite. nos primi Saturni inamabile ſidus
Diximus & falces dedimus. vos dicitis anſas.
Noſtra Venus, noſtra hanc cœlo ſuffragia ponunt.
Nos Phœbo currum dedimus fulgensque capi-
ſtrum,
Quo regat altus equos. per nos Cyllenius illo
Orbe ſedet, vibrans alas, tectusque galero.
Nos clavâ Alciden, nos Oriona potenti
Armamus gladio. Patet en immenſa Poëtæ
Area: jamque caput per ſidera ducit, & alto
Calcat opes animo & Regum meditatur honores.
Jam celer ingreditur terris, atque omne pererrat
Æterni Genitoris opus, jamque omne quod optat
Induit ingenium: jam circum Theſſala Tempe
Caſtaliosque amnes, ſacrosque ex ordine montes
Ambulat. Heîc illum pius excipit ordo Soro-
rum,
Delius inſpirat Vates, Pincernaque Vatum
Pegaſus æternos infundit mentibus imbres.
Nulla mora eſt, & jam male cuſtodita Draconi
Vellera ſubducit: fundunt oracula quercus;

Solis equi volucres ſiſtuntur: Juppiter auri
Imbre fluit mœcho, vel Tauri voce remugit.
Jam dant ſaxa viros, jam Regem infamis aſelli
Induit auriculis: mox ipſa in Tartara Nigri
Ditis abit, ſontesque feris Prætoribus umbras
Exhibet, & Furias totumque Acheronta movebit;
Mox iras dirasque canit, mox vulnera amantum
Obligat, & pulchrum Veneri deplorat Adonin.
Hæc noſtris poterant ſatis opportuna videri
Luſibus, afflatusque, à quo ſacer iſſe Poëtis
Creditur ille furor, noſtris hæc mentibus indit.
Hoc lapſum de fonte venit laudabile carmen.
His vehitur pennis, his æthera pervolat alis,
Humanam ſupra ſortem & mutabilis ævi.
Non Vos iſta juvant: ea nobis gloria ſolis
Competit. At ſolidum vobis pernoſcere verum
Cura ſit una, Sophi, non quicquid imagine Veri
Ludit, vel tenues rerum reflectit in umbras.
Non ignota Tibi, *Wasmuthi*, Carmina ſcribo.
Mentitum Te nam decus, atque precarius hujus
Non latet Entis honos, nec vulgi faſcinat error.
His animum incenſus ſtudiis, perque omnia verſans
Pervigiles oculos varias circumſpicis artes,
Et toto hæc turbas ludo commenta, cavesque,
Ne vetitis tentent ſe rerum immittere regnis.
Tu, quia nunc Te hæc cura coquit ſub pectora fixa,
Veſtro pelle foro, & totâ quod mente requiris,
Hoc noſtro, quantum potes, Ens fac in orbe renaſci.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

IN

CERVAM CORNUTAM,

IN AGRO HUSUMENSI ANN. CIↃ IↃ XCVII. D. XVIII. AUG. CAPTAM

AD

NOBILISSIMUM AMPLISSIMUMQUE

V I R U M

JOELEM LANGELOTTUM,

Sereniſſ. Cimbrorum Principis Archiatrum Celeberrimum,

qui ejus effigiem transmiſerat.

* * *

CERVA LOQVITVR.

CERVA fui: ſpectate Viri: ne credite Cervum:
Femina namque Viris cornua danda tuli.
Maſcula femineo juncta eſt cum corpore cervix.
En ut adoptivis frondibus illa tumet!
Ecce novis ſexus miſcetur uterque figuris,
Androgynumque novum nunc nova forma facit.
Turpior his; aliis cornu formoſa videbar:
Et Venus è noſtro maſcula nata grege.
Spectabar trepidas inter metuenda ſorores:
Et jocus in ſexu nobiliore fui.
Sæpe mares potui ſimulatâ fallere Cervos
Fronte, catos potui fallere ſæpe viros.
Sed fraudi dolus ille fuit. Me teſte pateſcet:
Quam fronti propè ſit nulla, ſuæque fides.

Cornua

Cornua cum tegerent, ſed lædere neſcia, frontem :
Frons malè fida caput prodidit ipſa ſuum.
Nam qui forte videns me per nemus alta ferentem
Cornua Venator credidit eſſe marem :
Lædere cum ſexum non ſuſtinuiſſet inermem,
Nunc dubiam incuſſo vulnere ſternit humi.
I nunc, ô mea turba, i nunc, & cornua quære,
Grande decus capiti præſidiumque tuo.
Quid juvat armatum ſimulare in prælia Cervum,
Si capiti ſunt hæc arma timenda ſuo?
Cornua me perdunt; Naturæ ſcilicet illa,
Ni fuit errantis, culpa jocantis erat.
Sed fuerit jocus ille, vel error : uterque ſaluti
(Hactenus illa rea eſt) inſidioſus erat.
Cornua me perdunt. querulâ non voce laceſſam
Fatales miſeræ quæ nocuere, manus.
Nam pius in noſtro Venator funere flexit,
Conſilium ſceleri faſſus abeſſe ſuo.
Mille caput noſtrum leporum de gente triumphis
Ille redemturus, ſi licuiſſet, erat.
Ille daret ſeptem, præſtantia corpora, cervos,
Si redeat fugiens his mihi vita datis.
Sed quid ego mortem, quam ſum perpeſſus acerbam,
Si mea ſunt lucro damna minora, queror?
Ut mihi vivaces cedant ſua ſecla ſodales :
Plenior ex ipſo funere vita venit.
Quâ nocuit Natura, illâ me parte beabit.
Cornua nam vitam quæ rapuere, dabunt.
Non cornuta mei ſub terras ibit imago :
Hoſtia non orco ſollicitata cadet.
Sed toto populis ſtabit ſpectabilis ævo,
Magnorum digitis ſæpe notanda Ducum.

 Fors

Fors & ero magni pars non ſpernenda theatri,
Quo pecudum in tabulis ſiſtitur omne genus.
Tunc ego nobilium volitabo per ora Virorum
Gentiles curſu vincere docta meos.
Tunc ego materies pulchri ingenioſa laboris,
Sollicitiſque ferar fabula longa Scholis.
Fors & victuro vitam mihi carmine donet,
Qui grege de Vatum cornua noſtra canet.
Interea dulces habeat ſibi corporis hujus
Reliquias heres qui velit eſſe meus.
Prima mihi pellis curetur, fartaque plumis
Non niſi virgineas fulciat hirta nates.
Tum nudata caro, ventres paſtura beatos,
Victima patriciæ ſit pretioſa gulæ.
Non alio cuperent mergi mea membra ſepulchro;
Non tumulo poſſent nobiliore tegi.
Infames lacerent inglorìa corpora corvi:
Me prædam humanis dentibus eſſe juvat.
Cœtera quæ reſtant, hominum ſint ſacra ſaluti
Omnia, Pæoniæ nomina magna ſcholæ:
Viſcera, pinguis adeps, & pars quâ femina dicor,
Fœcundum ad ſteriles munus itura nurus,
Oſſa, medulla, cruor, cum ſordibus ungula: Honoris
Cornua ſed maneant ſola trophæa mei.
Hæc qui Tartareis exuſſerit ignibus, ipſe
Dignus erit flammis; cornibus ipſe peti.
Illa pharetratæ veniant ſpolia ampla Dianæ,
Gaudeat ut noſtris, gaudet ut illa ſuis.
Et faciles Nymphæ (ſunt his quoque cornua curæ)
Cornibus intexent annua ſerta meis,
Fors Actæonios non dedignatus honores,
Vir capiti imponet non malus illa ſuo.

In

In
Apiani Præſegmina Amorum.

QUæ Præſegmina publicas Amorum?
Non Phœbum ſapiunt, olent Priapum,
Non laurum redolent tuam, ſed hircum,
Hæc præputia ſunt mera, Apiane,
Plena ruris & inficetiarum,
Plena criminis, & protérviarum.
Quæ ſi digna manere pœna debet,
Exemplo tibi Marſyæ irroganda eſt:
Ut vel pelle luas, profane, totâ,
Vel pellis ſceleratioris parte,
Ac tu tantus Apollinis ſacerdos,
Nunc fias Cybeles novus ſacerdos.
Hæc Phœbo Tuo judice, hæc tuorum
Sint præſegmina vera, viva Amorum,
Suſpendenda tuo ſigilla libro,
Hæc donaria ſacra ſint Priapo!

IN
ERICI MAURITII, JCti,
Faſces Academ.
al. nom. ſcr. 1666.

PAnde triumphales feſtivo KILONIA portas
Gambrivii laus ſumma ſoli, cui regia Nerei
Oceani hinc famulatur aquis, hinc Balthica Thetys
Se terræ infundens reſonantibus alluit undis.
Pandite vos Helicona Deæ, pateantque receſſus
Pegaſei, cunctas effundat Caſtalis undas.
Templa iterum Virtus reſerat, vicina recludit
Limina junctis Honos, ariſque indicit honorem.

Si ſinis ingredimur, Vir Summe; etiam illa pa-
teſcunt
Carminibus votisque. At vos exeſte profani,
Eſte procul Stygis atra cohors; haſtata Minerva
His ſacris prohibet, prohibet pharetratus Apollo.
Tuque ô, quem ſupplex Dominum doctrina ſalutat,
Dum faſces Pindique capis moderamina Rector,
Orſa juves, facilisque meis adlabere cœptis.
Non tàm fatidicas indulgent laſſa Pelasgis
Nomina nunc flammas, nec amicam Pegaſus undam,
Quàm Tua quæ lucet famulanti gratia Pindo.

Euganeos ſpectaſſe patres & ſceptra Gabini
Cum trabeis, qualemve ineat Germanicus annum
Vel quantis ſpoliis ſplendeſcat Honorius Iſtri,
Si jactaſſe juvat? feſto ſi carmine quondam
Scipiadas Latium ſtrepuit, trabeasque Probini;
Pagina ſi Stilicone tumet, Mallîque triumphis:
Nec te degeneri fas ſit torpere veternô
Cimbria, dum proprio creſcit reverentia Pindo.
Si palmæ fuit amplus honos; ſi dura ſecuris,
Et faſces, oleæque, & quercina ſerta fuere
Laudis materies; ſi ſtat quoque gloria ramis
In levibus; vili ſi gramine Roma triumphat:
Quæ tandem laudes Phœbeia ſceptra manebunt,
Cum nova Apollinei ſumunt exordia faſces;
Quale melos, quali ſiſtro Kilonia cantet
Rectorem facunda ſuum, cui ſceptra Camœnæ
Decernunt, faſcesque ſuos, venerandaque regni
Symbola, purpureâ cingentes undique pallâ.
O fortunatum nato te Præside Pindum!

Jam genium ſpectare tuum nova ſacra jubeto,
Quæ

Quæ facimus, ſanctisque adſtet laus plenior aris,
Et ſe miretur, proprios & tangat honores;
Ritè miniſtrantes dum tardant ſceptra Cimbrœnas.
Jamque ſedes ſollers puppi Palinurus in altâ,
Res agis excelſas, clavoque intentus adhæres,
Exſequeris dum juſſa Ducis, quo judice regnas.
Scilicet hic profugas Cimbrum ſuſcepit in oris
Muſas, cum ſolito dudum privaret honore
Chaldæus, Memphisque ſui ſecreta Canopi
Neſciret, tegeret Nilus fœdo omnia limo;
Barbarie cum pulſa ſuis migraret Athenis
Pallas, nec Latiis penitus hereret in oris,
Transvolat illa Alpes alio ſub cardine Mundi
Æternam fixura domum, certosque receſſus.

Ergò decrepiti reparans diſpendia Phœbi
CIMBER APOLLO, novas Muſis reſeravit Athenas:
Quamque Eos latibus turbârat, ſpreverat Auſter
Pallada, nunc Boreæ firmo ſuper axe locavit.
I nunc, in Batavis magni compendia Pindi
Viſurus, Phœbum & profugum! ſunt hic quoque Muſis
Templa, patet locus hic ad pulvinaria Divum,
Et doctis fœcunda Domus; quæ læta ſecures
Commendat VIR SUMME, Tibi, quem fama per orbem
Jactat, & agnatos Aſtræa extollit ad axes.
Quas Phœbus ſparſim Muſas diviſit in omnes
Uno in Te miratur opes, miratur honores,
O rari natura Viri! Parnaſſus & omnis
Hâc Helicon ſe fronte movet. veneramur obortum
Palladium, & cunctas hoc uno in pectore Muſas.

Magni-

Magnificis Pindi ſceptris oſtrôque ſuperbus
Incedis, clavesque Tibi devincta marito
Dat Pallas, reliquæ pandunt Helicona ſorores
A puero Tibi nota cohors, laticesque propinant
Caſtalios, plenisque parant adſurgere turmis;
Dum ſuperûm Tibi fulget amor, dum gaudia ſceptris
Adgeminant convexa Tuis; magis aureus orbi
Sol ſplendet, ridetque Tuo Natura ſerenô.

Sylva Tibi Cyrrhæa patet; famulantia Pindi
Culmina ſe pronô ſubmittere vertice gaudent.
Ecce tibi Laurus declinat ad oſcula ramos;
Prudentem morus cingit; Te civis amantem
Quercus; palma Tuæ Virtuti juncta cohæret;
Pacificum lambunt oleæ; Tibi populus alba
Se jungit; ſuperisque parem Te cedrus obumbrat.

At Tu, qui ſocium Phœbo confundis honorem,
Quadrifidos Pindi facilis moderare labores,
Parnaſſi erige ſigna Tui, ſurgentia fove
Germina ſat ſpretæ laurus; neu fœda triumphet
Barbaries, ſed ſarta ſacris ſtet gloria Muſis,
Sit felix mons iſte novô Te PRÆSIDE! Atlante
Non minor, excelſum caput inter ſidera condat!
Tolle ſolo ſublime caput, Pimplæa fluenta
Funde; Tuis lætus quoque pilea divide Cimbris,
Et quibus eſt pretium Virtus, ſapientia Pindo
Quos ſacrat, & Genius cognata ad ſidera tollit.
Materies hæc laudis erit! ſic nobile ad aſtra
Nomen eat, ſpatioſa Tuæ Germania famæ
Annuat, & geminum ferias Virtutibus axem.

Pocu-

Poculum boni Dæmonis.

id eſt:

Euchariſtico-Valedictorium,

Quod

VIRO

CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

HENRICO SCHÆVIO,

Phil. & Med. D. Poët. Cæſar. & Græc. L. ac Poëſ. Profeſſori Regio,

Præceptori hactenus fideliſſimo,

Fautori æviternum devenerando,

Ad ſuum de florentiſſimâ Sedino abitum, tanquam mentis manusque ſuæ pignus, ὁδηγὸν & ſtatuam quaſi Mercurialem propenſi atque grati animi, inter ipſa convaſandi negotia ferme ἀποςομαντιζόμενος poſuit atque obtulit

D. G. M. Vismarienſis.

ↃIↃ IↃC LVII.

Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus Apollo,
Nec reſponſuras canis imploraſque querelas!
Qualis ubi quondam cum paſcua culta Galeſus
In ſua ducit oves, ſimis ſtant preſſa capellis
Ubera

Ubera & indomitis reſonat caſa patria vaccis.
Olli multa ſonat ſeptenâ ab arundine Phyllis,
Vocalesve premit ventres, queîs dulcis ovile
Mulceat. Haud alius tam mitia pabula miſcet
Paſtor; at ô miſeram! ſi quà grege deerrat ab illo
Tarda bidens & ſors peregrino cedit Amyntæ;
Tunc ea tunc ſurdum ciet ingeminatque Galeſum:
Non aliùs, Vir magne, tuâ de fronte ſecedo.
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus
Apollo,
Nec reſponſuras canis implorasque querelas!
Nam velut Actæi dives ſulcator Hymetti
Cui multum eſa domus, nec ab ilice pauca redundant
Mella; huic mille ſuis glomerant examina campis
Perque thymos nova dona legunt & cerea dio
Nectare caſtra premunt & parca in tempora ponunt;
Sed ſpolianda brevi; veniat gravis ære colono
Dextera; tunc tenues turbabit roris alumnos,
Rimoſa è patria: volitat vah nobile vulgus,
Fraudatique fremit crudelia ſacta peculi.
Sic quis mella mihi, quis dulcia pabula raptat?
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus
Apollo,
Nec reſponſuras canis implorasque querelas!

Bis laxata ſeges Sedini ut rura petebam
Sedini ſedis divûm; ſi Theſſala Tempe
Dixeris, haud erras, Viadri patris optima regna!
Hic Helicon melior, quàm quem lavat Aone flumen
Fonsque magis purus, quam qui fuit ille caballi
Cornu de proprio ſatus aut Libethridos unda,
Aut quæ Cenchræis Pirenæ eſt nata favillis,
Arbiter

Arbiter ipſus eras SCHÆVI; Tua, Pomera Siren,
Sideraque & rupes mirantur carmina; ſive
Statiaden juvat aut mutilatam tundere chordam.
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus Apollo,
Nec reſponſuras canis imploraſque querelas!
Protinus acceſſi: ceu Saturnalia quando
Vulgus agit, rapitur largis diffuſa rapinis
Pontica Nux & Cajoli molleſque laguncli.
Cottidieque ea cura fuit: dein priva retexti
Munera: Tunc primum ſermones pingere multâ
Murice juſſiſti: vel quâ modo parte ſuperbum
Extollat caput, aut heroos provocet auſus:
Vel qua repat humi ſeque in ſuaviſſima fundat
Colloquia, aut multo ſale mordiat ulcera ſeclî.
Quaque lepos condit, vel quî ſine lege ſeratur.
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus Apollo,
Nec reſponſuras canis imploraſque querelas!

Nunc alius ſuccede labor dum condita rerum
Demonſtras adyta, & Naturæ ænigmata vulgas;
Quæ ſit Materiæ ſemper fluitantis origo
Quæ Formæ ratio; te vindice quî cadat ignis
Ambitioſus honos; ne jam ultra perfidus illam
Illudat ſeriem; an nox auferat atra colorem;
Quæ Solem fœdent nubes; quique omnibus inſit
Unda parens rerum genitiſque in ſemina cedat,
Unde ſonent Venti; quæ Diti proxima ſervent.
Luſtra metalla & quo ſurgant animalia motu.
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus Apollo,
Nec reſponſuras canis imploraſque querelas!

Tertia

Tertia cura ſimul turbatam linquit arenam
Et cyclos, Vir docte, tuos, queis ſcita Matheſis
Indiget omnigenumque indagat ſchemata rerum.
Seu Numerum ſpectes, quo non ſolertia majus
Extudit; æternum qui inſpirat ſenſibus ævum;
Per tria puncta uno ſibi reſpondentia nexu
Seu quartum duci: mendacia dicere verum
Seu jubeas, Sphingemque arcano ſolvere Gebro
Seu ſextas decadas parvasque evolvere tricas,
Quas tenus aſtra meant & per contraria flectunt.
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus Apollo,
Nec reſponſuras canis implorasque querelas!
Lineam at inde ſecas, vel quâ ſe porrigit & quâ
Deprimit & latis quâ terminat æquora campis:
Hinc juvat infeſtis defendere pulſibus urbem
Mæniaque aggeſto glebis per mutua nexis
Monte agere; aut Quincunx Sextansve; aut devia claudit
Forma ſitum; aut agris ſtatuis munimen apertis.
Dein Lucem radiare doces, quique illa reſiſtat
Qui cadat in ſpeculum vultus, quis adulteret error,
Ut Midam referas cum naſo ſesquipedali,
Obſtipo capite; aut viſa ut depingere poſſis.
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus Apollo,
Nec reſponſuras canis implorasque querelas!
Jamque Syracoſium ſatagis pervolvere gibbum,
Sidera quî migrent & quî temone reverſo
Poſtico fallant: lacrymoſas ſive ſorores,
Sive Meduſæum pecus, aut nimboſi Orionis
Dextram, ſeu multæ pietatis Cephea monſtras.
Seu Leges queîs ſecla fluunt & commoda Faſtis

Feſta

Feſta locant: pictoſve jubes ediſcere mundos.
Sed quam divitiis ſenſuque exutus opimo,
Extremum mitto illud opus; ceu provida pullo
Mater abit, qui non ſuggeſta veſcitur eſcâ.
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus Apollo,
Nec reſponſuras canis implorasque querelas!
Nam ſilet ille tibi, cui nuper plena ſonabat
Teſtudo; aut monſtras quî Paſtoralis arundo
Labra terat, vel quî digitus numeroſior alta
Fila premat; vel quo ritu lugubria præſtes
Officia, aut quo agites peregrino ſole reverſis
Plectra ſono; cur non qui diſcedentia plangam
Carmina? Cur proprios non par eſt tradere pulſus?
Tunc foret ut Cygnus nec vincat Belgicus altusque
Heinſius, aut lepidi Baudi moderator Jambi:
Tunc nomen ſuper aſtra tuum ſuper æthera ferrem.
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus Apollo,
Nec reſponſuras canis implorasque querelas!
At Tu ſi tibi non hæc feſtinata papyrus
Digna litat, meritûmque expungit nomina, quæſo
Fer bonus hæc: Fluvios guſtat Pater ipſe minores,
Nec Cererem ſpicæ pudet: O ſalvete lepores
Et Charites, queîs ſcripta nitent: Tua munera ſervo,
Dum me ſpiritus hic atque hic calor oſſa gubernat.
Quam mihi quam multum rodent tua nomina linum
Si vivos datur haud vultus atque ora tueri:
SCHÆVI noſter amor: Tua me memor umbra ſe-
quetur,
Vive, vale, noſtri pignus memorabile voti.
Rumpe chelyn pollex; tibi nunc ſilet altus Apollo,
Nec reſponſuras canis implorasque querelas!

COROLLA ANAGRAMMATICA

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

DOMINO,

DN. CAROLO GVSTAVO,

SVECORVM, GOTHORVM, ET VANDALORVM REGI

&c. &c. &c.

Submiſſè oblata, M. DC. LIIX.

*

CAROLVS GVSTAVUS, SVECORVM GOTHORVM ET VANDALORVM REX, MAGNVS DVX FINLANDORVM, DVX ESTHIORVM, CARELIORVM, BREMENSIVM, VERDENSIVM, STETINI, POMERANORVM, CASSVBIORVM ET VANDALORVM, PRINCEPS RVGIANORVM, DOMINVS INGRIÆ ET VISMARIÆ, COMES PALATINVS RHENI, DVX BAVARIÆ, JVLLÆ, CLIVIÆ ET MONTIVM CLEMENTISSIMVS.

Per Anagramma metricum puriſſimum.

NOn cures vulgus, vel maxuma murmura Momi,
Cœlica Progenies, virtute & fortibus armis
Excutiens mundum. Tremit ad tua caſtra Polonus;
Hinc Mouſchi; hinc Dani generoſumNumen adorant.
Sidera rumor agit. Nos vivis plaudimus auſis:
En Lux magna Virûm, vix ô delebilis ævo,
RERVM I VERA SALVS, MERITVM DOMINARE PER ORBEM.

Trium-

Triumphus Varniacus,

Quem

M. JACOBO HELWIG,

S. S. Theol. Cand.

Cum ille ad capeſſendam Rectoratus Gymnaſii Berlinenſis provinciam Roſtochio abiret,

Gratulatur extemporaneo

Carmine

MECKLENBURGENSIUM NATIO. 1658.

ERgone jam pleno Victor, Vir magne, Roſeto
Inconcuſſus abis, nec quæ te vota retardent
Aſpicis & noſtrum defraudas ſidere montem
Et patriæ tua dona locas prædamque recentem
Quam de Varniacis retulit tua gloria caſtris?
Non ſecus æquoreas, ruitnris Jovis arbor in iras,
Quam fluctus Siculi, quam deteſtata Malææ
Saxa petunt; grandes diſcit ridere procellas
Confutatque Notos, pennisque rigentibus Euros
Et noctes hyemesque & frigida ſibila Cori:
Illa per & Meroen volat & tranſcendit Orontem,
Scandica qua ignavos Calliſto involvitur axes,
Qua radios diffundit Eos, quà decolor Indus
Ultima decrepiti veſtigia ſolis adorat:
Jamque domum benè paſta redit, ſaturataque Terræ
Dotibus aut omnem viduat lanugine Seram,
Aut portat ramenta Tagi pinguesque Moluccas,
Ut quamvis avidum locupletet fœnore Nautam.
Sic exantlatos ſepelis HELWIGE labores
Ingeniisque & ab arte ſatur, ſpoliisque triumphans
Periis patrio vis deſudare labori.
Ibis in amplexus faciles centumque tuorum
Colla premes, centum miſcentur vota, nec unquam

Una locum cervix dabit omnibus: Ipſaque Mater
Depoſitum tam grande & tam venerabile pignus
Mille per oſcla petet lacrymisque immixta ſerenis
Tecum verba feret: Novus eſt qui fulciat Atlas
BERLINVM & toti notiſſima limina mundo.
Scilicet hæc noſtris ſi deſit adorea Muſis
Quis caput afflixiſſe velit? quis vel nuce caſſa
Doctrinam cambire petet? quis concoquat illa
Ingenii tormenta, cruces & mille pericla
Quæ penetrat non ſegnis amor, cognataque cœlo
Pectora & ad ſummos Laudum nitentia plauſus?
Manſurus nam ſemper honos & grandia reſtant
Præmia, quæ quidvis durum quæque horrida juſſa
Alcidæ ſuperare queant malaque omnia dulci
Diſſimulent fructu: Pone hunc ubi torpidus axis
Tænariâ ſub nocte jacet, vel quâ rota candens
Directum ſua rura ferit domibusque putatur
Invida, quâ Ganges & quâ Nyſæus Hydaſpes
Arva lavat; demum tantum ſuperadde laborem;
Qualem nec Glauco ſatus Hippodamesque perempti
Suſtinuere proci: tamen altis robrat auſis
Conſilia ingentemque animo ſibi propoſuit ſpem,
Quam ſequitur conſtante gradu; nec decoquit illa
Deſertatque ſuos: namque omnia ſemper ad illam
Vota & fata ruunt; ſeu quem jubet ardua Virtus
Claudere Principibus latus aut ſubſellia cautis
Pandere conſiliis, ſive id quod tetrica pyxis
Evomit è medio tollendum eſt: ſive mederi
Quem jubet ulceribus ſecli vel juſſa Tonantis
Et juſti præcepta rudi monſtrare popello.
Talis noſter erat: namque ille per ardua Pindi
Culmina perque omnes Montis volitans anfractus
Mente Deo ſatur & ſuffertus pectora Phœbo
Mul-

Multumque Aoniis in vota petitus Alumnis,
Irruit Ardaliis ſtipatus utrinque catervis:
Nempe Roſam haud ſpinas noſtro tulit ille Roſeto.
Diſcite nunc ævi monſtra atque opprobria ſecli
Diſcite quæ melior formet ſententia mentes:
Nulla etenim nobis ſunt otia, neve Vacunæ
A nobis debetur honos, quanquam otia ſemper
Sint agitanda: labor tamen intus & in cute mordet.
Hic videas madidum Bromii pecus: hic juvat usque
Ingentes deplere cados Patremque bibendo
Vincere & in numerum grandes urgere calullos.
It labor orbe tenus ſemperque accreſcit eundo
Poclum horrendum informe ingens, duploq; notatur
Qui non à fundo carcheſia ſubruit imo.
Jamque ubi poſt medias nox humida carpitur horas
Urbsque toris compoſta jacet, denſatur utrinque
Stentoreumque melos longumque crepans ululatus;
Qualem haud Baſſarides, ſtygiæ neque janitor aulæ
Cerberus aut proprii reboaverit incola Tauri:
Pulſantur miſeri lapides & cuſpide cuſpis
Stringitur; at ſi ſors antiqua ad prælia ventum eſt
Nocturnosque cient Ephoros velut eſſet ad urbem
Hannibal: heu quantis pugnatur viribus! & mox
Semiputata dolent naſi veſtigia cruraque
Inſigni contuſa pedo ſcapulasque tumentes.
Pars Veneri formæque litant, queîs maxima laus eſt
Femineo placuiſſe gregi gentique togatæ:
Nulla mora eſt, ſubito noſmet dediſcimus atque
Germanos habitus; longe peregrina ſubintrant
Gallica, quæ ex alio mendicat ſole nefaſta
Luxuries, populi & vitiis immergimur iisdem
Mancupia externæ gentis mentisque profanæ;
Quique alii ſunt mille doli: citius Jovis imbres

Quis vocet in numerum ſylvæque cadentis honores,
Quam tantas fraudum ſpecies & nomina tanta:
Non ergò hîc vilis labor eſt,ſed maxima cura
Proſpexiſſe dolos tantos, præſcribere leges
Juraque difficili partiri inviſa Juventæ,
Emendare animos, quos jam Circæa Voluptas
(Ceu Ithaci quondam ſocios) in tetrica traxit
Nomina: parti animo reſidet ſus horridus; illi
Vipera, non paucis ignavæ mentis aſellus.
Tu tamen aggrederis,patriaque Deoque monente
Tam magnum tibi credis onus ſecurus ubique
Auſpiciis HELWIGE tuis, quo præſide in uno
Aonidum ſtat tuta ſalus; procul ecce canoro
Deſcendunt Helicone Deæ tuaque auſa ſecundant:
Sis felix, multumque cave ne fœda triumphet,
Barbaries turpemve admittant ſecula labem,
Et Muſas ſors cœca premat; Cape lætus honores
Et faſces quos ipſa tibi Sapientia ſignat.
At tamen heu jactura dolet ſemperque dolebit
Tam cari capitis. Doluit ne erepta marito
Tyndaris Iliacosque eadem moviſſe tumultus
Dicitur? an Cereri læto Proſerpina vultu
Rapta fuit? quis Agenoreos de pignore luctus
Improbet? immenſum eſt quod perdimus.
Ergo vale & quoniam ſolum meminiſſe relictum eſt
Et noſtri meminiſſe velis; trepidantia ſume
Carmina & extremum tibi quem properamus hono-
Interea rigidans ſua flamina differat Arctos (rem:
Nec Jupiter male gratus erit, nec frigora cudet
Sithoniasque nives. Facilis tibi clamitat Æther:
SIC O SIC POSITIS MITESCENT SECVLA BELLIS,
SI TALES CLARIA TRAHIMVS DE SEDE TRIVMPHOS.

LANX

LANX SATVRA
Sive
RHAPSODIA
IN
ΧΡΙΣΤΟΓΟΝΙΑΝ,
ex optimâ Nobiliſſimorum
Epicorum Triga,
MARONE
STATIO
CLAVDIANO,
Corraſa.

*
* *

VIRO EXCELLENTISSIMO.
SECVLI ORNAMENTO.
MVSARVM DELECTAMENTO.
LITERARVM COLVMINI.
ARTIVM LVMINI.
POETÆ INCOMPARABILI.
APOLLINI TEVTONICO.
CALLIOPES GERMANO.
GRATIARVM FILIO.
IMMORTALITATIS ALVMNO.
M. ANDREÆ TSCHERNINGIO.

NOn fero ſplendentem limum, non quicquid Iberus
Jactat & auriferis proluit Indus aquis;
Non quod Gargarea lucrum à tellure rep. ſtum eſt,
Aut quæ de foliis fila retondet Arabs.
Eſt levis & nunquam tam grandi digna cerebro
Chartula, quæ tibi nunc conſpicienda venit.
Materies excuſet eam: tamen ardua conor,
Sique animi ſpectas, omina magna paro:
Nam magnis quandoque Diis & farre litatum eſt,
Et placet Ennææ ſpica dicata Deæ;
Carpitur Idaliæ Roſa munus grande Dionæ,
Sumis & Odryſius telaque & arma Deus.
Cogo quidem laceras ire in ſua compita voces,
Mentirique ſonos verba profana ſacros;
Sint laniata licet verba; at mens integra reſtat,
Integra nempe Diis, integra nempe Tibi. *d. d. d.*
D. G. M. 1658.

(*In* Virgilii *citatione E.Eclogas, G.Georgica, Æ. Æneida ; In* Statio *numerus Romanus librum Sylvarum : barbarus carmen T. Thebaida. A. Achilleida notat. In* Claudiano *ob prolixas operum inſcriptiones paginas citavimus Editionis Amſtelodamenſis Anno 1650. edita. Binis tantum in locis Nomina ſacra inſeruimus : Cætera pura ſunt.*)

Æ. 1. MUſa mihi cauſas memoria, * cœleſtia dona
G. 4. Exequar * & totū ſpirant præcordia Phœbum. *p.* 1.
E. 6. Non injuſſa cano;* jam profluat ebriusAmnis, *p.* 169.
Et fontes da Phœbe novos ac fronde ſecundâ
A. 1. Necte comas : Neque enim Aonium * mihi panditur æquor, *p.* 170.
Nec nos obniti contra nec tendere tantum
Æ. 5. Sufficimus. * Non hæc precibus tentanda fuiſſent *p.* 167.
p. 209. Ille refert : * novus hoſpes erit, * juvat ipſa labores *III,* 2.
I, 1. Forma Dei præſens, * Dominum ſubmiſſus adores : *p.* 180.
Æ. 4. Nam quid diſſimulo; * procul importuna fugantur
p. 181. Numina *, progenies cœlo demittitur alto. E. 4.
Ergo agite & cuncti lætum celebremus honorem, Æ. 5.
Ore favete omnes & cingite tempora ramis. Æ. 7.
Nec tu carminibus noſtris indictis abibis, Æ. 7.
p. 192. O mundi communis amor *, ô ſidere dextro
III, 1. Edite * & in melius gaudens convertere fata, *p.* 124.
p. 116. Spes votúmque poli, * divûmque æterna poteſtas ! Æ. 10.
Cuncta quidem centum nequeam perſtringere linguis

Quæ

p. 148. Quæ pro me mundoque geris : ſed * vota *Æ.* 6.
precesque
His ſaltem accumulem donis & fungar inani
Æ. 6. Munere *, Nate Deo. * Te Phœbo abſente *Æ.* 5. T. 8.
vocabo.
IV, 1. Progeniem cœli * ſuperis quæ reddita Divis, *Æ.* 12.
Ad te confugio & ſupplex tua numina poſcô: *Æ.* 1.
Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum
p. 10. Et veſtri ſecreta poli. * Data copia tantæ
I, 2. Noctis. * Io Superi! nec inexorabile Clotho
I, 4. Volvit opus: * Tempus Socii nunc larga
parare
p. 53. Munera *; Te longo nec dum fidente paratû
A. 1. Molimur, * felix quoscunque vocaris in uſus T. 1.
Ipſe veni viresque novas animumq; miniſtra
I, 4. Qui caneris, * cæptumque una decurre la- G. 2.
borem;
Expediam primâ repetens ab origine famam. G. 4.
p. 15. Merſerat unda diem, * montes umbrantur *Æ.* 3.
opaci,
Nox & cæruleam terris infuderat umbram, T. 2.
T. 1 Jam pecudes volucresque tacent, * Nereïa
glauco
Neptunum gremio complectitur Amphitrite. *p.* 11.
Et ſimulant feſſos curvata cacumina ſomnos. V. 4.
Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbras *Æ.* 6.
E. 7. Compulerantque greges Corydon, * & quis E. 3.
fuit alter?
T. 3. Tunc ferro retegunt ſylvas * & fiſſile robur
Scinditur, advolvunt ingentes montibus *Æ.* 6.
ornos,
Æ. 11. Conjiciunt igni: * tacitis huc greſſibus acti
T. 2. Deveniunt * densâque nemus ſtatione co- T. 2.
ronant
Ante rogos, dum quisque ſuo nequit igne T. 3.
revelli.
Æ. 3. Interea * varias miſcent ſermone querelas, T. 8.
T. 10. Noſſe futura rogant * veterisq; exordia fati, T. 8.
Ipſe ager ipſi amnes & muta armenta querun- T. 5.
tur,

E. 16. Stant & oves * ſvadetque leves cava fiſtula T. 1.
ſomnos.
Æ, 2. Primus ibi ante omnes * conſederat ilice E. 7.
Daphnis
Multa querens atq; hac affatus voce parentem: G. 4.
Tantane te noſtri cæperunt tædia mundi? p. 85.
Nec duras tantis precibus permovimus aures? p. 164.
Æ. 6. Tempus, ait, Deus ecce Deus, quonam usque
feremus
p. 48. Exitiale jugum * torvi prædonis habenas? p. 23.
Usque adeone tuæ producitur impetus iræ? p. 227.
Nullane te flectit Pietas nihilumne paternæ
p. 23. Mentis ineſt? * quæ te Genitor ſententia Æ. 1.
vertit?
Quid mentē traxiſſe polo, quid profuit altum
p. 27. Erexiſſe caput? magnū & memorabile nomen? Æ. 4.
II, 2. Spargimur in caſus, * nunquam ſincera bo-
norum
p. 171. Sors utili conceſſa viro,* curæque metusque I, 8.
T. 11. Inſtaurant crudele nefas, * ſpes nulla ſalutis p. 79.
p. 24. Ingreditur: * ſævo tanta inclementia cœlo eſt! T. 1.
Æ. 2. Adſpice nos; * duro nec enim ex adamante
creati
I, 2. Sed tua turba ſumus, * manet altâ mente re-
poſtum
Æ. 1. Judicium * tantæne animis cœleſtibus iræ? Æ. 1.
p. 207. Optatusne dies aderit? * dum talia fatur, T. 7.
Detergit lacrymas atque inter ſingula dicta
p. 65. Flebile ſuſpirat * vacuosq; interrogat agros T. 6.
Æ. 2. Nequicquam ingeminans * : quas inceſtavimus V. 5.
aras?
Æ. 2. Intemerata fides; oro * miſere tuorum, p. 228.
p. 230. Excidimusne tibi,* nunquam tetigere que- p. 227.
relæ?
G. 2. Agricolas * impar naturæ cura remordet, p. 107.
(Partem aliquam venti Divûm referatis ad E. 3.
aures!)
G. 1. Et ſtudio incaſſum videas * quorum indiget E. 2.
uſus
p. 74. Indulgere dies *, ſpumantia cogere preſſis

Mella

G. 4. Mella favis *: ſubeunt morbi triſtisq; ſenectus G.3.
Æ.4. Cum gemitu, atque * alia ex aliis in fata vo- Æ.3.
camur.
T. 5. Pauper honos * male ſvada fames, & * nulla Æ.6.
colono
p. 59. Reſponſura ſeges, *ſteriles dominantur avenæ, Æ.5.
Rara profanatas inſpectant numina terras. III,3.
T. 3. Criminis hæc merces * : patriæ mandata vo-
cantis
p. 148. Sprevimus, * annales veterum delicta lo- p.129.
qvuntur,
p. 14. Præmia digna manent * & inexorabile pactum, T.1.
T. 10. Invida fata piis & fors,* ſcit cætera Mater. A.2.
Æ, 6. Hinc exaudiri gemitus, * crudelis ubique
Luctus ubiq; pavor & plurima mortis imago: Æ.2.
Ferre jugum & longos juſſi ſperare per annos I, 1.
Porrexere manus inventaque triſtia laudant p.40.
V, 2. Vota pioſque metus inter; * brevis inde re-
luxit
p. 85. Falſaq; Libertas! * proh ſors duriſſima noſtri p.60.
E. 1. Et genus inviſum * Sed enim producere que-
ſtus
Non licet & cauſas cœlo deferre latentes! T. 3.
Talia dum longo ſecum ſermone volutant, p.95.
T. 6. Solis opaca ſoror * medium pulſabat Olym- Æ.10.
pum;
Blandius elato ſurgunt temone jugales, p. 163.
Sidereique orbes radiataque lumina cœlo: II,1.
Tunc & Solis equos, tunc exultaſſe choreis
p. 172. Aſtra ferunt: * Votis ſolitoq; decentior aër, p.160.
Ipſæ puniceis virides Nereïdes antris
III,1. Exiliunt ultro,* quanti per inane volatus! p.125.
p. 232. Stat gelidis Auriga plagis, * incanduit Æther,
p. 15. Egit flamma polum * & multâ cum luce cu- Æ. 2.
currit:
Stellifer Eridanus ſinuatis fluctibus errans
p. 112. Clara Noti convexa rigat; * mucrone minatur
Noctibus hibernis & ſidera terret Orion: I,2.
II, 5. Non formidato,* ſed vultu mitior adſtat T. 6.
IV, 4. Torva Cleonæi jubâ ſideris *: Ore coruſco p.185.

In-

Æ.1. Intonuêre poli, * vario ſtrepit icta tumultu
T.1. Regia * prodigiale rubens : * ſub nocte ſilenti p. 14.
I,1. (Cum ſuperis terrena placent), * concentus in agris G.1.
Vox quoque per lucos longe exaudita ſilentes
G.1. Ingens * & fugit horrendo per inania ſaltu T.6.
p.232. Par volucer ſuperis * magnâ comitante catervâ Æ.2.
T.9. Limite non uno : * Credas examina fundi
p.20. Hyblæum raptura thymum : * ſtupet omine tanto
T.1. Defixus ſenior, * ſpaciis ſtupet inſcia turba
Æ.7. Impubesque manus, * gelidusque per ima cucurrit
Æ.6. Oſſa tremor, * lucisq; novæ formidine cunctis T.5.
T.1. Horror ſit. * - - - - - - - -
I,2. Hic puer è turba volucrum, * cui tempora circum Æ.12.
I,1. Immortale jubar * Phæbææ lampadis inſtar Æ.3.
III,5. Circuit amplectens, * dicto prius adſtitit arvis. T.4.
T.10. Jamque premit terras * dumisque ſilentibus errat: Æ 9.
Vix auditus erat, venti frenantur & undæ. p.16.
T.12. Incipit: ô * ſervate animos venit ultor in hoſtes
T.10. Ecce Dies * terrisque procul venerandis eois p.126.
Dum paci medium ſe offert juſtiſſimus unus Æ.7.
Progeniem claram terris partitus & aſtris. III,3.
Ne fletu violate ſacrum, ne plangite Divos T.5.
T.12. Præcipites : * Cuncta hæc ſuperûm demiſſa ſupremâ
T.5. Mente fluunt. differte animos, * quem voce petebas
p.191. Adſpice, * non dubiis ultra torquebere votis;
Totus adeſt oculis aderat qui mentibus olim. p.191
Hic neque concepto fœtu nec ſemine ſurgit p.232.
p.200. Femineæ Virtutis opus * (res mira relatu!) p.178.
Æ.2. Jamque adeo * thalamum Virgo ſtat pronuba juxta. p.26.
Jam matura Viro jam plenis nubilis annis: Æ.7.

Hæc

T. 12. Hæc illa eſt * toties jam dedignata maritos ; Æ. 4.
Illa autem ſecura tori tædasque parari
p. 212. Neſcia divinæ * dedit hæc exordia lucis. p. 195.
p. 167. Lætatur veneranda parens,* tellure cadentem I, 2.
II, 1. Suſtulit exultans * præſagaque nomina formæ
Protinus è noſtro poſuit cognomina cœlo. I, 2.
Mirari ſine fine nurus ignaraque Virgo
p. 151. Cui ſimplex calet ore pudor, * cui gloria patrum, I, 2.
III, 3. Nec vulgare genus ; * divini ſigna decoris
Æ. 5. Ardentesque notate oculos, * Virtutis honorem. T. 12.
Æ. 5. Sed miſera * haudquaquam * dignâ ſtatione locavit, III, 3. p. 127.
Pauperibus tectis inducit & admovet antris. A. 1.
T. 6. Hic jacet, extremum * jacet en qui poſſidet orbem
p. 57. Exiguæ telluris inops * : ſtat cardine aperto
II, 5. Infelix Cavea & * penetrabile frigus adurit : G. 1.
G. 1. Nam neque tum * pandit nitidos domus alta penates, I, 2.
II, 2. Dat Natura locum : * Queritur * deſertus ab omni I, 2.
p. 102. Gente ſuâ ; * comites nec jam * cætusque miniſtrûm A. 2.
III, 1. Stipantur, * oculis ſordet vicina voluptas. I, 3.
E. 1. Fronde ſuper * toties inter præſepia ſomnus p. 60.
Æ. 11. Ducitur infelix * : hic reptat flebilis infans, T. 6.
Cara Deûm ſoboles magnum Jovis incrementum. E. 4.
p. 132. Accipit ille preces varias : * Conferte triumphos p. 212.
p. 213. Nomen adorabunt populi * procumbit humi bos Æ. 5.
T. 6. Poplite nunc flexo * vacuæ ceu proximus aulæ. T. 11.
Exeat in populos cunctis illuſtrior annus
p. 153. Natus fonte ſuo * fæcundaque floreat ætas, p. 160.
Feſtaque pallentes hilarent altaria lucos. III, 3.
I, 21. Ambiſſent laudare diem * (nec contigit ulli
p. 240. Hoc vidiſſe caput,* cecinerunt omina) Vates Æ. 5.

Pri-

T. 3. Primævique ſenes,* Rogat hoc tellúsque polusq;
Et Pietas & læſa fides, naturaque & ipſi. T. 7.
Æ. 2. Feſtinate Viri, nam quæ tam ſera moratur
III, 1. Segnities,* tenuis caſa habet * faſtigia deſunt, T. 11.
p. 113. Huc iter usque datur *, - * - - - -
Dixerat & tenues fugit ceu fumus in auras, Æ. 9.
Mitis iter longæ claravit limite flammæ. T. 5.
p. 167. Ex templo ſtrepuêre chori, * miſtæque choreis
p. 219. Auditæ per rura lyræ * cantusque dedêre; Æ. 1.
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cygni
Æ. 7. Cum ſeſe à paſtu referunt * aurasque tulerunt. G. 2.
Omnis io Pæan regio ſonat, omnia JESUM
p. 37. Rura canunt; * ſuſpenſa cohors exercitus ingens p. 233.
T. 121. Tunc hilari clangore ſonant; * *Tibi Gloria ſoli* p. 169.
Æ. 4. *Regnator * : Poſitis miteſcent ſecula bellis :* Æ. 1.
IV, 8. *Nunc demum * humano cedit cœleſte favori*
p. 184. *Judicium.* * Gelat oſſa pavor, * expavit oborta T. 4.
T. 8. Sidera * & ingentes habitus lucemque coruſcam I, 1.
II, 1. Turba, & ab excelſo * vox reddita fertur ad aures. Æ. 3.
T. 9. Quid faciat contra premit hinc * prior occupat ore: T. 12.
Quis novus hic torpor ſocii, quonam usque ſedemus? p. 82.
T. 7. Ite alacres; * venit alma ſalus, non ſomnia nobis: T. 10.
Nec volucres, ſed clara palam vox édita ſuo eſt. p. 113.
T. 10. Quæramus ſuperos, * quis jam poſt talia ſegnis
Ambigat & cœlo dubitet parere vocanti? p. 113.
p. 29. Heu longæ nocuere moræ! procul * ibimus omnes
II, 1. Ibimus * ô redimita cohors *, ut pollet ovanti
I, 2. Quisque lyrâ, ſed præcipue venit ecce Palæmon E. 3.
Talibus incenſus dictis ſenioris amici, Æ. 5.

E, 10. Venit & Upilio *, redimitus tempora quercu: G, 1.
Olli per dumos, quà proxima meta viarum Æ. 8.
T, 12. Promovêre gradum *funalibus ordine ductis: p.211.
Addunt ſe comites, divino ſemita greſſu
p. 14. Claruit * optati referens exordia ſecli : p.19.
Temnunt priſca ſenes & in hunc ſibi proſpera fata.
p. 160. Gratantur veniſſe diem *, nec certius unquam
p. 125. Hortati ſuperi *, ſalierunt pectora voto. I, 2.
T. 8. Haud procul à ſtabulis * feſtâ frondentia myrto.
p. 242. Limina cinguntur * pueri innuptæq; patresq;
Funduntur mixti, ſummisq; à poſtibus adſtant. T. 4.
I, 2. Tunc charas iniêre fores*, penetrale profundū.
p. 189. Panditur &* mox vera fides numenq; refulſit, p.212.
Non cepere fores anguſtaque deficit ædes: III, 1.
T. 7. Nunc feſtina cohors * vocemque animumque tenebant T. 3.
T. 5. Hîc impreſſa toris ora *, & nodoſa ligantem
Brachia & abducto vitantem cornua vultu T. 12.
Clamore excipiunt ſocii fremituq; ſequuntur. Æ. 9.
Illis ſub nivibus ſomni curæque laborque; p. 109.
Virgo autem impoſitæ ſuſtentat pondera lævæ, T. 11.
T. 1. Intemerata toris * magnique puerpera cœli; A. 2.
p. 220. Dulce micant oculi *, pariter pallorque ruborque T. 1.
II, 1. Atque genis optatus honos *, quîs purpura ſæpe
Oebalis & Tyrii moderator livet aheni, I, 1.
p. 28. Flammeus oris honos :* credas ex æthere lapſam
p. 167. Stare pudicitiam, * levibus projecerat auris
p. 18. Indociles errare comas, * nec corda decorem
p. 194. Nec laudem vox ulla capit, * potuitque videri p. 18.
II, 6. Pulchrior & tantum Domino minor, * aureus ille
T. 3. Sangvis avum : * tegitur neglectæ gratia formæ. p. 205.
Aſt illi duplices in nodum colligit ulnas,
Tollit humo, magnaque ligat cervice diuque
II, 1. Ipſa manu gaudens vehit:* undiq; ſæva premebant T. 1.
G. 2. Frigora *& adverſi contra ſtetis ora juvenci. Æ. 5.
Sæpe ſinu teneroque per ardua colla volutus
p. 39. Ubera quæſivit fletu * dextramque tetendit; Æ. 10.

Ipſa

Æ, 4. Ipſa tenens dextra * pueri partitur amorem. *II*, 1.
p. 209. Dat varios nexus:* Vitulam non blandius ambit *p*. 12
(Et modo ſi fas eſt æquare jacentia ſummis) *III*, 3
Torva parens, pedibus quæ nondum proterit arva *p*. 11
p. 151. Hic eſt ille puer * qui ſecula dividit aſtris, p 239
Hic Vir hic eſt tibi quem promitti ſæpius audis, *Æ*. 6
Donec longa dies, perfecto temporis orbe
Æ. 6. Concretam exemit labem, * veſtigia fraudis, *E*. 4
Gramineos dedit herba toros & vimine querno
T. 1. Texta domus:* regno & ſolio conſidere Patris *T*. 5.
G. 2. Qui potuit*, cœlum & terras qui numine torquet, *Æ*. 4
G. 2. Cui nunquam exhauſti ſatis eſt,* hos inter honores *I*, 4
p. 90. Nunc inhonorus, egens: perfert: * ſtat quicquid acerbi eſt *Æ*. 10
E. 10. Malle pati * obſcænamque famem* (mirabile dictu) *Æ* 3. *G*. 3
Æ. 1. Unius obnoxam, * letho pars ne qua vacaret: *p*. 84
Pallida lætatur regio gentesque ſepultæ, *p*. 25
p. 26. Exultant cum voce pii:* Jacet ille nefandus
T. 12. Prædator, * cœco foveæ deceptus hiatu, *II*, 5
III, 1. Tempus erat, * ſubiit leges & frena momordit, *I*, 2
p. 53. Nullus ab hoſte timor: * En aurea naſcitur ætas
En proles antiqua redit, concordia, Virtus, *p*. 38
Rorabunt querceta favis, ſtagnantia paſſim
p. 46. Vina fluent, * florebit ager ceſſante juvenco, *p*. 14
Concordes varia ludunt cum Tigride damæ, *p*. 17
Pax ſecura locis & deſidis otia vitæ? *III*, 5
Sic rerum ſeries mundique revertitur ætas, *I*, 2
Nec fuga jam miſero nec magnæ copia mortis. *T*. 9
Æ. 5. Unum pro multis dabitur caput, * occupat Heros *A*. 1
T. 3. Unius acta Viri: * Orbis apex æquatus Olympo. *p*. 137
T. 9. Qualis & ecce jaces? * & cruda exordia magnæ
A. 1. Indolis, * ô magni decus ingeniumque Parentis *T*. 1
T. 1. Et pecori commune ſolum * excepére cadentem. *T* 9
Ancipites rerum ruituro culmine lapſus
p. 173. Æquali cervice ſubis * ô Numen amicum: *p*. 166
Ne timeare times & quem vindicta manebat
p. 178. Deſperare vetas * acuens mortalia corda. *G*. 1
T. 7. Gens ſacrata ſumus, * cunctis inopina reluxit
p. 192. Te Victore ſalus: * Procul ô procul eſſe profani. *Æ*. 6

Cedat

II, 7. Cedat luctus atrox * revocaſti gaudia genti; p. 155
Quippe manet longumque ævo redeunte manebit I, 4
III, 1. Illa dies: * ite optati mortalibus anni. p. 189
p. 225. Ecce autem * illa cohors * delibat dulcia nati T. 7
p. 230. Oſcula *, venturi gaudebat præſcia fati; p. 195
Nec vaga dilecto ſatiantur lumina vultu, p. 195
p. 221. Oſcula mille ſonant, * biforem dat tibia cantum, Æ. 9.
p. 132. Procubuere ſolo, * magnis data victima Divis; Æ. 12.
Æ. 9. Succedunt ſervantque vices, * myrrhata relucent.
Limina, divino ſpirant altaria fumo; p. 244
p. 232. Tunc blandus dextrâ * quid non faciebat Amyntas? E. 2
p. 222. Detraxit matris gremio; * mox inchoat ore: p. 168
Salve ſidereæ proles auguſta MARIÆ, p. 212
p. 251. Vox ſummi ſenſusque Dei, * dignisſima cœlo
A. 2. Progenies, * cujus libratur ſenſibus orbis; p. 198
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina Vitæ. II, 2.
Æ. 8. Dum te chare puer, * populis promiſſa voluptas. T. 7
Æ. 8. Complexu teneo; * penitus latet exitus ingens. T. 6
Quo ſatis ore tuis famam Virtutibus addam? T. 3
E. 8. Sis bonus ô felixque tuis, * ſi tanta cupido eſt, T. 11
T. 2. Per ſuperos noctemque tuam! * tibi mollia geſto
A. 1. Tympana, * Carminibus vincet nec Thracius Orpheus: E. 4
Nunc vivo neque adhuc homines lucemque relinquo. Æ. 10
Reddita Libertas Orbi, Vindicta Parenti: p. 140
T. 3. Unde ea Libertas? * magno quid ab æthere portas? T. 7
II, 5. A media jam morte redit * miſerata dolores.
p. 138. Reſtituit terras, * geminæ confinia Vitæ, p. 193
p. 12. Æthera deſeruit * cupiens exire ſub orbem, p. 21
p. 27. Humanum relevare genus, * procurrit in orbem
p. 140. Secreto de fonte cadens. * Tu Gratia flores
Elige tu geminas concordia necte coronas, p. 218
Thuris adoratæ cumulis & meſſe Sabæa
p. 171. Pacem conciliant aræ, * gaviſa coronat
p. 165. Terra ſuum, * procumbit ager: * ſed pendere grates T. 11
T. 11. Haud mortale opus eſt, * ſatis eſt potuiſſe videri. E. 6

Nnn Con-

Conticuit tandem factoque hic fine quievit, Æ. 3.
T. 4. Hæret amica manus,* pariter ſuſpiria firmant, T. 8.
Invitat tenues ad dura cubilia ſomnos. T. 1.
p. 12. Jam vicina toro * cœlique abrupta tenebat T. 3.
p. 26. Stellantes Nox picta ſinus, * jam roſcida Luna G. 3.
T. 7. Poſcentes irrupit aquas, * Pariter igneus orbem T. 2.
T. 6. Extulerat, * ſummo ſpargebat lumine montes Æ. 2.
IV, 1. Clarius ipſe nitens; * vultus vomit aureus ignes: Æ. 10.
II, 1. Tunc omnes patuêre fores, * caput omne coronant
T. 10. Murorum nigrasque ſudes, * nunc pectora mulcens.
A. 1. Nunc fortes humeros * divino carmine Paſtor E. 5.
Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibæus. E. 5.
E. 5. Spargite humum foliis, * errant in montibus agnæ E. 1.
IV, 4. Et pacem piger annus habet, * ſuperaddite carmen E. 5.
E. 1. Paſtores, * hæc lux toto jam longior anno eſt.
Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci. E. 7.
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos G. 2.
Humanumq; genus communi nomine fovit; p. 194.
Hæc fovet abſentes, hæc longe ſola remotis
p. 180. Conſulit, * una gravi penitus latet obruta cœlo: T. 5.
Hic æterna quies, nullis hic jura procellis,
I, 3. Nunquam fervor aquis, * hic inter flumina nota
Et fontes ſacros capitibus frigus opacum. E. 1.
p. 185. Talibus alternant ſtudiis * plauſuque ſecundo
A. 1. Circumeunt hilares *. Jam deſine tibia verſus, E. 8.
E. 1. Paſcite ut ante boves pueri, ſat prata biberunt. E. 3.

ADO-

ADOPTIVA.

AVSPICATISSIMO CONJVGIO

SERENISSIMORVM PRINCIPVM HÆREDITARIORVM, ELECTORATVS SAXONICI, ET REGNORVM DANIÆ NORVAGIÆQVE, SACRVM.

Carmen conſcriptum à L. Baroniſsâ Henricâ Catharinâ von Frieſen/ *XVIII. annorum Virgine; cujus è manu donum ad me pervenit.*

D. G. M.

Purpu-

PUrpureas Matuta genas, ac plena roſarum
Ora, & odoratas exere pulchra comas:
Tuque fores aperi naſcentis, &, alma, diei
Atria felici ſidere pande, Venus!
Aut ſi noſtra ſequi, Divæ, conſulta velitis,
Sub mare formatum condite grande decus.
Pulchrius exoritur ſidus, quod Baltica Thetys
Mittit in amplexûs, SAXO VERENDE, Tuos.
Ergò ades, ulterius nec gaudia noſtra morare,
Magnorum Regum maxima progenies.
Huc ades, & tellus genuit quod Cimbrica lumen,
Saxoniæ radiis infer amata bonis:
Quasque tenes caſtas ſancto ſub pectore flammas,
Heroi in patrio lumine funde Tuo.
TE reduce excelſi quantis, O JANE! Parentes
Damnati votis, quantaque læta fovent!
Quàm pius exultat Civis, quanta omina ducit;
Quæque parat Dominæ reddere ſacra novæ!
Sed quantum gaudent Heliconia Numina Vatum!
Et rata verba ſagax augur Apollo canit!
O Te felicem, HEROUM CELSISSIME cujus
Hæret in amplexu tanta Minerva Viri!

Junonem antiqui, Venerem cum Pallade lau-
dant;
Sed major triplici Numine Diva Tua eſt.
Quis dignè celebret ſublimia pectora, & illa
Ingenii atque artis culmina ſumma Tuæ?
Tum formæ vultusque ſatis quis cantet honores;
Quis ſpeciem dignam Principe laude vehat?
Divinæ feriunt jamdudum ſidera dotes,
Virtutesque ejus blandus Olympus habet.
O Muſa, at numero quæ præſtas una noveno!
O Charis, at priſcis gratior una tribus!
Sic, DEA, ſic noſtris appelle benignior oris,
Ac noſtras imple, MAXIMA NUPTA, preces.
Accelerant Summusque Socer, venerandaque So-
crus,
Atque propinquantem TE excipiunt hilares.
Aurea perpetuis Tibi ſecula nexibus ibunt,
Et Domino current aurea ſecla Tuo.
Vive diu, DIVAS, ô ANNA SOPHIA! da-
tura:
Vive diu, HEROUM, JANE, future Pa-
ter!

VENUS

VENUS
ARTIUM APOLLINARIUM
TRIUMPHATRIX,
AMORIBUS ET THALAMIS
AUSPICATISSIMIS,
GENERE, VIRTUTIBUS, LITERARUMQUE
GLORIA
ILLUSTRISSIMÆ VIRGINIS,
AC DOMINÆ,
D O M I N Æ
HENRIETTÆ CATHA-RINÆ FRISIÆ,
LIBERÆ BARONISS.
&c. &c.
devotè conſecrata
&
Extemporali carmine deſcripta,
WITTENBERGÆ
Ipsâ DOMINIC. SEPTUAGESIM.
A. cIↄ Iↄc LXXII.
à
Georg. Caſp. Kirchmajero,
P. P. C. Ph. h. t. DEC.

Junonem antiqui, Venerem cum Pallade laudant;

Sed major triplici Numine Diva Tua eſt.

Quis dignè celebret ſublimia pectora, & illa

Ingenii atque artis culmina ſumma Tuæ?

Tum formæ vultusque ſatis quis cantet honores;

Quis ſpeciem dignam Principe laude vehat?

Divinæ feriunt jamdudum ſidera dotes,

Virtutesque ejus blandus Olympus habet.

O Muſa, at numero quæ præſtas una noveno!

O Charis, at priſcis gratior una *tribus*!

Sic, DEA, ſic noſtris appelle benignior oris,

Ac noſtras imple, MAXIMA NVPTA, preces.

Accelerant Summusque Socer, venerandaq[illegible]

[illegible]

Atque propin[illegible] TE excipiun[illegible]

Aurea perpet[illegible] [illegible]ula nexibu[illegible]

Et Dom[illegible] [illegible]t aurea ſe[illegible]

Vive di[illegible] [illegible]S, ô AN[illegible]

[illegible]tur[illegible]

[illegible] [illegible]ROV[illegible]

ARTIVM A[illegible]

AMORIBVS [illegible]

GENERE, [illegible]

HENRIETTE [illegible] pe,

[illegible] SIA;

[illegible] Venus,

[illegible] ſe tripus:

[illegible] Oracula.

[illegible] ! FELICITER

[illegible] noſtrâ dignus eſt:

[illegible] RGO FRISIA

[illegible] enni fœdere

[illegible] *divinitas*

Ip[illegible] altæ pignora,

[illegible] fœtus ingenî.

[illegible] a res per publicam.

[illegible] t, ſic juvabunt Conjuges

[illegible] neas concorditer:

[illegible] riplicabunt commoda

 FELI-

Æ, 4. Ipſa tenens dextra * pueri partitur amorem. *II*, 1.
p.209. Dat varios nexus:*Vitulam non blandius ambit *p*.12
(Et modo ſi fas eſt æquare jacentia ſummis) *III*, 3
Torva parens, pedibus quæ nondum proterit arva *p*. 12
p. 151. Hic eſt ille puer * qui ſecula dividit aſtris, p 239
Hic Vir hic eſt tibi quem promitti ſæpius audis, *Æ*. 6
Donec longa dies, perfecto temporis orbe
Æ. 6. Concretam exemit labem, * veſtigia fraudis, *E*. 4
Gramineos dedit herba toros & vimine querno
T. 1. Texta domus : * regno & ſolio conſidere Patris *T*. 5.
G. 2. Qui potuit*, cœlum & terras qui numine torquet, *Æ*, 4
G. 2, Cui nunquam exhauſti ſatis eſt, *hos inter honores *I*, 4
p. 90. Nunc inhonorus, egens ; perfert : * ſtat quic- *Æ*. 10
quid acerbi eſt
E. 10. Malle pati * obſcænamque famem* (mirabile *Æ* 3. *G*. 3
dictu)
Æ. 1, Unius obnoxam, * letho pars ne qua vacaret : *p*. 84
Pallida lætatur regio gentesque ſepultæ, *p*. 25
p. 26. Exultant cum voce pii : * Jacet ille nefandus
T. 12. Prædator, * cœco foveæ deceptus hiatu, *II*, 5
III, 1. Tempus erat, * ſubiit leges & frena momordit, *I*, 2
P. 53. Nullus ab hoſte timor : * En aurea naſcitur ætas
En proles antiqua redit, concordia, Virtus, *p*. 38
Rorabunt querceta favis, ſtagnantia paſſim
p. 46. Vina fluent, * florebit ager ceſſante juvenco, *p*. 14
Concordes varia ludunt cum Tigride damæ, *p*. 17
Pax ſecura locis & deſidis otia vitæ ! *III*, 5
Sic rerum ſeries mundique revertitur ætas, *I*, 2
Nec fuga jam miſero nec magnæ copia mortis. *T*. 9
Æ. 5. Unum pro multis dabitur caput, * occupat Heros *A*. 1
T. 3. Unius acta Viri : * Orbis apex æquatus Olympo. *p*. 137
T. 9. Qualis & ecce jaces ? * & cruda exordia magnæ
A. 1. Indolis, * ô magni decus ingeniumque Parentis T. 1
T. 1. Et pecori commune ſolum * excepére cadentem. *T* 9
Ancipites rerum ruituro culmine lapſus
p. 173. Æquali cervice ſubis * ô Numen amicum : *p*. 166
Ne timeare times & quem vindicta manebat
p. 178. Deſperare vetas * acuens mortalia corda. *G*. 1
T. 7. Gens ſacrata ſumus, * cunctis inopina reluxit
p. 192. Te Victore ſalus : * Procul ô procul eſſe profani. *Æ*. 6

Cedat

II, 7. Cedat luctus atrox * revocaſti gaudia genti; p. 155
Quippe manet longumque ævo redeunte manebit I, 4
III, 1. Illa dies : * ite optati mortalibus anni. p. 189
p. 225. Ecce autem * illa cohors * delibat dulcia nati T. 7
p. 130. Oſcula *, venturi gaudebat præſcia fati; p. 195
Nec vaga dilecto ſatiantur lumina vultu, p. 195
p. 221. Oſcula mille ſonant, * biforem dat tibia cantum, Æ. 9.
p. 152. Procubuere ſolo, * magnis data victima Divis; Æ. 11.
Æ. 9. Succedunt ſervantque vices, * myrrhata relucent.
Limina, divino ſpirant altaria fumo; p. 244
p. 232. Tunc blandus dextrâ * quid non faciebat Amyntas? E. 2
p. 222. Detraxit matris gremio; * mox incboat ore: p. 168
Salve ſidereæ proles auguſta MARIÆ, p. 212
p. 251. Vox ſummi ſenſusque Dei, * dignisſima cœlo
A. 2. Progenies, * cujus libratur ſenſibus orbis; p. 198
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina Vitæ. II, 2.
Æ. 8. Dum te chare puer, * populis promiſſa voluptas. T. 7
Æ. 8. Complexu teneo; * penitus latet exitus ingens. T. 6
Quo ſatis ore tuis famam Virtutibus addam? T. 5
E. 8. Sis bonus ô felixque tuis, * ſi tanta cupido eſt; T. 11
T. 2. Per ſuperos noctemque tuam! * tibi mollia geſto
A. 1. Tympana, * Carminibus vincet nec Thracius Orpheus: E. 4
Nunc vivo neque adhuc homines lucemque relinquo. Æ. 10
Reddita Libertas Orbi, Vindicta Parenti: p. 140
T. 3. Unde ea Libertas? * magno quid ab æthere portas? T. 7
II, 5. A media jam morte redit * miſerata dolores.
p. 138. Reſtituit terras, * geminæ confinia Vitæ, p. 235
p. 12. Æthera deſeruit * cupiens exire ſub orbem, p. 21
p. 27. Humanum relevare genus, * procurrit in orbem
p. 249. Secreto de fonte cadens. * Tu Gratia flores
Elige tu geminas concordia necte coronas, p. 215
Thuris adoratæ cumulis & meſſe Sabæa
p. 171. Pacem conciliant aræ, * gavi ſa coronat
p. 165. Terra ſuum, * procumbit ager: * ſed pendere grates T. 11
T. 11. Haud mortale opus eſt, * ſatis eſt potuiſſe videri. E. 6

Conticuit tandem factoque hic fine quievit, Æ. 3.
T. 4. Hæret amica manus,* pariter ſuſpiria firmant, T. 8.
Invitat tenues ad dura cubilia ſomnos. T. 1.
p. 12. Jam vicina toro * cœlique abrupta tenebat T. 3.
p. 26. Stellantes Nox picta ſinus, * jam roſcida Luna G. 3.
T. 7. Poſcentes irrupit aquas, * Pariter igneus orbem; T. 2.
T. 6. Extulerat, * ſummo ſpargebat lumine montes Æ. 2.
IV, 1. Clarius ipſe nitens; * vultus vomit aureus ignes: Æ. 10.
II, 1. Tunc omnes patuêre fores,* caput omne coronant
T. 10. Murorum nigraſque ſudes, * nunc pectora mulcens,
A. 1. Nunc fortes humeros * divino carmine Paſtor E. 5.
Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibæus. E. 5.
E. 5. Spargite humum foliis ,* errant in montibus agnæ E. 1.
IV, 4. Et pacem piger annus habet, * ſuperaddite carmen E. 5.
E, 1. Paſtores, * hæc lux toto jam longior anno eſt.
Ite domum paſti, ſi quis pudor, ite juvenci. E. 7.
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos G. 2.
Humanumq; genus communi nomine fovit; p. 194.
Hæc fovet abſentes, hæc longe ſola remotis
p. 180. Conſulit, * una gravi penitus latet obruta cœlo: T. 5.
Hic æterna quies, nullis hic jura procellis,
I, 3. Nunquam fervor aquis, * hic inter flumina nota
Et fontes ſacros capitibus frigus opacum. E. 1.
p. 185. Talibus alternant ſtudiis * plauſuque ſecundo
A. 1. Circumeunt hilares *. Jam deſine tibia verſus, E. 8.
E. 1. Paſcite ut ante boves pueri, ſat prata biberunt. E. 3.

ADO-

ADOPTIVA.

AUSPICATISSIMO CONJUGIO

SERENISSIMORUM PRINCIPUM HÆREDITARIORUM, ELECTORATUS SAXONICI, ET REGNORUM DANIÆ NORVAGIÆQUE, SACRUM.

Carmen conſcriptum à L. Baroniſſâ Henricâ Catharinâ von Frieſen/ *XVIII. annorum Virgine; cujus è manu donum ad me pervenit.*

D. G. M.

Purpu-

PUrpureas Matuta genas, ac plena roſarum
Ora, & odoratas exere pulchra comas:
Tuque fores aperi naſcentis, &, alma, diei
Atria felici ſidere pande, Venus.
Aut ſi noſtra ſequi, Divæ, conſulta velitis,
Sub mare formatum condite grande decus.
Pulchrius exoritur ſidus, quod Baltica Thetys
Mittit in amplexûs, SAXO VERENDE, Tuos.
Ergò ades, ulterius nec gaudia noſtra morare,
Magnorum Regum maxima progenies.
Huc ades, & tellus genuit quod Cimbrica lumen,
Saxoniæ radiis infer amata bonis:
Quasque tenes caſtas ſancto ſub pectore flammas,
Heroi in patrio lumine funde Tuo.
TE reduce excelſi quantis, O JANE! Parentes
Damnati votis, quantaque læta fovent!
Quàm pius exultat Civis, quanta omina ducit;
Quæque parat Dominæ reddere ſacra novæ!
Sed quantum gaudent Heliconia Numina Vatum!
Et rata verba ſagax augur Apollo canit!
O Te felicem, HEROVM CELSISSIME cujus
Hæret in amplexu tanta Minerva Viri!

Junonem antiqui, Venerem cum Pallade laudant;
Sed major triplici Numine Diva Tua eſt.
Quis dignè celebret ſublimia pectora, & illa
Ingenii atque artis culmina ſumma Tuæ?
Tum formæ vultusque ſatis quis cantet honores;
Quis ſpeciem dignam Principe laude vehat?
Divinæ feriunt jamdudum ſidera dotes,
Virtutesque ejus blandus Olympus habet.
O Muſa, at numero quæ præſtas una noveno!
O Charis, at priſcis gratior una tribus!
Sic, DEA, ſic noſtris appelle benignior oris,
Ac noſtras imple, MAXIMA NVPTA, preces.
Accelerant Summusque Socer, venerandaque Socrus,
Atque propinquantem TE excipiunt hilares.
Aurea perpetuis Tibi ſecula nexibus ibunt,
Et Domino current aurea ſecla Tuo.
Vive diu, DIVAS, ô ANNA SOPHIA! datura;
Vive diu, HEROVM, JANE, future Pater!

VENVS

VENUS
ARTIUM APOLLINARIUM
TRIUMPHATRIX,
AMORIBUS ET THALAMIS
AUSPICATISSIMIS,
GENERE, VIRTUTIBUS, LITERARUMQUE
GLORIA
ILLUSTRISSIMÆ VIRGINIS,
AC DOMINÆ,
DOMINÆ
HENRIETTÆ CATHA-
RINÆ FRISIÆ,
LIBERÆ BARONISS.
&c. &c.
devotè conſecrata
&
Extemporali carmine deſcripta,
WITTENBERGÆ
Ipsâ DOMINIC. SEPTUAGESIM.
A. cIↄ Iↄc LXXII.
à
Georg. Caſp. Kirchmajero,
P. P. C. Ph. h. t. DEC.

LÆtaminor! Lætaminor! Lætaminor!
Muſæque Gratiæque cunctæ, ſingulæ!
Favete tres, favete vos ter tres Deæ!
Mecum ter hymen, hymen, hymen, dicite!
FELICITER! FELICITER! FELICITER!
Acclamet omnis concio per Jambicum
Pæana. Fama buccinatrix intimat
Nunc, HENRIETTAM CATHARINAM FRISIAM,
Illud decus ſexûs ſui, miraculum
Id eruditionis, Exemplunm ſine
Pari, vale dixiſſe Virginalibus
Sacris, ſubîſſe jura Cypriæ deæ,
AMARE CONJVGARE, DECLINAVERAT
Quæ olim CVPIDINES ſacramento velut,
Ergo ter hymen, hymen, hymen dicite!
Venus triumphat, ludibundo carmine
Occentat: HENRIETTA libris, literis
Immortua hactenùs, Monaſtico modo,
Nunc, nunc amat. Vah nuncium lætisſimum!
Volebat auctam Apollo Præſes ter trium
Claſſem Sororum; glorioſa obſtacula
Objecit inde FRISIÆ VIRAGINI:
Artes, ſcientias, voluminum horrea;
Et exterarum gentium linguas; ſonos
Grajos, Latinos, Eberinos, Copticos,
Ibericosque, Gallicosque & Italos.
Objecerat ſuaviſſimas Symphonias,
Teſtudines, fides, & iſtiusmodi
Spectacula, inſtrumenta mellitisſima.
Sedebat inter Gratias pulcerrimas
Charis-Soror, Sororibus magnum decus
Futura; chordâ corda non ſolummodò,

Sed

Sed ſaxa, ſylvas dexterâ catâ trahens.
Dolebat Amphiòn & Orpheus Thracius
Victoriam raptam; invidebat gloriam
Deæ, canorâ voce palmas offerens.
Acceſſerat cœleſtis * illa Divaque,
(Quintâ ſui quæ tinxerat vi nectaris
Pii Sororem FRISIAM,) patere ait
Cœli vias, ſi ſumma malit nomina.
Signabat *Alam Pegaſi*, tùm *Virginis*
Spicam, *Lyræque lucidam*, clariſſimam
Septentrionis tùm *Coronam*, & cætera.
Huc, huc fereris, juro, vitâ cælibe?
Huc, huc veheris eſſedo famæ tuæ.
Imò ad *Gemellos* transferêre noſtrâ ope,
Gnidi Paphique ex abdito Regina ait:
Amabis HENRIETTA, amabis FRISIA;
Parere diſces legibus Cupidinis,
Nolis, velis, ſequêre. Dixerat Venus,
Miratus eſt Apollo, movit ſe tripus:
Terque alta fudit muſſitans Oracula.
FELICITER! FELICITER! FELICITER
GERSDORFIUS Sorore noſtrâ dignus eſt:
HEROE tanto digna VIRGO FRISIA
Junguntur invicem perenni fœdere.
Pietas, & *Eruditio*, & *divinitas*
Scientiarum, mentis altæ pignora,
Incomparabileſque fœtus ingenI.
Rependitur privata res per publicam.
Sic promovebunt, ſic juvabunt Conjuges
Res literarias meas concorditer:
Et duplicabunt triplicabunt commoda

* *URANIA.*

FELICITER! FELICITER! FELICITER!
Salveto *Pectus unicum ac Heroicum!*
Mens una, ſerò dividenda, fauſtiter
Inito, quod moliris! Heroas dato
Nobis brevi! Sic comprecamur intimè!
Heus, heus MORHOFI, (principem locum cui
Inter Poëtas ſeculi noſtri pater
Phœbus dedit,) politiori * carmine
GERSDORFIANO-FRISIAS has Nuptias
Ornabis, ingenſque magni acumine,
Ut mos tuus fert, plurimo admiſto ſale
Implebis: exigit triumpho nobilis
Venus. Profectò publici intereſt, agas.
Extemporalis fœtus eſt tantummodò,
Quem ſponte natus Jambus hic excluſerat.

* *Morhofii carmen hic expetitum extat in Vener. novis, ſive Venerum libro II. n. IV.*

AD
Excellentiſſimos HEROAS
SOCERUM GENERUMQUE
DNN. SUOS GRATIOSOS,
Excuſatio Autoris.

GRande SENATORUM Par, Illuſtrisſime FRISI
Fortunate SOCER, GENER ac ter-maximè GERSDORFE;
Fulcra ambo afflictis ſemper certisſima Muſis;
Vultibus hunc luſum iidne adſpicitote ſerenis.
Magnos magna decent. Vos excuſabitis auſûs.
Temporibus ſervire licet. Sunt ſeria vota:
VESTRA det ut CAROLOS, NICOLAOS edat & olim,
Semideumque Genus firmet per poſtera ſecla!

JOHAN-

JOHANNIS LAUREN-BERGII,

Viri Clariſſimi,

SATYRA

elegantisſima,

Quà rerum bonarum abuſus & vitia quædam ſeculi perſtringuntur,

Annno clↄ Iↄc XXXVI edita,

ejusdemque

QUERIMONIA

De

Suo & Academiæ Soranæ Statu.

In horum temporum uſum recudi fecit

D. G. M.

Nobi-

Nobiliſſimo Ampliſſimoque

PETRO AXENIO,

JCto, Philologo, Polyhiſtori,

omnium elegantiarum Viro,

AMICO OPTIMO

S. P. D.

D. G. MORHOFIUS.

CUm in nuperis nundinis unà eſſemus, AXENI amiciſſime, de rebus *literariis*, ut ſæpe, ſermones cædebamus. Neque mihi quicquam gratius illâ συζητήσει accidere poteſt, qui Te novi virum omnibus literarum amœnitatibus ornatum, omnibus artibus copioſum, qui etiam inter fori ſtrepitus & tædia per orbem tamen literatum vigiles oculos circumferat, & quicquid elegantiarum in omni ſtudiorum genere occurrit, quicquid librorum præſtantiorum in lucem editur, feliciſſimâ ſolertiâ indaget. Commodùm tum JOANNIS LAVRENBERGII, Profeſſoris Sorani, Viri, dum viveret, Clarisſimi, injecta mentio fuit: Cujus cùm TE ſcripta, ut ſanè æquum eſt, magni facere oſtenderes, protuli Tibi, quam è Daniâ Vir.Pl. Reverendus MARTINVS HERLOVIVS, Præpoſitus Corsörenſis

ſis transmiſerat; SATYRAM ejus Latinam, eique junctam de miſero ſtudiorum, Academiæ ſuoque ſtatu querelam. E quibus ut ego mirificam voluptatem ceperam: qui è Satyris Saxonicâ linguâ ſcriptis, & antiquæ Satyræ genium ſpirantibus, horum jam imaginem animo conceperam: ita Tibi inſpicienti ut Phidiæ ſignum ſtatim illa probata, & cum magnâ animi delectatione non perlecta, ſed devorata. Convenit tum ſtatim inter nos, ut typis recuderentur & in doctorum familiaritatem reducerentur belliſſima illa Carmina: quibus Tu nuptiales ejuſdem Autoris Jambos, facetos ſane & molliculos quos ab Amico acceperas addi voluiſti. Tuo itaque amiciſſimo nomini hæc inſcribo. Te enim Veneri huic procum deſignandum mihi duxi, egregium formarum iſtarum ſpectatorem. Ad guſtum tuum erunt hæ deliciæ, fatuo atque inſipido palato non apponendæ. Nam vel ſale & aceto, quo ulcera ſeculi tangit, ingenio ſalivam movet Satyra. Eruditis certè crambe hæc vel centies recocta ſapit. Rudes & inficeti homines abeſſe ab his ſacris debent. Noſti enim Græcum illud: ὄνῳ τὶς ἔλεγε μῦθον· ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει. Innoxiæ, manſuetæ, inermes ſunt Muſæ: ſed tamen & ſtylo interdum pugnant & Satyris, al-

tius

tius animo, quam ſica ac telum, inſeſſuris. Nihil vero hâc Satyrâ in illâ mordacitate ſuavius: nihil convenientius. Si tempora, quibus ſcripta eſt, cum noſtris conferas, non eſt ovo ovum ſimilius. Eadem agitur nunc, eadem ſurdis canitur fabula: eædem Muſis figuntur cruces ad potentiorum limina ejulantibus, & veteres illas querelas ac nænias ſuas occentantibus. Si ornatum & verba ſpectes; nihil terſius eſt & latinius: nam unam alteramque voculam, quæ auream ætatem non redolet, nihil moror. Cui enim in ferreo hoc & lutoſo *ſeculo verbum* minus aureum non exciderit? Lapides potius nunc loqueretur Satyra, qui inſanum hominum ſinciput expugnent. Ego verò hoc ſacrum tibi eſſe munus volo, δῶρον ut videtur, ἄδωρον, quia non meum; ſed affectu tamen & meum & tuum; Imo & jure quodam meum, quod in lucem à me iterum protractum, quodque meum erga te affectum quomodocunque declaret. Itaque & adoptivo hoc officio tibi à me ſatisfactum, & Viri Clarisſimi Manibus, te teſte & in partem officii veniente, hoc monumento parentatum putabis. Vale. Dab. è Muſêo meo. Id. Mart. An. MDCLXXXV.

AD

Ad Lectorem.

INfectum ſcabie & turpi prurigine corpus
Ferre ſalem nequit, aut acris medicamen aceti,
Sed blando gaudet palpari leniter ungue.
Verbera promeritus, baculi ſi tangitur ictu,
Ejulat inſonti fundens convitia ligno.
At quibus integræ teſtis mens conſcia vitæ eſt,
Pars hujus non ſunt chartæ: ſcabioſa fricantur
Corda hîc mordaci pipere & Satyræ ſale multo.

Joan Laurenbergius.

*** ***

SATYRA.

SOllicitas volvens mœſto ſub pectore curas
Theſpiadum Præſes, Cirrhæi in vertice montis
Ordine diſpoſitas juſſit conſidere Divas:
Tum Citharam projecit humi, laurumque capillis
Excuſſam lacerans, his vocibus ora reſolvit.
Jam conclamatum penè eſt: jam noſtra, Sorores
Aoniæ, è tenui dependet gloria filo;
Et per tot caſtè ſervatus ſecula nobis
Præcipitem minitatur honos ac fama ruinam,
Ex quo Mœnaliam fuit auſus ſumere buxum
Marſya, Chaoniasque fides tentare profanis
Inſulſus Bavius digitis: dum diſſona chordis
Vox ſtridet durum & miſerabile. Cernitis ipſæ,
Quanta cohors paſſim currat per compita, qui nec
Fonte Caballino tinxerunt labra, nec unquam
Fa-

Fatidica in bifido viderunt ſomnia colle,
Se magnos gaudent tamen apellare Poëtas,
Et ſeſe immerito titillant nomine Vatum.
His, doctæ fuerant olim quæ præmia fronti,
Per ſtolidum ſerpunt hederæ caput: innuba laurus
Obſcœnam ſcabiem, & turpis tegit ulcera calvæ.
Heu quotnam piperi tunicas ſcombrisque datura
Carmina ſcribuntur, mediam replentia chartam
Immani titulo! Non perſanabile cunctos
Hoc cacoëthes habet; gliſcitque ea publica peſtis
In mentes hominum, qui nil ſine carmine felix
Nil fauſtum eſſe putant. Sine carmine nemo Magiſter
Nemo poteſt Doctor fieri. Cum ducit amator
Formoſam in thalamos nympham, *ſi* carmina deſint,
Nocte jacet tota tenuis ſine robore nervus,
Non magis arrecto quam Neſtoris hernia collo.
Carminibus dictis, generoſæ ſemina prolis
Sponſa capit; plebejæ animæ ſine carmine ſurgunt.
Cum moritur dives, mœſtæ ſociata cupreſſo
Sportula chartarum properat: lugubre viritim
Pullatâ ſervus currens in ſindone carmen
Diſtribuit populo: cantata hæc nænia pellit
Eumenidas, Stygii obturans tria guttura monſtri,
Nec ſinit ut triſti damnetur ſpiritus Orco,
Tam longis numeris, tam crebro carmine tuus.
Nec Latias tantùm Muſas, queis Arma virumque
Paſcuaque & ſegetes cecinit Maro, queisque Tibullo
Delia, & inconſtans Naſoni dicta Corynna eſt,
Grandiſoni tentant vates. Jam ſcanditur Oetâ
Doricus; epoto jampridem Tibride, docti
Turbantur latices Aganippidos Hippocrenes.
Et ſacer Ilyſſi torrens, quem Græcia quondam
Illi-

Illimem, ac purâ manantem viderat undâ,
Sordidus & putris cœnoſa uligine torpet.
Quique thymo florens, cythiſoque inſignis Hymettus
Pindaricas ſaturavit apes, hinc ſtercora noſtri
Hirſutasque legunt vepres, & oleta Poëtæ.
Scilicet, & vaſtæ nuper trans æquora Balthes,
Oppoſitosque ſinus Cimbrûm Germana poëſis
Ire peregrinas audax dum tentat in oras,
Immites ſenſit Nereidas; æquore toto,
Et vento; & gravibus miſerè jactata procellis,
Illiſa eſt ſcopulo, cœcis atque hæſit arenis,
Quà Mona aërios tollit cretacea cautes.
Navifragam, fractæque ratis vix membra tenentem
Excepit littus nudum: ſed corpore toto
Friget adhuc, redoletque picem, pinguesque rudentes
Sentinamque gravem: liquidam vox rauca mephitim
Spirat, ineſtque olidis, biberat quam, nautea rythmis.
Quantis torminibus bilis mihi concitat alvum,
Quotque ciet vomitus, cum tales haurio verſus,
Incautave manu tango! Meminiſſe dolorem
Integrat, immenſæ pretium periiſſe papyri,
Mercedemque virûm, prælo qui carmina formant,
Ficos & tumidas ano factura mariſcas.
Quid reliquum fecit nobis? quid grandius ultrà
Barbaries inimica poteſt? Jam denique tædet
Plectrorum, citharæque pudet, ſi nulla laboris,
Nullaque nocturni referemus præmia olivi,

Quam riſum & ſannam populi! Quin protinus artes
Expetis ignotas, miſer ô Phœbe? utque deinceps
Felix eſſe queas, multôque ſuperbus honore,
Diſcito adulari Divis, effingere vultus
Socraticos, magnoque cliens palpare patrono.
Deferre adſueſcas mendacia: teque magiſtro
Innocuos carpat furtiva Calumnia mores:
Candorem lauda; ſed cùm te ſancta loquutum
Audierit populus, mox ſolo teſte ſalino.
Impleto dominas occultus proditor aures.
Dixerat hæc Phœbus: tacitæ ſedere ſorores,
Attonit æque metu. Sed paullùm à ſede levata
Urania & lacrimis manantia *lumina* tergens,
Talia voce refert: Tibi non injuſta doloris
Cauſa ſedet, meritasque Pater conſurgis in iras.
Sed tamen & noſtram fata infelicia ſortem
Exagitant, inſtatque pari diſcrimine damnum.
Nam quota pars hominum nulli parſura labori
Calce indefeſſo noſtri faſtigia montis
Exſuperat? quis Caſtaliâ ſe mergit in unda?
Quis curat, loculos non expletura capaces
Per ſtudia, atque inopes animum excoluiſſe per artes?
Unus divitibus Pluti qui creſcit in hortis
Floſculus, ambroſiam ſpirans, panacæa malorum.
Nepenthes vitæ, Roſa-Nobilis, unicus ille eſt,
Quem plebs, quem ſtudio quærunt ardente Quirites,
Cui nocturna inhiat noſtri vigilantia ſecli.
At qui Pieriis ſollers ſpacietur in arvis,
Et flores carpat, quos tempe Heliconia gignunt,

Rara nimis turba eſt. Plures penetralia rupis
Gorgoneæ, & ſacri ſubiiſſent intima collis,
Indocti niſi dextra ducis, recti inſcia callis,
Et ſeſe regere ignari, puerilibus annis
Incautam ſecum raperet per devia pubem.
Nec tamen hinc animis antiquum dogma regendis,
Quod tenuere patres penitus diſcedere juſſum eſt:
Nec diſciplina exſilio eſt damnata: ſuperſunt
Priſtina Eleutheria, & multis imitabile ludis
Cecropium ſua monſtrat adhuc ſimulachra Lyceum.
At quantæ pueros peſtes, quæ probra juventam
Exercent! quot ſeſe oſtendunt monſtra ſcholarum,
Queis ordo omnis abeſt, ubi res clamore potenti
Tantum agitur! Soles Petulantia cœca ſerenos
Occupat, inducias libris, nulla ocia præbent
Nequitiæ. Si trux aquilo, aut nimboſus Orion,
Horâ poſt pultes & ſalſamenta ſecundâ
Traxerit in claſſem, oblitos quid lectio poſcat,
Et Styga jurantes, permiſtum murmure planctum,
Atque indiſtinctos confuſa voce ſuſurros
Perculſæ capiunt aures: examina credas
Crabronum, aut veſpas ad pabula fæda ruentes:
Mitior in magno ſtrepitus furit amphitheatro,
Curſori cùm turba favet. Qui gutture vincit
Stentora, vimineos majori robore faſces
Qui vibrare poteſt, tantoque tonare tumultu,
Quanto percuſſis incudibus æra reſultant,
Cum pelvim fingit furvus faber, ille brabeum
Promeruit. Nam quid didicit, niſi tendere virgam,

Nuper & acceptas cum fœnore reddere plagas,
Orbilius, barba referens & voce capellam?
Nempe horum huc ferulæ tendunt, ut verbere multo
Perfoſſas ingreſſa nates Sapientia, ſtultum
Ad cerebrum curvâ per colum ambage feratur,
Unde ferant pretium, fulgentem divite cenſu
Suggeſtum, & decimis onerata altaria, dotem
Ancillæ, cujus thalamo parapherna parantur
Sacra toga, & duplicis conſponſa opulentia templi,
Aut vidua jaceant ſponda, nubantque Sibyllæ,
Cui ſemper madido dependet ſtiria *naſo*,
Cui ſecreta tegunt fugitivos *ſcrinia dentes*,
Perpetua & tuſſis gingivam nudat inermem.
Tum rixæ, & triſti ſurgunt his jurgia lecto,
Si lateri parcant, nec quantum prurit anhelent
In cute rugoſâ, & laſcivæ pellis hiatu.
Hæc fortuna manet viles ſine ſtemmate lumbos,
Quos operit cento & tunicæ velamina nigræ,
Quos lac maternum ſuxiſſe penuria adegit:
At quos naſcentes contexit purpura, quosque
Thaide nutritos adnatis mille colonis
Et totidem vernis dives Lucina beavit;
Hi primis Eponam diſcunt jurare ſub annis,
Præſepesque animo, ac pinguem meditantur avenam,
Fulmineumque, decus lateri qui pendeat, enſem,
Et telum aſſatos miſſurum ad prandia turdos.
Inde juventutis primæ cùm venerit ætas,
Ac, præter libros validum ferre omnia robur;
Exoptata diu, votisque petita ſecundis,

Quadrupedante ruunt alacres ad Equilia curſu,
Tum demum genere hoc, & tanto ſanguine digni
Quod cives metuant. Stat flagro inſignis & unco,
Cornipedesque ſuos Muſarum ignarus Equiſo,
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos
Edocet, arguto præiens popyſmate ſaltus.
Pegaſei fontes, Clariaque è valle corymbi,
Et Pindi flores & Vatum inſignia lautus,
Huic foricas redolent, vel quot Marenna pepe-
dit.
Sed lotii torrens, excretaque prandia pulchri
Bucephali, myrrham, ſtacteque & cinnama fra-
grant:
Dulcia jejuno confortativa cerebro,
Dum Strigilim verſat: dum titillatus adhinnit
Diſcipulus, fundens poſtica didactra magiſtro.
Artibus his Aurora favet, gratoque moratur
Intuitu, donec decimo campanula pulſu
Quaſſata ad piſcem vocet inteſtina recentem,
Ad far candidulum, & puri carcheſia Zythi:
Cui pernæ cuneus, cui bina ſupernatet halex
In ſtomacho, languenti irritamenta palato.
Quod ſupereſt lucis, pugilis ſchola denſa periti
Exhaurit: Gallus potiores abripit horas
Mirmillo, antiquo melius docturus, ad Orcum
Sternere ſubtilem, dignumque indagine callem.
Ridiculum eſt, homines populari occidere ſicâ,
Aut ſtiva coſtas, aut conto illidere calvam:
Impius hoc miles, vel prædo novit avarus,
Aurigæque leves, & filius Alpheſibæi:
Artifice hic opus eſt dextrâ inconceſſaque vulgo
Vis animi, ſtudium longè ſublimius optat.

 Ingen-

Ingenti pretio, & multo ſudore parandum eſt,
Ut diſcas mactare viros, & triſte cadaver
Carnifici feciſſe manu. Tua gloria poſcit,
Heroum ô ſanguis; totas impendere vires,
Ut varias cædis ſpecies & nomina diſcas,
Temporaque & miros diſtorto corpore flexus:
Quis tenor inſidiis habilis: quota linea guttur
Transfodiat, qualis pulmonem perforet ictus:
Ut cadat heſternus docto ſub vulnere amicus,
Utque queas audax in fortem arceſſere pugnam
Semideum ſocium, ſi quem tibi fecerit hoſtem
Liberiorve jocus, ſpretive injuria pocli.
Hinc verus tibi ſurget honos & gloria major,
Quam quos pro patria, pro religionis avitæ
Vindiciis, dubii juvat ire in prælia Martis.
Non hos conductus Manes laudare ſacerdos,
Venali tollet cæſos ad ſidera lingua,
Proclamans populo, & lacrymosâ voce recenſens
Bis ſenos proavorum atavos abavûmque parentes,
Et longum à priſco deducens Teutone ſtemma:
Verum inhumata trahit Germanus viſcera vultur,
Oſſaque ſanguineos ſparſim disjecta per agros
A Jove putreſcunt, non ullo condita buſto.
Hoc apage; uberior laus & fortuna duello eſt:
Si valvas animæ infauſto mucrone reſolvit
Diſcipulus melior, conſcripti in veſtibus atris
Heroës proceresque & triſtis turba Dearum,
Inferias ducent, & Mauſoléa parabunt:
Egregium in tumbâ facinus leget invida tantæ
Poſteritas laudi: ſimileſque viriliter auſus
Moliri ſeros accendet famâ nepotes.
Quamprimum gelidas generoſa reliquerit umbra

Corporis exuvias, non illam lintre profano
Portitor, aſſuetum timidus depoſcere naulum,
Excipiet, nec quà vulgus deducitur alno;
Puppe ſed auratâ, multoque nitente pyropo,
Cujus victrici fulgent carcheſia lauru.
Cerberus Alciden ratus adventare trifauces
Abſcondet rictus; nullo prohibente capeſſes
Elyſii ſylvas campi, ſedesque beatas.
I nunc & dubita raptis ex anſere pennis
Lethiferum præferre enſem, ſcisſisque libellis
Florem ævi ſtabulo, & celebri donare palæſtræ;
Fortis aqualiculum diſcas ut tundere opimi
Athletæ & ſonet icta tuo ſeps ferrea pulſu
Tecta hirco, aut triplici pugnacis tergore tauri.
Interea tali dum fervet arena tumultu,
Dum certæ exercent juvenes prælıdia famæ:
Atque aliquis labrum, livens vibicibus, ungit,
Abſtergitve genas, miſtamque cruore ſalivam
Exſpuit excuſſum quærens in pulvere dentem:
Impexus barbam, nullo comitante, magiſter
Ambulat ad cathedram, vacuâ lecturus in aulâ,
Et ſtultas miſer ad ſubſellia nuda figuras
Scripturus: quis enim doctori commodet aurem
Plebejo atque inopi, & craſſa atramenta cacanti?
Qui nil grande ſonat; cui nunquam illuſtre verutum
eſt
In manibus, nec quadrupedi dare novit habenas:
Sed cui multa latet tenui ſub veſte ſupellex,
Regula, & inflexum ducturus Circinus arcum,
Et qui nigra bipes dependet ad ilia Gnomon,
Atque inſcripta notis cerebrum turbantibus ingens
Membranæ moles, & cretæ fruſta bilibris,

Ille eſt qui radio tentat deſcribere Mundum,
Et terras tractusque Maris, peregrinaque regna,
Cum tenebras habitet miſer, anguſtosque penates,
Quorum nuda patet lentus per tecta Boötes,
Atque Helice; imbricibus ruptis deſcendit ab alto
Jupiter, irroratque arentes imbre libellos,
Et pluviâ ſphæras, cœleſtesque abluit orbes.
Hic tot myriadas, centenaque millia pingit
In tabulâ innummeræ numerum inventurus arenæ,
Sed pleni Zyphrâ loculi vix quatuor aſſes
Inveniunt; fundo nummus ſuſpirat in imo,
Et gemit è ciſtâ ſocias fugiſſe coronas.
Hæc ſunt, quæ noſtrum, Præſes Cyrrhæe, pudorem
Proſtituunt, coguntque gravi ſuccumbere fato;
Hinc laceræ pallæ Muſis, hinc conche tumemus
Exigua, & macræ haurimus vix juſcula menſæ.
Interea noſter ſubrectas tollere criſtas
Hoſtis amat: bis mille flagellatoris iniqua
Bupodis arca tenet minas: ter dena talenta
Aurea prædonis conſcribit penna telonæ:
Et quos fama viros, meritæ quos gloria laudis
Evehit ad ſuperos, vitâ dum puriter actâ,
Et multo capiunt ſua præmia digna labore
Indignus ſequitur cœtus: ſeſe improba miſcet
Turba probis, non hos cœlum, aut mens conſcia terret,
Quin voto ac tabulis tardantia fata piorum
Anticipent, rapiantque anguſti commoda cenſus,
Quem Patrum pietas aris templisque dicavit,
Ut vitam hinc tolerent, & conſolentur egeni
Fortunæ invidiam, viduisque penuria mæſtis

Sit

Sit levior pauperque habeat ſua farra ſacerdos
Aut quos divinis conſumpta laboribus ætas
Jam rude donatos merita ocia quærere cogit:
At quinam has eleëmoſynas, reditusque ſacratos,
Abripiunt? qui ſunt hi circum alvearia fuci!
Vix pudor effari patitur: Subſellia ſartor
Summa tenet: poſt hunc inflatis ſpondula buccis,
Et tergum læſus Thraſo, fœmineusque ſatelles,
Et ſpretos calcans, Parnaſſi transfuga, libros.
Heroasque inter doctrina & laude celebres
Conſidet ac valgis vix impetat otia plantis
Præſultor choragus: dextram ſpado claudit anhelus,
Qui loculis ſervans exſecta crepundia eburnis,
Et voce & facie jacturam prodit anili.
Veſtam in marmoreo quondam curare camino
Doctus, & advectis ignem ſuccendere ſilvis,
Vulcani genitor, primam ſpectabilis urnam
Concutit, ac reliquæ reprehendit vota cathedræ:
Et nunc municipis rationes ponere villæ
Oconomo mandat, nunc pontificalia luſtrat
Prædia, diſtentam fracto numiſmate pellem,
Hibernosque boves referens, meſſemque beatam.
Quo tondente gravis concivi barba ſonabat,
Jam canonas didicit, ſacroque ex ordine tondet
Rura ſua & propios, mercedem forficis, agros.
Sed ne forte putes gratis hæc munera poſci,
Aut ſegnem duci vitam, vacuamque labore:
Maximus hic labor eſt, unctam curare culinam,
Et bibere à ſextâ præfixi limitis hauſtum,
Quem ratio advexit peregrina, & opinio præfert

Indigenæ, quanquam puros à fece liquores
Ac minus inſanos patrium deſpumet ahenum.
Stat comes huic prægnans ardente fidelia Baccho,
Quod transmiſiſti generoſo è palmite, Rhene,
Poclorum Rex Rhene, tuas niſi Sequana vires
Enervet, conſors furtivi factus honoris.
Hæc inter ſtudia, & jam ſtratæ prælia menſæ
Prælia narrantur Regum cædesque virorum:
Quæ fuerit victrix acies, quot Svecia turmas
Miſerit in campos Germanûm; & quicquid avarus
E proprio finxit ſibi bibliopola cerebro,
Ut ſolito in ſancto vendat ludibria templo.
Adduntur paſſim tantarum obſonia rerum
Probra in cœlicolas, dirarum immania plauſtra,
Et ſervatricis renovata infamia mortis,
Diaque blaſphemis recrudeſcentia linguis
Vulnera: quæ valeant nugis adferre leporem.
Sed leve id eſt, veniamque meret: nam more recepto
Sermonum appendix eſt, & mantiſſa loquendi,
Ejurare Deos! verborum hic floſculus, hæc eſt
Nusquam in Rhetoricis deſcripta Figura libellis.
Nulla fides modicè juranti. Si quis amicum
Ore pio affari tentet; niſi Numina cuncta,
Et cœlum teſtes vocet, & penetralia Ditis,
Ni Phlegethonta imum ſupremis temperet aſtris,
Harpocrates elinguis erit, nec pluribus hiſcet
Quam Mœna, & captæ Cimbrorum in littore conchæ,
Septem Tiſiphonas, & bis ſex ora Megæræ,
Milleque Cerberei fauces & colla moloſſi
Et quicquid pallens nunquam conſpexit Avernus:
Hæc

Hæc jurat caligas qui nondum puſio ſumpſit,
Et cui mollis adhuc animus dignoſſe negavit
Angues Eumenidum, aut recidivi pondera ſaxi:
At quos judicii gravitate peritior ætas
Imbuit, hi numerum ad digitos ſubducere norunt,
Quot piceas habeant Acherontis flumina guttas,
Quot crudo poſſint ſtabulari in viſcere peſtes,
Quot teneat Stygias Holſatica tonna cohortes,
Venturas votum, cum cara ſororcula fratri
Χαῖρ' ait, aut neptem ſolatur avunculus ægram.
Sic juvat ad Canonas devotam ducere vitam,
Sacratosque Deo curæ huic impendere nummos,
Ut tremat omento pinguique abdomine venter,
Viginti agricolas capiens, & jugera centum,
Hortosque & patrios promptus ſorbere penates.
At nobis nemo tantum concedit agelli,
Quantum talpa fodit, quod mus aret, unica quantum
Brumali formica die conſumere poſſet.
Non erat hæc mundo facies, cum Roma videret
Auguſtum, dignum ſublimi Cæſar nomen:
Cum Mæcenatem felicia ſecula ferent:
Tunc comes ibat honos, parilique pediſſequa paſſu
Gloria tendebat doctas profitentibus artes:
Nec ſolæ endromides, adſutaque læna æternæ
Segmentata auro, Sarranoque ebria ſuco,
Grande viro pretium ſpreta Virtute ferebat:
Sed laudabatur ſimplex ſine murice veſis,
Antiquam referens ſpeciem, priſcique figuram
Oſtentans decoris; qualem Bæotia vidit,

Harmoniæ caſtas iret cum Cadmus in ulnas.
Sartoris nunc dextra, novos effingere vultus
Ingenioſa, avidas conſumit nocte lucernas,
Patribus ignotam capiant ut pallia formam
Et nunquam viſis generetur abolla figuris.
Aſpice quàm longo cupiant procurrere lapſu
Ingentes caligæ, tenui ceu fiſtula cannâ
Preſſantes lumbum: ſpretâ coxendice, fines
Ultra hepar renesque ferunt, victumque lienem:
In caligis jam corda ſedent: jam ſubligar alas
Occupat, ad jugulum paullatim & guttura tendens,
Ac veluti lento graditur gangræna meatu,
Secretasque trahit vires, ſic perpere niſu
Utrinque occulta properat ſerpigine bracca,
Hinc truncam ad barbam, atque inde ad calcaria reptans:
Nec ſecus ac dubio certant de limite regni
Finitimi proceres, ſeque urgent ancipe ferro;
Sic ſeſe alterno vicini Marte fatigant
Thorax & Caligæ. Vix ſeptima labitur æſtas,
Cum dominos faſces, & regia ſceptra tenebat
Auguſtus thorax: medii quà prominet umbo
Corporis, hos illi dederat victoria fines:
Mutavit ſors cœca vices: jam bracca triumphat,
Et vinctum ac magnâ Thoracem parte minutum
Exuit imperio: triplex nec profuit ordo
Nodorum miſero, aut ligularum exercitus ingens.
Sed ſors tempus erit ſextæ poſt frigora brumæ
Cum plures forfex impos effingere luſus,
Amiſ-

Amiſſum trunco thoraci reddet honorem;
Cum coxæ limbos reduces atque ilia priſcos
Accipient cinctus, rurſusque abdomine laxo,
Liberiore pulex lætus ſaltabit in aulâ
Rideat hæc aliquis. Sed bile tumentior atrâ,
Si faciem, & certâ diſpoſtas lege capronas
Aſpiciat, merito clamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus: quoniam frons nulla relicta eſt,
Aut cerni metuit, læſo perfricta pudore.
Quid dicat Proculus, ſi de ciniflone reverſum
A tergo videat Rufum vel ponè ſequatur?
Ornatam juret per Græca palatia Phrynen
Allectare viros: aut priſcæ ad mænia Trojæ
Peltato prodire ex agmine Pentheſileam:
Sic fluit ad ſcapulas ferro criſpata calente
Mollities cirri: tam docto pectine fulget
In centum coma fracta gradus, intextaque portat
Symbola ſecreti nimium pretioſa favoris.
At ne fors errans quiſquam, plana omnia credat
Infra ventriculum, tenuemque abſcondere rimam:
Diſcrimen ſexus de podice fluctuat enſis,
Coccinaque impellit ſcabioſæ tegmina clunis:
Et lateri quondam ſvetus pendere ſiniſtro,
Nec pavidus fuſum ſub Marte haurire cruorem,
Idem nunc olidi pulſans ſpiracula follis,
Haurit poſtico fugientem è carcere Caurum.
Ambulat anſatus per compita perque plateas
Penelopes ſponſus: volucris conſiſtere neſcit
Pluma loco, & plumâ levius caput. Ecce ſororem

Mit-

Mittit in occurſum lux proſpera: mille ſalutum
Nuntia ſublatus nudat calamiſtra galerus
Eminus: inflexo ſinuantur brachia gibbo,
Indice fulgentem labris ſiſtentia gemnam.
Longa pavimentum tunc radit linea; crebro
Prolixos faciens plantâ ſtrepitante decuſſes.
Quot melle ac dulci condita papavere verba
Ore fluunt, toties, tuus ô Galatea miniſter,
Servitii promptus, ſeu Sol ſeu Sidera poſcant,
In mala aut ſcapulis tremulum micat, alite palmâ,
Inque viam palpat: toties curvatur in arcum,
Qualis Atlas nutat magnæ ſub pondere molis,
Aut Luna oſtendit redivivi cornua vultus.
O vanas hominum curas ô *triſtia ſecla!*
Europæ priſcos corrumpit *Gallia* mores,
Et vitia ære gravi, multoque redempta periclo,
Fert reliquis terris, & cunctas faſcinat oras,
Priſtinus hinc decreſcit Honos, & maſcula virtus,
Atque animi fortes, invictaque robora bello:
Inque locum ſubeunt perjuria, fœda libido,
Fœminei comptus. Sint Gallica cuncta neceſſe eſt,
Verborum ampullæ, patriæque infarcta loquelæ
Gallica vox, non indigenis, non cognita civi?
Et fraus, & levitas: in corpore Gallica veſtis,
Et Galli ritus: mittit quoque Gallia ſpurcam
Contagem, inſuetasque per arma duellica mortes.
Talia dum memorat commotâ percitabile
Urania, ad Phæbum devenit epiſtola, magnum
Deſcendiſſe virum ad ſuperos, Venerique talentum,
Et mille in tabulis minas legaſſe Lyæo,

Atque

Atque obulos Muſis quinos, ut voce ſonorâ
Patricias laudes, & docta epicedia cantent.
Illæ, ne tanti ferrent diſpendia lucri,
Currebant alacres celebrandi ad buſta patroni.

DAPHNORINI Querimonia.

FRactus ævo, mente languens, laſſus ægritudine
Daphnorinus, cum ſoporem palpebris nox pervigil,
Curaque inſomnis quietem denegaret artubus,
His, lucernâ teſte, cœlos impulit ſuſpiriis.
Quis mihi, inquit, haurienti lucis auras adſtitit,
Et meis Genius iniquus præfuit cunabulis?
Non quidem tam ſæva quondam fata, ſortemque aſperam
Phœbus & fallax Dearum turba mi ſpoponderat,
Cum ſoli natalis arva, quaque vagii, domum
Exteris mutare volui trans fretum penatibus.
Illa magni fama Regis, illa ſedes cœlicas,
Orbis & transgreſſa fines, larga munificentia,
Quæque ceu ſidus novellum fulgurans recentibus
Aucta radiis lumina in ſe verterat mortalium,
Sora celebris provocarunt illici me præmio.
Quam diu robuſta ſanguis genua & inſitus calor
Integros firmabat artus, nulla me vidit dies
Ocio torpere inerte: Muſa, & ingenuus labor
Ocium fuere gratum dexteræ artificis opus,

Docta-

Doctaque inſolitâ ſupellex fabricata indagine
Parvulam laſſo quietem præbuerunt pectori.
Nunc ubi annos antevortens, & nimis procax meas
Abſtulit ſenecta vires, meque fecit impotem
Ferre priſtinos labores, quos juventa poſtulat:
Dum magis magisque ſerpens ægra circum viſcera
Morbus extremum minatur, quod capit mortalitas,
Me caduca ſpes inani dereliquit omine:
Ante non notas novercæ ſortis experior vices.
Qui prius ſtridebat, igne ſobrio lucens focus,
Nunc cibum tenuem miniſtrat ære preſſus non meo,
Vix dies à Creditorum plebe paucos impetro.
Non mihi aut ſuperba veſtis; aut catinus dapſilis,
Aut domus neglecta cura peperit hoc diſpendium:
Sed doloſæ fraudis expers pectus, & Mens integra,
Nec ſacro venalis auro, nec redempta honoribus,
Sed ſuo contenta fato, Mater hæc damni fuit,
Optima eſt enixa prolem peſſimam puerpera.
Publica acceſſit procella, derepente in Daniam
Tale nil quicquam timentem detonans. Mars impius,
Dum pia objicit profano militi ſtipendia,
Palladi minuit pudorem, vimque Muſis intulit.
Sancta Regum, Diis ſacrata dona in alvum congerens
Urbium centum capacem, tota ſorbentem oppida.
Exul ergo Diva Nutrix, præda Marti, detulit
Multa ſecum, nixa queis ſtat liberis uber domus.

Ponè

Digitized by Google

Ponè Gradivum ſecuta eſt, illa quæ ceu peſtilens
Sidus omnes Orbis oras afflat, arcta Caritas.
Quò mage annonam flagellat rara meſſis, hoc magis
Deficit Muſis dicatum, ſumptui impar, præmium.
Hinc penates imminutos pulſat Indigentia,
Æsque penui deſtinatum fœnerator abripit.
Si quid è tenui ſalino parca ſepoſuit manus,
Id ſibi depoſcit omne pharmacorum conditor,
Aureæ ſtructor popinæ, gnavus Hippocratis coquus.
Sanitatis è tabernâ miſſus advolat puer,
Voce ſolvi turbulentâ, jure ſtricto poſtulans.
Tot Receptarum cylindros, totque doſium codices,
Tot Syrupos', tot trochiſcos, urceosque eclegmatum,
Morſulos, tabulas, elixir, pulveres, cataplasmata,
Tot catharſes in patellis, in cucullis pillulas,
Quot queant ciere ſeptem Ruſticorum pantices,
Heu nimis pretioſa menſæ pauperis jentacula,
Unde eorum eſt vacua farto pixis, atque capſulæ,
Unde fugitivis anhelat arca noſtra nummulis.
Interim conſcripta nobis Opera, fætusque ingeni,
Mille noctium vigiliæ, longus annorum labor,
Eſca tineis, & pudendum pabulum blattis jacent;
Queis coronidem ſupremam, queis manum addere ultimam
Impeditur noſtra curis fracta mens domeſticis.
Sæpius mea ingemiſcit Muſa damno hoc, integra
Virgo quondam; nunc pudore proſtituto (abſit procul

Omen hoc) meretrice quæſtu verita ſolari famem.
Tuque non rarò tuliſti graviter hoc diſpendium
Phœbe, amicum numen olim, fidus hactenus comes.
Quò fugis nunc? teque ſolito ſubtrahis conſpectui?
Talibus noctem fatigans Daphnorinus queſtibus,
Neſcios ſoporis oculos irrigabat lacrymis:
Cum refulgens luce clara Phœbus ultro ſe obtulit,
Et genas tergens amicis ſolvit ora vocibus:
Parce cœlos immerente provocare injuriâ.
Certus eſto, quod tuarum dura rerum acerbitas
Sancta Regis Friderici commovebit pectora,
Cui ſuprema lex, & una cura ſtat, populi ſalus.
Cur tuo ſedeat iniqua corde diffidentia?
Tanta Regis Magnitudo, tanta Virtus Principis,
Nec parem cui nec ſecundum noſtra cernunt ſecula,
Vera quem niveis quadrigis Fama cœlo ſuſtulit,
Quod miniſtris parva quamvis, paucaque officia ſuis,
Gaudeat penſare larga & liberali dexterâ,
Te videbit, derelictum, deſtitutumque auxili?
Nec dabit meſſem laborum metere, quos tu ter decem
Jam per annos pertuliſti, laude non inglorius?
Qui tuæ ver ævitatis, atque floridos dies
Publicis Danæ juventæ conſecraſti commodis,
Ut gravis nunc Bruma vitæ torpeat triſti gelu,
Et nive aſperſum indecoro ſqualeat ſitu caput?
Abſit, abſit iſta mentis cogitatio impiæ.
Nonne cum primum corona cingeret Rex verticem,
Annuo

Annuo tuum beavit ſponte cenſum auctario;
Regii favoris arrhâ prima ſceptra inaugurans?
Nunc licet ſat turbulento res fluant lapſu, tamen
Magnus animus, ſorte utraque major haud ſinit, ſuo
Quicquam honori ut triſte tempus gloriæve deroget.
Creſcit augeturque dando plura, Liberalitas,
Deputans lucrum ſibi eſſe, quod probis impenditur.
Quæ tibi patebat aurâ naviganti proſpera,
Maximè nunc indigenti clauſa non erit manus.
Ipſe ego illi vellicabo lenis aurem & temporis
Anteacti, ac jam fluentis concitabo memoriam,
Sicque dicam: O Rex Dearum firma ſpes Parnasſidum,
Dulce columen eruditæ gentis, & ſummum decus:
Ille quem diuturna fecit ægritudo languidum,
Quem dies, longusque veſtræ patriæ impenſus labor,
Nunc juberet, ut ſolutus, & procul negotiis,
Relliquum vitæ in receſſu degat, emeritus Senex,
Ille, cum ſe Sora veſtræ laudibus præſentiæ
Tolleret, conſors honoris facta, tantum cernere
Incolam; momenta quædam, & portiunculam tuæ
Juſſus inſtitutioni ferre, pectus hoc capax
Omnium artium, eruditis imbuit ſcientiis.
Quicquid intimo receſſu Numerus arcani tenet,
Quicquid aut Megarenſis Heros, aut Syracoſius Senex
Prodiderunt, habile & annis & tuo aptum ſanguini,

Prævio hoc doctore, dia mentis hauſiſti indole.
Nunc pia memorique tecum mente, Rex expendito,
Quam frequenter ille veſtro tunc frui conſortio
Non negatus atque herilis particeps menſæ, jocis
Serio ſermone mixtis, prandium condiverit.
Cumque jam Sora relicta dius ardor pectoris
Disſitas hinc orbis oras Te juberet viſere;
Plenus entheo furore, tale verbum protulit:
Ito felix, Domine, non me fallit hoc præſagium,
Irritis nec certa frontem Parca ſignavit notis:
Hoc prius (ſic fata poſcunt) gravia paſſurum caput,
Arduis tibi ad Coronam præparandum eſt caſibus.
Quod dein majore ſplendens *tanget aſtra gloria.*
Quamque nunc abiens benigne porrigis mihi dexteram,
Indicem certumque pignus pertinacis gratiæ
Hæc feret paterna quondam ſceptra faſceſque Imperî,
Tunc novo Regi inſuetis gratulabor verſibus,
Tunc meis feliciora fata rebus ſpondeo,
Quæ profatus ore fuerat, verus augur, præſcio,
Proſpero eventus ſequutus comprobavit omine.
Hæc ego fidus ſequeſter verba Regi perferam,
Verba non portanda rapidis Balthicum in fretum Notis.
Tu modo animum, Daphnorine, recipe, concuſſum metu.
Sæpe Navis quam ſecundus Auſter, & fluctus tulit
Uſque felix, per profundi glauca regna Nerei,
Jam ſubire prompta portum, jamque terræ proxima;
De-

Derepentè ſævientis quaſſa Boreæ turbine,
Mergitur ferè, atque in ipſo penè ſidit oſtio:
Quæ tamen cautâ Magiſtri ſeduli prudentia
Soſpitata, ſe paterno ſalva reddit littori,
Lætaque advectas remoto à Sole merces explicat.
Hactenus tuæ favente cymba vitæ Numine
Proſperum ſulcavit æquor, lapſa tranquillo ſalo:
Jamque ſpes blandæ quietis te fovebat, ocium
Pollicens, & dulce longis præmium ſudoribus:
Quando inexſpectata duro ſæva ſtridens impetu
Obruit procella puppim, jam propinquam portui,
Naufragum minitata fatum. Sed fidelis Arbiter,
Qui tenens clavum gubernat fidus Arctoam ratem,
Ille Caſtoris gemellum ſparget antennis jubar,
Et tua ad deſideratum vela flectet alveum.
Quin & idem Rector orbis Danici, Diis æmulus,
Non ſuo tantum favore te beabit, quam diu
Quantulum eſt quod reſtat ævi tranſigis: ſed inſuper
In tuum gnatum refuſam prorogabit gratiam:
Et ſereniore vultu vota noſtra comprobans,
Largietur, ut tibi cum fila rumpet Atropos,
Filius, tuæ à juventâ cultor Artis ſedulus,
In Profeſſorum cathedrâ ſedeat, & ſubſellis:
Sicque ſeriem proſequutus ordinis, non degener,
Quem Pater tenuit, eundem filius teneat locum.
Non quidem peregrinus ille eſt, aut ab aliis advena,
Ipſius quod vos parentes eſtis, huc venit locis;
Sed ſolum natale ſibimet eſſe gaudet Daniam:

Eſtque Sorani Lycei prima proles omnium
Quos ſatu fœcunda largo protulit Academia;
Ejus ergo æquæva geſtans nomina incunabulis,
Patriæ jus ſingulare Civitatis expetit.
Sic novus ſuccreſcit altâ ſurculus ſub arbore,
Pullulans radice firma, ſeque in auras exſerit:
Quæ bipennis cum vetuſtum caudicem cecide-
rit,
Facta tunc arbos, paterno ſtat ſolo & magis ubere
Fœta ramo, dulciores fronde fructus parturit.
Hoc tabellis Rex benignus, hoc ratum faciet
manu.
Surge lætus. Illa magni fida Regis corcula,
Incliti Heroës, patronos jure quos *merito colis*,
Hi tibi ſternent faventes ſemitam internuntii,
Quà tua hæc notanda chartis commeet Querimo-
nia,
Regios viſura vultus, & repulſam neſciens.
Fatus hæc Appollo, nocti ſe profundæ mi-
ſcuit.
Daphnorinus ſpe referto geſtiens ſolatio,
Et ſacro motus furore, non tulit ſilentium
Sed thorum domumque tali concitavit jubilo:
Friderice Rex, avitæ ſplendor & fax glo-
riæ,
Regiæ virtutis hæres; ſancta cujus comitas
Socia Majeſtatis, omnes Orbis illuſtrat plagas;
Effice, ut benignitatis aureum ſolitæ jubar
In tuum radiet clientem, jam tenebris obſitum:
Ut Senex ægerque dura ſorte preſſus, nunc ve-
lut
Pallido revocatus orco, dormientem ſuſcitet

In

In tuas laudes Camœnam, & glorioſi Nominis
Pergat hoc ſonare, Fama præcinente, encomium:
Qui prius, Dux Fridericus, Daphnorino oſtenderat
Signa multa, & ominoſa Regiæ Clementiæ,
Ille nunc Rex Fridericus, priſtinæ olim gratiæ,
Jamque Majeſtatis, ipſi grande monumentum addidit.

* * *

Jambi

In Nuptias,

JOHANNIS GEORGII QUIRINI,

Civis & Oenopolæ Hafnienſis.

MUltas *Quirinus* arcuato in fornice
Congeſſit orcas, ſerias, tinas, cados,
Queis continetur Maſſicus Bacchi liquor,
Temeta pura, dulce Chium; murrina,
Epulas amicas inter & feſtas dapes
Futura amyſtis. Omnibus pretio patent
Hypogeia & uda doliorum viſcera.
Unum Quirinus ille vaſculum ſibi
Soli ſuisque ſegregavit uſibus,
Intaminatum, purum, epiſtomii inſcium,
Quo clauſus halat innubæ Veneris latex,
Charitumque nectar; atque Amoris defrutum,

Nulli hauriendum nec pitiſſandum viro,
Si non *Quirino*. Ferte verbenas ſacras,
Adolete Thymbram, funditote ſimpulum:
Suum *Quirinus* Vas, vietor impiger,
Operculabit, ſedulusque innoxiâ
Mediam terebrâ perforabit aſſulam,
Siphunculumque lætus intrudet novum.
Plaudit Lyæus: ridet & faces quatit
Cypris protervo juncta Amorum cætui,
Cantatque verba nupta: Res Rei convenit.
Nam quale vas eſt, talis eſt Siphunculus.

* * *

Epigramma

IN

BROCKDORFIANAM GENTEM,

ejusque

INSIGNIA.

CUr volucres ornant *Brockdorffia* ſtemmata Piſces?
Quæ virtus illis Martia piſce venit?
Scilicet antiqua celebrantur origine piſces,
Quos rerum genitor prodidit Oceanus.
Nec cœlo deſunt fulgentia ſidera Piſces,
Nominis hinc ſplendor famaque priſca nitet.
Iisdem res olim geſtas Oriente notarunt,
Nec ſolæ jam vos omnia fertis aves.
Nunc etiam virtus patriæ *Brockdorffia* præſtat
Aligeris magnum à piſcibus auſpicium.

Gra-

Gratulatio ad Collectorem Poëtarum Danorum.

QUam non Auguſti Mæcenateſque dediſſent.
Tu Patriis vitam Vatibus ergo dabis?
Macte novis cœptis *Roſtgardi!* ſi data querna
Sevato quondam cive corolla fuit;
Laurea ſervatis veniet Tibi vatibus, & Te
Muſa mori, divos cum facis, ipſa vetat.
Borrichii Aoniis ducetur fama triumphis,
Æternum patriæ, Pieridumque decus.
Quod non *Beringus*, quod non *Agardus*, & omnes
Quos cumulas, nomen? quos meruere faces?
Mirantur Vatum ſeptem nova regna Triones.
Indice te tantas Dania novit opes.
Doctior has orbis venientia ſecula diſcent;
Ille tuas curas laudat, & iſta tuas.
Arctoo late dominentur frigora Cœlo:
Pectora Phœbéo ſed tamen igne tument.
Non tantum Heſperidum poma aurea carpimus hortis:
Aurum etiam nobis ex Aquilone venit.

PERIOCHE

LIB. I.

CHARITUM.

IN Natalitiorum Chriſti ſanctam memoriam ad Juventutem Academicam p. 5
In Reſurrectionem Chriſti 15
In Effuſionem Spiritus S. 21
In Feſtum SS. Angelorum diem 33

LIB. II.

AUguſtisſimo Imperatori LEOPOLDO de Turcis triumphos agenti 41
Hercules Britannicus, ſ. de Coronatione Caroli II. Regis Angliæ; ubi habentur Præfamen ad Joh. Fridericum à Frieſendorff 43
Proſphonema gratulatorium 44
Votiva Ætheris & Terræ Harmonia, ſ. de Tonitru, quod ipſo Coronationes regiæ feſto poſt conſvetas bombardarum majorum gratulationes audiebatur 49
Anagrammata in Carolum II. 51
Admiranda Diei ſexta menſis Februarii 52. ſeq.
Epigramma Chriſtiano Alberto &c. &c. Duc. Holſ. 56
Apollo Redux. 57

Programma ad audiendam Orationem de laudibus Chriſtiani Alberti Duc. Holſ. 61
Caſtori & Polluci, Chriſtiano Alberto & Auguſto Friderico Ducibus Holſ. gratulatur Poëta 62
Ad Duc. Chriſtianum Albertum, de nata ipſi Filia. 63
Ad Eundem de nato Principe. 64
Ad Eundem de glorioſo ad ſuos reditu 64
Ad Eundem de pace reſtituta 66
Ad Eundem ex Itinere Anglico 72
Ad Principem Megapolitanum Chriſtianum Roſtochium ad homagium ingredientem 73
Ad Guſtavum Adolphum Ducem Meclenbergicum Roſtochium ingredientem 80
Panegyris genethliaca Guſtavo Adolpho Duci Meclenburgico ſacra 81
Ad Eundem de nato Herede 115
In Ejusdem natalem anniverſarium Cento Virgilianus 117
Ad Eundem & Ducem Lignizenſem Ludovicum Roſtochium ingredientes 122
Ad Eundem Magnum Parnaſſi Kilonienſis Hoſpite 127
Ad Arauſionis Principem Guilielmum Henricum in Angliam navigantem 128
Immortali gloriæ Ferdinandi Paderbonenſis & Monaſterienſis Epiſcopi. 131
Ad Detlovium Comitem de Ranzovv &c. ob natum filium Fridericum. 133
In Henricam Catharinam Lib. Baroniſſ. à Friſen 134

LIB.

LIB. III.

AD Joannem Adolph. Kielmannum à Kielmans-eck proſphonema in natalem ejus. 135
In ejusdem Nummum 165
In ejusdem Torquem aureum regium munus 169
Nænia funeralis in annum 1668. exſpirantem ad Eundem. 174
Ad eundem è Gambriviis ad Cimbros reducem. 179
Ad eundem de reſtituta valetudine gratulatio. 182
Ad eundem de Inſcriptione Monumenti funeralis adornanda poetam compellantem. 185
Ad Dominum à Kielmanseck ſtrena 185
In fasces Academicos Erici Mauritii. 187
Ad Chriſtophorum Franckium faſces deponentem 188
In Joh. Nicol. Pechlini faſces Acad. 191
In Adami Tribbechovii honores Doctorales 192
Adamo Tribbechovio Gotham ad munus Conſiliarii Eccleſiaſtici capeſſendum abeunti 192
Caſpari Marchio Berolinum ad Conſiliarii & Archiatri munus capeſſendum abeunti 193
Ad Caſp. Svvartzkopfium & Caſparem Vogtium in ordinem Conſulum Viſmariæ cooptatos. 195
In Abrahami Hinckelmanni Honores Theologicos 196
Ad Nicolaum Alardum ipſo Bonifacii die Theologiæ Doctorem renunciatum 198
Johanni Dieemanno pro ſummis in Theologia honoribus de Naturaliſmo diſputanti 198
Ad Samuelem Schulzium S. Theologiæ Doctorem renunciatum 199

Ad

Ad Bartholdum Kempium ſummis Theologiæ honoribus ornatum. 200
Ad Georgium Lindenbergium ſummis in Jure honoribus ornatum. 200
Πρὸς τὸν εὐκλεέστατον ΟΘΩΝΑ ΤΟΝ ΣΠΕΡΛΙΓΓΙΟΝ τῆς νομικῆς τέχνης διδάσκαλον ἀναῤῥηθέντα 201
Ad Davidem Fredekingium pro ſummis in Jurisprudentia honoribus de monte pietatis diſputantem 203
Fortuna vitrea ad Jacobum Hoffmannum Munus Scholaſticum capeſſentem 204
Henrico Muhlio Lipſiam ituro 210
Ad eundem de collatis honoribus philoſophicis 212
Joanni Bolzio Lycei Luneburgenſis Con-Rectori 212
In Adami Heroldi Lauream Philoſophicam 214
Strena ad parentem 215
In Lauream Philoſophicam Brandiorum 216
Ad Joh. Guilielm. Schmidium de Gutta Serena diſputantem. 216
Ad Joh. Georg. Wasmuthum laurea philoſophica ornatum 217
Ad Nicolaum Martini cauſam Chriſti adverſus Pilatum agentem 217
Ad Johannem Danielem Majorem de nummis eorumque ærugine commentantem 218
In Atlanticam Olai Rudbeckii 220
In Joannis Brunsmanni Macte funeratum & reviviſcens. 220
Ad eundem in particularum recenſione aſſiduum 221
In odas ſacras KINGONIS in Germanicam Linguam à Brandeo converſas 222
In Nicolari Ovvmanni honores philoſophicos. 223
In

In Magni Wedderkopfii Quæſtiones Imperatoria deciſione dignas. 224
In Ottonis Nicolai Lindholtzen diſputationem de capitulatione Regni Germanici 225
In Adolphi Conradi Langelotti diſputationem de Fabrica & uſu cordis 225
Ad Rudolphum Langium de Traditionibus non ſcriptis diſputantem 226
Ad Chriſtianum von Eitzen de Jure arbitrario diſputantem 227
In Chriſtiani von Stücken diſputationem de virga Aaronis 227
Ad Franciſcum Heſpornium ſummis in Medicina honoribus ornatum 227
Ad Johannem Clauſſenium Theologicè diſputantem 228
In Balthaſaris Heldii Inauguralem de Dominio plurium diſputationem 229
Ad Gerhardum Salemannum de pœnitentia diſputantem 230
Ad Chriſtianum Gſelhoverum de Condictione Indebiti inauguraliter diſputantem 230
Ad Samuelem Rachelium cum ad Tractatus Noviomagenſes ablegatus Otium ſuum Noviomagenſe ederet. 231
Ad Joannem Nicolaum Pechlinum poſt anatomen Æthiopiſſæ de habitu & colore Æthiopum commentantem 232
Ad Michaelem Freudium de Bonis eccleſiaſticis eorumque uſu & abuſu commentantem 234
In Ivari Gerritzi diſputat. inaug. de Collatione bonorum. 235

In Sebaſtiani Schmidii Orationes ſacras 235
Programma in Balthaſaris Heldii Orationem de Cultura Populorum 237
Ad Michaelem Fuchſium de Rege temporario diſputantem 237
In Auguſti Gieſii Librum de Eleemoſynis 238
In Johannis Cruſii Diſputationem medicam de aurea catena Jovis cœlo dimiſſâ 239
Ad Andream Plomannum Laurea Philoloſophica ornatum 239
AdHenricum Friſium de Purgatorio diſputantem 244
Ad Juſtum Theodorum Volcmarum de Jure optionis diſputantem. 240
ad eundem poſt Senatoriam in patria urbem dignitatem J.U. Licent renunciatum 241
In Johannis Fuchſii Introductionem in Proceſſum Holſaticum 241
Ad Nicolaum Nicolai cui pro Caſeis piſciculos fumo coctos miſerat Poëta 242
In Georgii Martini Tatteri Inauguralem de Epilepſia diſputationem 243
In Johannis Chriſtiani Tralleſii Diſputionem de Malacia 243
In Georgii Hannæi de Rore marino librum 244
Ad Johannem Schwenckium Juris Profeſſorem Doctoris titulo ornatum 244
Ad Ottonem Lindholzium Conſulem cum illi Virgilium Ruæi donaret Poëta 245
In Johannis Friderici Mageri librum de Electione Pontificis Romani. 245
In honores Conſulares Matthæi Liebherren. 246

Ad Martinum Bützerum Philoſophicos honores capientem 247
In Franc. Quarles Enchiridion ad ſuos in linguæ Anglicæ exercitio auditores. 247
Ad Johannem Erneſtum Pfuel ſummis in Theologia honororibus ornatum. 247
Ad Joh. Chriſtoph. Dölerum ſummos in Philoſophia honores capientem. 248
Ad Johannem Schulzium Rectore Scholæ Hamb. 248
In Petri Antonii Burchardi Theſes è Minucio Felici contractas. 249
In Henrici Olter de difficultatibus & fructibus ſtudiorum Orationem 249
Ad Matthiam Georgium Mœsling. de Circumventione inter contrahentes licita pro ſummis in jure honoribus diſputantem 250
Ad orationem de Auro Invitatio 250
In Nummum aureum in memoriam Auguſtanæ Confeſſion. à Friderico Benedicto Carpzovio oblatum 251

VENERES.

LIB. I.

AD Kielmannum à Kielmanseck Dedicatio 254
Ad ejusdem filium Dedicatio 255. ſeq.
Venus Piſcatrix amoribus Danielis Fiſcheri & Eliſabethæ Sophiæ Bokeliæ 257
Piſcator captus 261
Piſcator Ictus 263
Venus Oleaſia ad Adamum Olearium cum Burchardo Niderſtättio filiam in matrimonium daret 264
Arbor amoris 282

Venus Jovia in Nuptias Friderici Naſſeri & Annæ Emerentiæ Kirchmanniæ 283
Venus Conſularis in Nuptiis Antonii Scheffel & Barbaræ Schelen. 286
Cupido Argus ejusque ſpecula in nuptiis Jacobi Helwigii & Eliſabethæ Herzbergiæ 290
In Nuptias Johannis Bernhardi Zinzerlingii & Margaret. Eliſab. Beſelinæ Lex Thalami Zinzerlingiani. 300. ſq.
Hymeneus in Nuptias Michaëlis Pancratii & Annæ Doroth. Bokeliæ 304
Venus Moneta in Nuptias Johannis Caſpar. Pfennings & Urſulæ Kohlblats. 307
Jocus in Nuptias Caſparis Voigtii & Eliſabethæ Zincken 310
In Nuptias Chriſtophori Langii & Annæ Catharinæ Sperlingiæ 314
Jocus in Nuptias Joachimi Hanſen, & Eliſabethæ Schwaſſen 316
In Nuptias ſecundas Henrici Rudolphi Redekeri & Luciæ Kohlblats 317
In Nuptias Kranthofii & Eliſabethæ Grosſiæ 318
Anacreon in Nuptias Johannis Lubberti & Annæ Schwanten. 311
Venus militans in Nuptias Petri Eberhardi Bruggemanni & Mariæ Eliſabethæ von der Lieth. 325
In Nuptias Amici Philoſophi 229
Epiſtola Gamica ad Chriſtianum Kortholt & Annam Kirchhofen 330

LIB. II.

VENERES NOVÆ.

DEdicatio ad Auguſtum Fridericum Ducem Holſat. & Chriſtinam Auguſti Ducis Saxon. filiam 336. ſq.

Venus Cimbrica in Nuptias Chriſtiani Alberti Duc. Holſat. &c. & Fridericæ Amaliæ Friderici III. Regis Daniæ Filiæ 339

Auguſtis Amoribus Auguſti Friderici Duc. Holſat. &c. & Chriſtinæ, Auguſti Ducis Sax. filiæ 350

In Nuptias Friderici Magni Marchionis Badenſis & & Auguſtæ Mariæ Principis Cimbricæ 351

In Amores Henriettæ Catharinæ Lib. *Baronis* de Frieſen. 353

Ad Marquardum Gudium cum Carmen Germanicum in Nuptias ejus ſcriberet Poëta 355

Venus fontana in Nuptiis Ericii Mauritii & Magdalenæ Schönbachs. 356. ſqq.

In tertium Amorem Henrici Rudolphi Redekeri 369

Friderico Heckſlauer domum ducenti Magdalenam Sibyllam Schachten. 372

In Nuptias Johannis Wittemakii & Margarethæ Steinmannin 373

Antonio Henr. Gloxinio & Annæ Derenthaliæ ſponſis 375

In Nuptias Johannis Philippi Roſmanni & Urſulæ Fauſten 376

Venus Hygeia in Nuptiis Johannis Caſparis Pfenningii & Sophiæ Clauſen. 377

Ad

Ad Jacobum Kornmeſſerum & Margaretham Marchiam ſponſos 381
Ad Matthiam Lobetantzium ſecundum ſponſum menſe Majo, quo ſol geminos obſidet 384
In Amores Petri Axen, & Annæ Catharinæ Bojen 385
In Nuptias Jacobi Fabricii 391

LIB. III.

Venus Alphabetaria in Nuptias Laurentii Gutzmeri & Helenæ zur Nedden 392. ſqq.
In Amores Henrici Opitii & Dorothææ Eliſabethæ Dögens 415
In Nuptias Sallero-Stahlianas circa ipſum ſolſtitii tempus 416
In Amores Chriſtophori Stämmen & Margaretæ Dorotheæ Moſingæ 418
Ad Paulum Erici & Catharinam Büllen ſponſos 422
In Nuptias Medici ibid.
Ad Laurentium Tückſen & Chriſtinam Sophiam Tribbechoviam ſponſos 423
Ad Alexandrum Zeſchium poſt collatos honores Philoſophicos Nuptias celebraturum 424
In Nuptias Ericii Mauritii 425
In Samuelis Reyheri Nuptias 426
In Nuptias Degingo-Finhagianas ad Ciconiam eo die reducem 426
In eaſdem 428
In Georgii Erneſti Heldbergs & Annæ von Deging nuptias 428

Secundis Nuptiis Johannis Henrici Kielmanni à Kielmanseck domum ducturi Dorotheam Reventloviam 429
Magno Wedderkopfio domum ducenti Margaretam Eliſabetham Pincieriam 430
In nuptias Henningi Wedderkopfii & Annæ Margarethæ Johanſen. 432
In Nuptias Nicolai Nicolai & Annæ Margarethæ Fabriciæ die Chryſogoni celebratas 433
In Nuptias Johannis Schultzen & Dorotheæ Falcken. 434
In Nuptias Michaëlis Freudii junioris 435
In Joachimi Lindemanni & Annæ Kortholtiæ nuptias 436
Venus libripens in Nuptias Koltmanno-Wincklerianas ſub ſolis in Libram ingreſſum celebratas. 436. ſq.
Ad Medicum ſponſum 438
In Nuptias Kirchhofio-Buſchmannianas 438

MANES.

LIB. I.

Dedicatio ad Chriſtianum Caſſium 440
Amor lacrymans in funere Mariæ Eliſabethæ Heiſtermanniæ à Zielberg. 442
In exequias Nicolai à Qualen 443
Monumentum Henrici von der Dellen 443
Fatum Poëticum in funere Andreæ Tſcheningii 454
In obitum Michaëlis Watſoni 455
In obitum Hermanni Werneri 457

Ad

Ad Henricum Rudolphum Redekerum altera vice viduum 458
In exequias Simonis Dehns ex pede ſecto extincti 465
In exequias Henrici Rhanii JCti 465
Ad Joh. Kothmannum ſuper obitu filii 465
In exequias Johannis Georgii Dorſchei 469
Cygnea cautio Danielis Sandonii 474
In exequias Baronum de Gera 475
In obitum Johannis Friderici Königs 475
In funus Chriſtinæ Bahren 476
Juſta injuſta Henrico Clingio miſerabili caſu interfecto parata 478
In obitum Weſſelii Macken ſtudioſi. 479
In obitum Weinholdi Schraderi. 480
In obitum Heinonis Rigii Medicinæ Doctoris 481

LIB. II.

INgenuæ pietatis lacrymæ ſuper Manes Adolphi Friderici Ducis Megapol. largisſime effuſæ 482
Idyllion Adonis in exequiis Johannis Principis, Guſtavi Adolphi Ducis Mecklenburgici filioli. 491
Monumentum Detlevi ab Alefeld. 496
Monumentum Henrico à Qualen, orbibus æthereis reddito, poſtquam omnem ſupellectilem mathematicam Academiæ dedicaverat, ab Academia Kilonienſi poſitum 500
Leſſus in exequias Goske à Thienen 502
Ad Caſparum à Boockwold parentis obitum lugentem 504
In obitum Jaſperis Rantzovii in itinere Gallico extincti 505

 Su-

Supremum Munus Mettæ ab Alefeld exhibitum 506
In exequias Margarethæ von Buchwaldt 511
In Idam Rumoriam duodecies matrem placide expirantem 512
In exceſſum Johannis Helmii Regii Conſiliarii 513
Ad Martinum de Bœckel obitum conjugis lugentem 515
Ad Chriſtianum Caſſium uxoris obitum deplorantem 517
In obitum Marquardi Gudi 518
Florum ſparſio ad magnos tumulos Dorſcheanos 521

LIB. III.

Dedicatio ad Chriſtianum Caſſium 528
In obitum Vincentii Fabricii in Comitiis Varſavienſibus extincti 527
In obitum Adami Tribbechovii Superintend. General. Saxo-Gothani 538
Ad Ericum Mauritium poſt Conjugis exceſſum fratris obitum plorantem 539
Monumentum Bernhardo Müllero Med. Doctor. poſitum. 540
In obitum Mar. Eliſ. Niderſtätten 545
In obitum ejusdem alia inventio 546
In Marcum Kohlblatt pene cum ipſo ſeculo natum nunc placide extinctum. 547
In obitum Johannis Braueri ad D. Nicolai Archidiaconi. 548
In obitum Conjugis Pfenningianæ ſub ipſum novi anni initium, poſtquam maritum prole donaverat, extinctam 548

Monu-

Monumentum Hans-Chriſtophoro à Nemmitz Nobili Carinthio poſitum 549
In Johannem Huldericum Heiderum inter ipſos de immortalitate animæ labores placide exſpirantem 550
In Maurit. Rennekampf placide defunctum 550
Ad Laurentium Oheimb circa brumæ tempus extinctum 551
In obitum Joachimi Schevii Lubec. Schol. Colleg. 551
In Johannem Lindemannum LL. Stud. phthiſi placide extinctum 552
In obitum Petri von Horn Senat. Kil. 552
In obitum Dor. Margar. Grammiæ 552
In Michaëlis Freudii Uxorem in partu extinctam 553
Lacrymæ Mariti in funere Conjugis Margaretæ Morhofiæ 553
Petro Axenio conjugis funus acerbum deploranti 555
Ad eundem filiæ obitum lugentem 557
In obitum Matthiæ Waſmuthi: Cogito ergo ſum 558
In obitum conjugis Sim. Henr. Muſæi 559
Ad Joachimum Fellerum Chriſtiani Daumii manibus elegos flagitantem 559
In obitum Erneſti Heldbergs Prof. 561
In obitum Johannis Petri Titii 562
Ad Caſp. Vogtium poſt matris obitum conjugis quoque exceſſum deplorantem 564
Ad Petrum Arpenium Conjugi juſta perſolventem 565
In Matthiam Burchardum, cui menſis Auguſtus & idem pene dies vitæ initium, Sacerdotii primos honores & placidam mortem definiverat 566

In obitum Friderici Jeſſenii 556
Ad Samuelem Reyherum uxori ſuæ juſta perſolventem 567
In Chriſtin. Kohlblathiam aqua intercute exſtinctam 568
In Johann. Philipp. Rosmanni obitum 569
In Cæſonis Grammii obitum 569
In Martham Juſtinam Förſteriam D. Niemanni uxorem 570
In Eliam Müllerum LL. Cand. 570
Epitaphium Philipp. Jacobi Stevenii Conſulis 572
In Virginem Annam Emerentiam Greeniam 572
In Sebaſtianum Niemannum 573
Ad Joh. Dan. Majorem geminæ prolis jacturam lugentem 573
In Georgium Greenium 574
In Jacob. Henricum Gudium Jur. Cand. 575
In Petrum Muſæum ibid.
In Ericum Mauritium Vice-Cancellarium 576
In Urſulam Rosmanniam Menſe Aprili placide extinctam 577
In Joh. Georgium Waſmuthium ipſa Dominica Palmarum defunctum 578
In Davidis von der Brügge Poëtæ eximii ex hac vita diſceſſum 579
Ad Michaëlem Freudium ex obitu Angelæ Bretſchneiders ſecundùm viduo 580

PRIMITIÆ PARNASSI KILONIENSIS.

Dedicatio ad Kielmannum à Kielmannseck. 582
Ad Chriſtianum Albertum Duc. Holſatiæ Epigrammata per anagramma 583
Ad Kielmannum à Kielmannſeck cum Cæſarea auctoritate Kilonienſis Academiæ auſpicia ſanciret 585
Fata Kielmanno-Kielonienſia, ſ. epigrammata in Kielmannum per anagramma 587
Hymni Imperatorum & Principum, quos in Academiæ inauguratione chorus Muſicus cecinit 588
In Ferdinandum Cæſ. ibid.
In Leopoldum Cæſ. 590
In Fridericum Princip. 591
In Chriſtianum Albertum Duc. Academiæ fundatorem 592
In effigiem Ferdinandi Imp. 594
In effigiem Leopoldi Imp. ibid.
In effigiem Friderici Principis 595
In effigiem Chriſtiani Alberti Ducis. ib.
In effigiem Kielmanni à Kielmannseck 596
In effigiem Petri Muſæi 567
In inſignia Academiæ ibid.
In inſignia Facultat. Theologicæ 598
Juridicæ ibid.
Medicæ ibid.
Philoſophicæ 599
Ad Ericum Mauritium JCtum & Chriſtianum Ehrenfried Chariſium de libris Juris communis diſputat. habentes 600

Strenæ Rectori Magnificentisſimo Parnasſi Kilon. oblatæ 601
Strena Magnifico Dn. Pro-Rectori 602
Theologis 602
Juris Conſultis ibid.
Medicis 603
Philoſophis & quidem
Orientalium Linguar. Prof. 603
Matheſeos Prof. ibid.
Phyſices Prof. 604
Metaphyſices & Logices Prof. 604
Politices Prof. 605
Moralium Prof. ibid.
Civibus Academ. ibid.
Novæ Academiæ 606
Auctori nihil 606
Pegaſus pro Strena Kielmanno à Kielmannseck 606
In Nummum aureum Principis Cimbri pro Strena Poëtica & Epigrammatibus 608
Ad Perilluſtrem Præſid. Nummum iſtum aureum offerentem 609
Euchariſticon ad Chriſtianum Albertum Duc. Cimbr. 609
Ad Joelem Langelott Medic. Doct. 611
Programma, quo ad artem Epigrammaticam publice docendam invitabat Auctor. 612
In Globum magnum æneum Chriſtiani Alberti Cimbrorum Ducis 613
Ad Adamum Olearium 614
Scazon ad Henr. Bernhard. Weſelin de obtentis in arte Medica honoribus 615

Ad

Ad Ericum Mauritium Academiæ Kilonienſ. ſecundum Pro-Rectorem 616
Ad Matthiam Waſmuthium doctrinam de Accentibus Hebr. edentem 617
Ad Samuelem Reyherum de variis Mundi ſyſtematibus differentem 619

AUTOSCHEDIASMATA POETICA.

Ad Phoſphorum Cimbricum Kielmannum à Kielmannseck Soli ſuo tædas nuptiales accendentem 622
Caſſianus Chriſtianus, ſive de ſui ipſius Tyrannicidio ad Chriſtianum Caſſium. 623
Ad Ericum Mauritium, ut ſcripta ſua eruditisſima edat 627
In Faſces Academicos Caſparis Marchii 629
In Faſces Academ. Matthiæ Waſmuthi 630
Theodoro Sutero de Conſulatu Roſtochienſi gratulatur Auctor 631
In Johannis Danielis Majoris Chirurgiam infuſoriam 634
Ad Eundem 636
Ad Adamum Tribbechovium & Georgium Nicol. Meyer de Philoſophia Morali barbara diſputantes 636
Ad Cajum Rantzovium Equitem Holſatum juridice diſputaturum 638

Ad

Ad Detlevium Rantzovium Equit. Holſ. anno ætat. XVI. de Comitiis electoralibus diſputantem 639
Ad Nicolaum Heinſium 640
Ad Johannem Schefferum Rem vehiculariam illuſtrantem 641. ſqq.
Ad Samuelem Rachelium Conjugis ipſo partu extinctæ obitum lugentem. 644
In Exercitationes Anti-Baronianas Adami Tribbechovii ſub auſpicia novi anni 645
Ad ſponſum, nuptias circa ſolſtitii tempus celebrantem 646
In obitum Jodoci Boji S. Theol. Studioſ. 647
In Chriſtiani Ehrenfried Charisii orationem, qua Regis Sueciæ Caroli natalem celebrat 648
Ad Johannem Uppendorff de Studio Hebraico diſputantem 648. ſq.
In Willisii Anatomen Cerebri 649
Ad Joh. Frid. Haſenmüllerum de Concurſu DEI diſputantem 650
Ad Joh. Chriſtian. Haſenmüllerum de dignitatibus eccleſiaſticis ſuperioribus diſputantem 652

HORÆ SVBSECIVÆ

POETICÆ.

AD Conſtantinum Hugenium 654
Ad Phœbum 656
In Hugenii argutisſima Poëmata 657
De Conſtantini & Chriſtiani Hugeniorum Parentis & Filii Poëſi & Mathematica 657. ſq.

In Roberti Boilii machinam Pnevmatiam 658
In ejusdem librum de temperatura regionum ſubterranearum &c. cum in Linguam Latinam converſum ederet Gothofredus Schulzius 659
Ad Eundem 660
In Theodori KerkringI Anatomen mirabilem 660
Ad Vitum Beringum de Tinctura Martis 661
Ad Johannem Petrum Titium de noctibus ſuis Poëticis 662
Hecatombe Phaleucorum ad Aram, quam in templo Eutynenſi exſtrui curaverat Chriſtianus Casſius 663. ſq.
Ad Ericum Tilemannum Becker ſummis in Jurisprudent. honoribus ornatum 667
In Lauream Leonhardi Pegmanni 668
Ad Joëlem Langelottum de igne ſecreto Philoſophorum 669
In Adami Laurentii Nicolai Schediaſma Philologicum de Aratione 670
Ad Johann. Henricum Horbium de Origine Hæreſium commentantem 671
Ad Henricum Michaëlis, cum Magiſtratum Acad. die April. 7. qui in Faſtis Romanis Apollini natalis eſt, adiret 671
Ad Paulum Sperlingium cum Sceptra Academica eidem traderet Poëta 672
Ad Henricum Schraderum cum à Parente ipſo honores Philoſophici illi conferrentur 675
Ad Adamum Henricum Möllenhoff honoribus philoſophicis ornatum 676
In Laur. Friſii diſputationem Inauguralem de Angelis 678

In Honores Philoſoph. Johannis Volckmari Rotſcheri 679
Ad Johannem Uppendorſium de ſigno crucis diſputant. 679
In Panegyrin Menippeam Joachimi Rachelii 680.ſq.
Ad Arnoldum Mecklenburg J. U. D. & ſponſam 682
In Apollonii Pergæi libros de Conicis Sectionibus à Ranio ex Arabica in Latin. ling. converſos 683
In Enochi Svantenii diſputationem de Nomine JEHOVA 684
Ad Johannem Bacmeiſterum de Funere Eccleſiæ Romanæ in CLEMENTE IX. diſputantem 684
In Sebaſtiani Wirdigii Novam Spirituum Medicinam 685
Ad Johann. Baudewinum de impoſitione manuum diſputantem 687

MISCELLANEA POETICA ET EPIGRAMMATA SELECTA.

AD Bibliothecam Gottorpienſem 690. ſq.
Votum veterum annorum pro voto novi anni ad Academiam Roſtochienſem 693

In Rectoratum Academicum Henrici Mülleri 695
In Rectoratum Academ. Caſparis Marchii 696
In Thomæ Bartholini tractatum de nive ibid.
Ad Johannem Bernhardum Zinzerlingium pro conſequendis ſummis in Juriſprudentia honoribus diſputantem 698
Ad Eundem 699
Ad Eundem Caſſiodori librum de Amicitia edentem 702
Gratulatio ad Henricum Bangertum cum Scholæ Lubecenſis Rector conſtitueretur 703
In Chriſtiani Kortholti dubia Philoſophica 705
Ad Eundem cum Græcæ Linguæ Profeſſionem ſolenni oratione auſpicaretur 706
Ad Heronem Herſenium de divinitate Principum diſputantem 706
In Canem Turcicum ipſis diebus canicularibus prælio fuſum 707
Ad Jacob. Kornmeſſerum in patriam abeuntem. 707
Programma, quo humanioris literaturæ cultores diebus canicularibus ad Lectiones invitantur. 708
Programma, quo ad Claudiani libros de Raptu Proſerpinæ, & diſſertationem de furore Poëtico invitantur 710
Ad Joh. Georgium Dorſcheum cum Faſcibus Academicis ſe abdicaret 713

Ad

Ad Joh. Gothardum Boekelium cum de Novo anno Diatriben Philologicam Patri Strenæ loco offerret 715
In Diſputationem Medicam Georgii Dethardingii 716
Ad Lucam Kochen/ cum J. U. D. publice proclamaretur 717
In Petrum Meiland de cauſa per accidens diſputantem 718
In Johannis Georgii Dorſchei ſcriptum ultimum de GRATIA. 718. ſq.
Ad Rudolphum Gaſtovium de Abſentia Juridice diſputantem 720
In diſputationem de Baptiſmo. 720
In Lauream Magiſtralem Davidis Clinthii 721
Ad Caſparum Cloſſium Mnemonicam Hiſtoriam edentem. 722
In Lauream Magiſtralem Johannis Emmelii 722
In effigiem Caſparis Mauritii 723
In Adami Tribbechovii Lauream Philoſoph. 724
Strena ad Davidem Mevium Ictum. 725
Proſphonema gratulatorium ad Nicolaum Burenskiold Præſidem juſtitiæ regium 729
In honores Philoſophicos Ottonis Groſſkreutz 730
In Danielis Fiſcheri Diſſertationem Inauguralem de Favore ejus, quod publice intereſt 732
In Pileum κύκλικον Jacobo Pfillevitz impoſitum 738

Ad Michaëlem Burſeum Theologice diſputantem 736
In oſculum ab anu illatum 736
Apologia Amici nomine ſcripta, quæ convitium hominis elinguis illi immerito objectum vindicat 738
In diem natalem Andreæ Tſcherningii 740
Ad Adamum Olearium cum Hodœporicum ſuum Perſicum Auctori donaret 743
Propempticon ad Johann-Ottonem Taborem 744
Ad Caſparum Vogtium Roſtochio abeuntem 745. ſq.
In Honores Medicos Georgii Friderici Rallii 748
Ad Laurentium Bodockium Principis Mecklenburg. CHRISTIANI Natalem oratione celebrantem 752
In Summos Honores Juridicos AMICI. 756
In obitum maximæ ſpei Juvenis Henrici Bornii 757
In Rectoratum Academicum Michaelis Cobabi 760
In Nuptias Johannis Bernhardi Zinzerlingi & Margaretæ Eliſabethæ Beſelinæ 760
In Lauream Doctoralem Michaelis Pancratii 761
In Georgii Nicolai Eraſmi Libros Triſtium 761
In ejusdem Cacum 762
In Nuptias Danielis Leſchii & Dorotheæ Müllers 762
Ad Johannem Bacmeiſteum in Joelis opera Medica 763
In Exequias Dorſcheanas ibid.
In obitum filiolæ Johannis Levin Ferbers 764
Ad Joachimum Koperum, Conjugem poſt partum gemellum tumulo condentem ibid.

In obitum Friderici Cothmanni 765
In Nicolaum Eggebrecht & Margaretham Kichlers ſimul elatos 765
In quendam de Origine Linguarum Præſide Henrico Schævio diſputantem 766
In Nuptias Theologi Novi anni tempore celebratas 767
In Nuptias Domini Henrici Stendelii & Eliſabethæ München 767
In quendam, qui poſt biennem carcerem Nuptias parabat 768
In quendam poſt Honores in Jure ſummos matrimonium ineuntem 768
Excuſatio ad Amicum quod Carmen non ſcripſerit 769
In obitum Henrici Rahnii JCti, ex Pauli 2. Tim. 10. v. 7. 769
Epitaphium pueri aquis ſuffocati 770
In nuptias Detlevi Marcmanni & Helenæ Wilden. 771
Ad Johannem Henricum Dorneſium Theologice diſputantem 771
In Nuptias Martini Scheffelii & Sophiæ Rantzen 772
In Thomam Tilenium 772
In Honores Philoſophicos quotundam Philoſophiæ Candidatorum 773
Ad Conſtantinum Hugenium 774
Ad Johannem Mauritium Poltzium cum de Amoribus Egregorum, incubis & ſuccubis diſputaret 775
In Lauream Philoſ. Amici 776
In Nuptias Logici carmen joculare 776

In

In obitum Michaelis Watſonii 777
In Sagas poſt explorata aquæ indicia vivicomburii ſupplicio affectas 778
In quendam ſemigrammati cum viri doctiſſimi ſcripta traducentem 782
In cujusdam Carmen Eucharisticum totum pene è Secundi quodam Poemate deſcriptum 785
In librum ab amico donatum 786
Ad amicum de exiſtentia diſputantem ibid.

EPIGRAMMATA SELECTA.

DEUs creator 788
DEUS mobile primum ibid.
In effigiem Auguſti Ducis Brunsv. & Lun. ibid.
Ad lectorem de his Epigrammatibus 789
Sapiens bifrons ibid.
In ſaltatorem 790
Iu cujusdam Mellificium 790
In Advocatum 791
Virgo Prætextata ibid.
Monarchia Ebrietatis ibid.
In Cinnum Rabulam & judicem δωροφάγον 792
De gravedine ad Medicos 793
In Senem quendam, qui, quod maſculus illi heres mortuus, puellam ſpe recuperandi ducebat. 794
In Phyllida. ibid.
Ad Theodorum Sucerum ibid.
Epitaphium meretricis Galliæ 784
In Impudiciſſimam Feminam Barbaram 795

Bähren=Häuter ad Amicum Urſulam uxorem ducentem 795
Dii hujus ſeculi ibid.
Jovis omnia plena ibid.
De Philoſophia 796
Ad amicum novi anni tempore conjugem ducentem 796
Venus figurata ibid.
Vir accidens ibid.
ἀποθέωσις noſtri ſeculi 796
In Marculum Claudum fallacem ibid.
In quendam qui in rigido examine fleverat 797
Ad Amicum circa novi anni feſtum uxorem ducentem ibid.
In cujusdam Locos communes ibid.
In Calvum 798
In Gibloſum ſed macilentum 798
Imperium Conjugale ibid.
In obitum Ciceronis ibid.
In obitum Joh. Henrici Domeſii ibid.
Ad Conradum Yſenium & Joh. Simonem Flacherum de Principiis humanæ cognitionis diſputantem 799
In JCti Nuptias ibid.
In Friderici Gogelii Poemation 799
Mariti Dominium plenum 800
In Nuptias Menſe Aprili celebratas ibid.
Epitaphium Lenæ 800
Via Juris ad Aulum JCtum 801
Studiorum humaniorum diſſidia ibid.
Solatur quendam cui nummos cloaca abſorpſerat. 801

In avarum, cui ſtrenam miſerat 802
Epitaphium in thalamum Juvenis & Vetulæ 802
Epigramma in Corpus Juris Theologo donatum 802
In Nuptias JCti 803
Epitaphium Petri 803
Satyrica ſecula 804
Ad Aulum poculo ſe proluentem 804
In Salinam pulvere odorato ſparſos crines & vultum tectum habentem 804
Adamus primus & ſecuudus 804
Curriculum Philoſophicum ad Paulinum 804
In Marcum primam in voce CAPUT producentem 805
Actio mixta in Ollam 805
In Villici caprum ruina ſtabuli extinctum 805
In Avarum ibid.
In aſſentatorem colapho multatum 805
Diſſidium Rhetoris & Logici 806
Artifices Mechanici 806
Diſcrimen inter Epigrammatiſtam & Satyricum ibid.
In contentioſum Marculum, quem colapho refutaverat Mincius 806
In meretricem emeritam ibid.
De traditione longæ & brevis manus ad Rabulam 807
Aſtronomice bibere ibid.
Quæ membra ſibi victum licite quærant ibid.
Artis & Martis prærogativa ibid.
In calvum ſed barbatum ibid.
Quadratura circuli ibid.

In quendam, qui primam in voce MANVS produxerat
In perverſum Juris Studioſum ibid
Votum Grammaticum in Nuptias Caſparis Vogtii ibid.
Ovis 808
Ad Quintum de Amica 809
Etymologia Ægidii 809
Ad Cæliam 809
In Paulum Poetaſtrum 809
Vinum ibid.
Panis, Penis. ibid.
In Paulum Poetam extemporalem 809
Contra bilingues. 810
In Thraſonem 810
Animalia ἄμουσα ad rem Muſicam facientia ibid.
Ad Paulinum de Tabaco ibid.
Ad Cellum de cultoribus Juris 810
Corpus Juris. 810
In quendam Mercatorem 811
Differentia inter Leporem & Lupum 811
Arithmetica mundi 811
Poetas creare ibid.
Mulier, Vir. ibid.
Ad Aulum; vinum animare Poetas 811
Inimicorum dona 811
Encomiaſticon in Cellum ibid.
Conjugii Imparitas in Leucippen 812
In nobilem Germanicum Latronem inſignem ibid.
Dilationes judiciorum ibid.
Nuda veritas ibid.
Formula propinatoria ibid.

Ami-

Amicitia è poculis 813
In Bibonem ibid.
Mæchus pro ſe ibid.
Prodigus ibid.
Epitaphium Columbi ibid.
In effigiem Juſtitiæ in Amphora depictum 813
In Poetaſtrum quendam 814
In perverſum Theologum ibid.
In quandam cui Reginæ nomen ibid.
In Cinnum, cui menſe poſt contractas Nuptias proles nata ſtatimque denata ibid.
De Tutoribus dativis ad JCtos 815
Ænigma de fiſtula Tabaci ibid.
De eadem ibid.
De candore & verecundia noſtri ſeculi 815
In Medicum parte reſpondentem ibid.
In Urſulam quandam & ejus maritum ibid.
In Priſcum ibid.
In invidiam Pamphilæ 816
Artes liberales ibid.
Meretricula pro ſe ibid.
In Mendicum Poëtam ibid.
Perverſitas quorundam Theologorum ibid.
Reſponſio ad invitationem Amici ibid.
In Quæſtorem quendam Metaphyſica monetaria 816
Carnificina vultus 817
Omnia caſu ibid.
Loth. ibid.
In Calvum ibid.
In Rabulam Bubalum probe pugnis oppletum ibid.

Strena ad Claram & Roſettam 818
Milites Dei & Diaboli ibid.
Logicam primo eſſe tenendam ibid.
Ad Lectorem de ſuis Epigrammatibus. ibid.
Reſtare adhuc aurea & argentea ſecula ibid.
In Senatorem Lurconem 818
Gallicum Cujon 818
Ad Owenum de Epigrammatibus ejus à Jeſuitis caſtratis 819
In disſidium Aulæ cum Marito ibid.
In eandem ibid.
Fur in quo Prædicamento 819
In Grandinum Rabulam 819
In Cinnam Rabulam & Poetaſtrum 820
In quendam Reſpondentem non Reſpondentem 820
Creditores magis Chiromantæ quam Phyſiognomi 820
In Gibboſum equitantem ibid.
Jus ſtrictum & æquum ibid.
Effectus Ebrietatis ibid.
Ad Amicum Epigramma in lecto factum 821
De Harpalo qui equum furto abſtulerat ibid.
Propempticon ad Amicum menſe Februario abeuntem 821
Aurum Nequam ibid
Anagramma ex voce MULIERES 821
In Amicam Germani 822
Κοιναὶ ἔννοιαι Avarorum ibid.
Ad Juvenes Veneri deditos ibid.
Sphæra amoris in Nuptiis Mathematici ibid.
In Uxorem cujusdam Philoſophi 822
Iu fætum ipſo partu extinctum ibid.

In meretricem Porciam 823
Epitaphium Pulicis 823
In Avernum Judicem malæ fidei ibid.
In quendam clamoſum & bibacem ibid.
EpitaphiumRuſtici ibid.
In Medicaſtri mortem ibid.
In Sextilianum Legulejum ibid.
Affectatio honorum 823
De Poetis 824
Raritas Mæcenatum ibid.
Duplex Anagramma Mæcenatis ibid.
In oratorem Ponticum Calvum ibid.

EPIGRAMMATA

LIB. I.

JOeli Langelott. 826
In Nuptias Pontici Juvenis & Accæ vetulæ Luſus Epigrammaticus 827
Ad Joelem Langelott cum illi Balduini calceum mitteret Poeta 833
In Bibliothecam indocti 833
In Religioſum ſimulatorem crucem de collo ſuſpenſam geſtantem 822
In Murciani cujusdam notas 834
In Poetam ebrioſum 834
Iu quendam qui primam in VITIUM produxerat 835
Excuſat ſe Amico ad cœnam invitanti ibid.
In quandam à balneis ſibi fœcanditatem promittentem ibid.

In Infantulam Annam eodem anno, quo nata erat, extinctam. ibid.
In Baubalum Rabulam. 836
In Virginem Juvene ponderoſiorem ibid.
In quendam Leporini nominis 836
In Mœchum pauperem 837
In quendam Plagiarium 837
In duos Rivales, quorum alter virgine excidens anum duxerat 837
In Ottonis Nicolai Ripenhagen & Agnetis Mariæ zur Nedden nupt. 837
In vaſta cujusdam volumina 838
In caput è marmore ſculptum ibid.
In caput formoſæ virginis ſculptum ibid.
In effigiem incomparabilis Theologi Johannis Georgii Dorſchæi. 838. ſq.
Ad Poetam ſub ſigno Aquarii natum 839
Admonitio ad Amicum ſponſum ſponſam aliquam Urſulam ducentem 839
In Judicem δωροφάγον 839
In Poetaſtrum Laureatum 840
In Cujusdam micas. ibid.
In quendam vagæ eruditionis hominem 840
In cujusdam librum, cui THESAURI nomen fecerat ibid.
In cujusdam Spicilegium exſcriptum 840

EPIGRAMMATUM

LIB. II.

CAſpari Voigtio Conſuli Vismarienſ. 842

Pro-

Programma, quo poſt elapſos dies Caniculares Poeta invitabat ad lectiones de frigida Oratione in Ariſt. lib. 3. Rhet. c. 3. habendas 843
Ad Thomam Bartholinum poſt incendium Bibliothecæ ſuæ de libris legendis ſcribentem 843
In Criſpum omnia dividentem & ſubdividentem 844
In ineptum de arte ſilentii librum ibid.
Differentia Aſtronomi & Aſtrologi 844
In Lupanar ſub ſigno Tauri 844
In Joh. Nicol. Schippelii Inauguralem de Lue Venerea 845
In eundem Schippelium 846
In mortem Pictoris Glyci ibid
Ad amicum cum ſuffimenta illi mitterem 846
In Joh. Caſp. Pfenningii Conjugem Sophiam Clauſeniam edita prole exſtinctum 847
In conjugia horum temporum 847
Ad Amicum 848
In Librum e diſſertatiunculis, quæ ad latus Calendariorum apponi ſolent totum exſcriptum 848
Epicedium in pedem reſectum ibid.
In Henrici Balemanni Lauream Juridicam 849
In Carteſianum quendum Philautum: Cogito ergo ſum 849
In Concionatorem quendam demogagum 850
In Procillum Poetaſtrum 850
Cenſura libri inepti 851
In quandam Sibillam Anagramma ibid.
Ad Adolphum Fridericum zur Nedden de Litium expenſis pro honoribus in Jure diſputantem 851
In Cinnam Carmine Adonico magni Regis laudes decantaturum 852

Ad Adam. Laurent. Nicolai & Annam Segebaden conjuges ibid.
In Joh. Philippi Roſmanni diſput. inauguralem de Injuriis ibid.
Ad eundem 853
Ad eundem doctorem & ſponſum ibid.
In Joh. Dan. Majoris Muſeum ibid.
Ejusdem jocus in Tusſim Poëtæ ibid.
Reſponſio Morhofii ibid.
In Anum loquacem morbo colico extinctam 854
Ad Paulum de divitiis Poetarum 854
De Mariano, qui nummos meretrici cuſtodiendos dederat 854
In Convivia funeralia 854
In Georgii Jacobi Blanckii diſput. inauguralem de Vulnere ſclopetorum 855
In Baſſum, qui ſe ajebat ſpiritu mundi vivere 855
In mortem Avari ibid.
De fertilitate agri Marſici 856
In Nuptias cujusdam Alexandri 856
In Sciolum 856

JOCORUM LIBER.

Leſſus in Ciconiam Adrianum 858 ſeq.
Querela Halecis 873 ſeq.
De Ente Rationis 882

PRÆTERMISSA.

In Cervam Cornutam in Agro Huſumenſi ad Joelem Langelottum 902
In Apiani Præſegmina Amorum 905

In

In Erici Mauritii Faſces Academ. 905
Poculum boni dæmonis, id eſt, Euchariſtico, Valedictorium Henrico Schævio oblatum 909
Corolla Anagrammatica ad Carolum Guſtavum Suecorum Regem 914
Triumphus Varniacus quem Jacobo Helvvig, cum ille ad capeſſendam Rectoratus Gymnaſii Berolinenſii provinciam abiret, gratulatur Mecklenburgenſium natio 915
Lanx ſatura ſive Rhapſodia in χειρογονίαν ex optima Nobilisſimorum Epicorum Triga Marone, Statio, Claudiano corraſa ad Andream Tſcherningium 919

ADOPTIVA.

Auſpicatisſimo conjugio Serenisſimor. Principp. Hæreditar. Elector. Saxon. & Regnorum Daniæ Norvagiæque Sacrum.
CArmen, conſcriptum à L. Baroniſſa Henrica Catharina von Frieſen 932
Amoribus & Thalamis Henriettæ Catharinæ Friſiæ Lib. Bar. Carmen extemporale oblat. à Georg. Caſp. Kirchmajero. 935. ſeq.
Ad excellentisſimos Heroas Socerum Generumque excuſatio Autoris 938
Joannis Laurenbergii Satyra de rerum bonarum abuſu ejusque Querimonia de ſuo & Academiæ Soranæ ſtatu 939. ſq.
In Nuptias Johannis Georgii Quirini Civis & Oenopolæ Hafnienſis 96
Epigramma in Brockdorfianam gentem ejusque inſignia 966
Gratulatio ad Collectorum Poëtarum Danorum 967

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

30 x.